

CORRINGIUS  
de  
Fivibus Imperij.



T

2217

Jur. Civ. B

86

86

Shelby B

2217

T



CONNINGTON  
Francis Johnson

86

B

2217

T




CONNINGTUS  
F. N. S. P. S.


C. I.

C. I. P. B.

22.

Jur: Pol: ~~845~~.829

Biblioth. Acad. Lauf 





HERMANNI CONRINGII  
OPUS

DE

FINIBUS IMPERII  
GERMANICI,

2<sup>VO</sup>

JURA FINIUM, QVIBUS ILLUD CONTINE-  
tur, à primo ejus exordio usq; ad hæc nostra tempora  
illustrantur.



EDITIO NOVA,

*in finitibus locis emendatior & correctior, addito Indice triplici.*

FRANCOFURTI & LIPSIAE,

Apud JOHANNEM HEINR. ELLINGERUM, Bibl.

M. DC. LXXX.

GERMANIAE CONSTITUTIONES  
OPUS

FINIBUS IMPERII  
GERMANICIS

JURA FINIUM, QVIBUS ILLUD CONTINE-

tur a primo quo exordio usq; ad huc usque conservata sunt.



EDITIO NOVA


FRANCOFURTI & LIPSIAE  
Apud JOHANNEM FRIEDRICHUM LINGCIUM, MDCCCLXXX





## SUMMA PRIVILEGIORUM.

**C**Autum est interregni tempore Privilegiis Serenissimorum Potentissimorumque S. R. J. Vicariorum Principum, ne quis libros Hermanni Conringii cura scriptos vel editos, citra ejus heredumque consensum, unquam vel inprimat, vel alibi impressos divendat: poena delinquentibus dicta omnium ejusmodi librorum amissionis, & solutionis decem marcarum auri. Prout latius definitur ipsismet Privilegiorum tabulis.



PRÆFATIO  
EDITIONIS PRIMÆ.  
BENEVOLO LECTORI

S. P. D.



Ulm primum scriptioni huic manum  
appellerem, aliud mihi consilium fu-  
isse atq; post reapse egi, ipsamet operis  
frons indicat etiam me tacente. Fuit  
scilicet animus non, nisi Dissertati-  
onem edere, & quidem illam quatuordecim circi-  
ter plagulis comprehensam: qua brevitatis ne-  
qua foret despectui, volui illi molem aliquam qua-  
rere à charactere grandiore. Simulac verò capi  
argumentum hoc majore nonnihil cura aggredi,  
sensim mutata sententia, & laxato quasi freno  
liberior stilo cursus indultus est. Deprehende-  
bam nimirum, argumenti & nobilitatem, &  
amplitudinem, & (quia vix à quoquam ex professo  
est tactum vel certe minus accurate traditum,)  
obscuritatem difficultatemque, exigere diffusam  
magis curam, nec vastum adeo campum, ea quam  
institueram brevitate, posse sine aliqua Imperii in-  
juria constringi. Ita accidit mihi quod fere solet  
in scriptione extemporanea, ut ejus initio non usque  
adeo bene progressus operis respondeat: quod  
vitare possunt qui non nisi perfecta jam scripta  
):():( solent.

## PRÆFATIO EDITIONIS PRIMÆ.

solent typis committere. Quorum ego morem ut laudo, ita hæcenus nunquam imitari licuit, per nescio quod ingensi vitium: quo ductus quicquid calamo excidit non patior describi, sed mox, licet minus pulchro caractere formatum in schedis, tra- do typothetis, illis sæpe ringentibus: ne relegere quidem semel scripta sustineo, nisi ex typographeio reddita, quo emendentur. Id quod ideo nunc commen. oro, uti & ne ignores, Lector, causam insolentis primæ inscriptionis, & simul ignoscas. Nec vero ab extemporanea illa mea scriptione aliud aliquod spe- rare verim crimen magnum commissum: quod vide- licet, ut solet, aut eadem sæpius repetita, aut nonnul- la alieno loco posita, aut deniq; ea scripta fuerint qua mutata mallet: ac proinde eo faciliorem mihi unius peccati, in titulo operis commissi, veniam polliceor, præsertim cum non pro amphora insti- tuta urceus, ut illi quondam, sed pro urceolo pene amphora exierit, etsi ab argumento meo ne latum quidem unguem ut ajunt discesserim. Sed & cor- rexi jam illum primum male natum titulum, & in libros duos mutavi falso dictam Dissertationem: ut alter contineat Finium rem omnem, à primo usq; Imperii exordio ad fatalem illam ruinam, qua cum Friderico II Casare tertio decimo seculo conti- git,

PRÆFATIO EDITIONIS PRIMÆ.

git, alter cœptam materiam ad nostram usque hanc tempestatem persequatur.

Continui vero me in omni hac scriptione in explicandis duntaxat juribus Finium : causas quar illi quondam ita amplificati & rursus contracti adeo sint, quidve horum vel profuerit olim vel hodie profit aut obsit, ne quidem verbulo attigi, idque consulto : propterea quod ea esset prioris illius loci difficultas & amplitudo, ut alter commode non potuerit simul agitari. Ingens nimirum est inter juriam illam peritiam, qua circa rō bñ occupata tantam est, & illam qua simul causas jurium illorum adeoque hac pariter usum noxam eorum assequeris, quæque proinde fere sola prudentiæ nomen promeretur, discrimen. Certe facile illud qui vis sana mentis fatebitur, etsi Thaboricus stupor id non capiat. Igitur non quod nescirem causarum illam cognitionem pertinere demum ad exactam jurium illorum Imperii scientiam, aut quod existimarem non esse pretium opera iis exponendis illaborare, non tactus à mo ille locus est, sed quoniam, cum & ipse prolixus sit ac difficilis, non potuit hac vice una cum altero illo negotio recte expediri. Et vero sedet sententia seorsim alias ex-

):( )2(

ponere,

PREFATIO EDITIONIS PRIMÆ.

ponere, causas & incrementi omnis & decre-  
 menti, quod Imperium hoc nostrum à prima  
 origine sua ad hæc nostra usque tempora variis  
 est vicissitudinibus hætenus expertum. For-  
 tassis etiam addam, qua ratione existimem ego  
 collapsam rempublicam erigi rursus posse, quidq;  
 in posterum sperandum sit metuendumve. For-  
 tassis, inquam. Minus enim tuto aut commode  
 talia in aperto differentur: nec forte fas est  
 consilium in tam arduis publicæ rei negotiis dare,  
 nisi istud curare in officio tuo sit. Tamen & ve-  
 teris nostri ævi magnorum hominum exemplis,  
 qui non dubitaverunt editis in publicum libris  
 consulere in medium quod usui fore arbitrati  
 sunt, ad similem operam queam invitari. Cete-  
 rum quicquid hujus aliquando futurum sit, in  
 præsentia omne illud à me consultò est in hoc de  
 Finibus opere omissum. Ne tamen sententi-  
 am super hac re meam omni nunc ex parte dissi-  
 mulem, visum fuit subjungere saltim ea, que an-  
 te hos septemdecim annos de negotio hoc disserui,  
 illa in præfatione quam operi Politico Aristotelis  
 tunc præmisi. Quamvis enim nequaquam omnia  
 que huc pertinent sim ibi persequutus, quod &  
 laterent me tum nonnulla, nec permetteret ar-  
 gu-



## PRÆFATIO EDITIONIS PRIMÆ

gumentum aliter hac, quam obiter tunc tan-  
gere, dixi tamen jam tum, pro ætatis meæ &  
occasionis ratione, nec pauca nec fortasse passim  
obvia & omnibus æque in vulgus cognita: qua-  
que proinde haud incommode heic legas expen-  
dasque, donec majora & pleniora depromere  
licuerit.

In opere ipso ita versatus sum, ut universa  
à prima Imperii origine arcessiverim, non con-  
tentus ultima hac nostri ævi duntaxat prosequi:  
idque quoniam sentio ipsa hac ultima probe ex-  
poni non posse, nisi re omni altius repetita, &  
prisca tamen illa quadam caligine tecta de-  
prehendi, vix quoquam nostrorum illuc usque  
excurrente. Observavi porro in omni expositi-  
one temporis seriem, & veterem regnorum, ex  
quibus hoc vastum Imperii corpus coaluit, di-  
stinctionem: quo major lux ex probò ordine le-  
ctori affulgeat, evitata omni confusione. Ea-  
propter seorsim quoque persecutus omnia sum,  
quemadmodum sese habuerint ad Friderici II  
Cæsaris ævum, seorsim reliquam tempestatem  
universam exhibui: quandoquidem usq; adeo  
ingens inter ea tempora discrimen invenitur, &  
fortuna Imperii quasi binas in partes illas disse-  
ctat

## PRÆFATIO EDITIONIS PRIMÆ.

Ita est. Ad leges provocavi, non illas Romanis proprias, sed quas natura aut gentium consensus instituit: quod illa controversis hisce decidendis minus sint idoneæ, etsi vulgo utramque soleant paginam facere, imo tertium pene quodvis verbum interpolare. Hujus facti hujus, sententia meæ rationes & alibi fusius, & breviter hoc ipso in opere capite nono decimo, eas attuli, ut sperem æquum quemvis judicem iis cum cura expensis, aut omnino mihi assensurum, aut certe erranti veniam non denegaturum: aliorum vocalas nec moror nec pertimesco. Cum vero ipsa nature & gentium jura de acquirenda & amittenda rerum possessione viderentur habere haud parum obscuritatis, duxi operæ pretium, digressione quadam facta illustrare nonnihil hunc locum, ne qua caligo remoraretur controversarum Imperii possessionum dijudicationem. In iis que facti sunt arbitrands, usus sum cum tabulis publicis quas potui nancisci, tum testimoniis historicorum quos gnaros maxime rerum & integræ esse fidei censui. Nec vero non excussi monumenta omnia, vetera nova, que licuit inspicere, si ad illustrandum hoc argumentum facere aliquid posse visa sint: indignum ratus,  
con-

## PRÆFATIO EDITIONIS PRIMÆ.

controversia de casa agresti oborta chartas omnes magno studio evolvi, regari testes, & juratos quidem, rem ipsam oculis lustrari, & tamen in latissimarum maximarumq; urbium & provinciarum possessionibus dijudicandis levi quadam opera defungi. Verum hoc agenti multa mihi defuisse, fere nunquam non & deprehendi & dolui. Nec enim dubito in sanctioribus tabulariis plurima latitare, hunc locum illustrare peridonea; monumenta etiam historicorum alia nondum typis publicata, alia edita quidem sed in manus meas non pervenisse. Plurimum igitur abest, ut existimem, pro dignitate argumentum hoc universum à me tractatum, aut ab errore omni satis cautum esse. Quei potuit hoc à me fieri à monumentis ita deserto? Quod potui præstiti ego: quibus in promptu sunt tabularia & in arcano hæctenus delitescientia monumenta, aut omnibus numeris instructa bibliotheca, illis si accuratiora & pleniora meis attulerint in medium, cedam lubens: non invidebo. Erroribus interim meis ut & ignorantia veniam spero ab omnibus æquis bonisq; lectoribus. Homines scilicet sumus omnes ac erroribus proinde obnoxii, eoq; & humanitus mecum actum iri confido.

PRÆFATIO EDITIONIS PRIMÆ.

do. Vt illo animo sane mea expendantur, Reges Prin-  
cipes aliosq; quorum ex sententia fortassis nō omnia  
disputavi, ea qua par est submissione, rogo obtestorq;.  
Occulto Germania amore abreptum me interdum,  
haud negaverim. Quomodo enim hoc caveris bo-  
nus civis? At vero lucri aut potentie aliqua spe  
vel metu à veri professione me seductum, nemo, scio,  
dixerit quibus res mea perspecta sunt. Vtinam  
aque sincerum iudicium attulerint ad hæc arbi-  
tranda alii! Id sane si fiat, operi meo si laudem non  
impetro, saltim magnum aliquod vituperium non  
vereor. Efficietur vero simul hoc ipso, ut ab illu-  
strandis Imperii reliquis negotiis ne deinceps ab-  
horream, sed currenti quod ajunt calcar potius  
aliquod addatur. Vnum adjungo: ne quem tur-  
bet, quod Imperium non Romanum ex recepto  
more sed Germanicum appellaverim. Feci illud,  
ne quis ambigua locutione deceptus opinetur, de  
veteris & proprie dicti Romani Imperii finibus  
opere hoc actum. Sed & jam tum singulari libro  
ostendi, majestatem vimque Imperii nostri non Ro-  
manis deberi, sed Germanis vel solis vel ex parte  
precipua, nomenq; illud Romanum nulla gravi  
ratione ad universa hujus Imperii translatum es-  
se. Helmestadii prid. Non. Apr. c. 16. 16c LIV.

INDEX

# INDEX CAPITVM.

## LIBER PRIMVS.

De Finibus Imperii Germanici à primo  
ejus exordio usq; ad Fridericum II  
Cæsarem.

- I. Romani Imperii veteris res ac jura ad Germanicum Imperium non pertinere, adeoq; ne hujus fines ex Romanis illis petendos. pag. 1.
  - II. De Francorum Imperii origine & insigni amplitudine. pag. 6.
  - III. De Francorum Imperii in tres partes divisione, atq; adeo de prima origine Regni Germanici aut Orientalis Francorum ab aliis jam separati. 12.
  - IV. De Imperii sive Regni Germanici primis finibus. pag. 23.
  - V. Non omnia finibus illis contenta in pari obsequio tunc fuisse, & quando quæve ratione perpetua unio Imperii illius ceperit. 34.
  - VI. Imperii Francorum tertiam Lotharii Cæsaris portionem paulatim Germanico Regno accessisse: & hujus pars, quæ Lotharingiæ regnum olim audiuit, quemadmodum facta fuerit juris Germanici. 38.
  - VII. Ambitus veteris regni Lotharingici ex Tabulis antiquissimis proponitur simulq; Barrum Ducis Regna illi jam olim accensitum esse, ostenditur. 51.
- (:) (:) (:)
- IIX.

**IIIX.** Ipsam Franciam Occidentalem in obsequio quidem fuisse Germania Regum, sed non nisi brevi momento & leviter eoque in illam Imperio Germanico nihil solidi juris acquisitum esse. 62

**IX.** Regnum Italiae & Imperatoriam dignitatem in perpetuum Germanico Imperio accessisse. 76.

**X.** Italici Regni & Casarea dignitatis quae ratio quive fines fuerint circa initia: & quemadmodum utrumque ad Friderici II tempora sese habuerit. 94.

**XI.** Regni Italici fines ad Fridericum usque II integros mansisse, nisi quod per injuriam partem ejus decerpserit Neapolitanum Regnum: Simul vero Venetorum urbilibertatem suam relictam. 130.

**XII.** Burgundia & Arelatense Regnum per injuriam in terris Germanico Imperio debitis enatum, eidem rursus perpetui foederis lege sociatum esse, idque quae ratione sit factum. 155.

**XIII.** Caesarum & Imperii in Burgundicum & Arelatense Regnum auctoritatem, cum primis ubi est per Fridericum I sibi restituta, ad fatale Imperii interregnum usque integram mansisse. 178.

**XIV.** Regnum Daniae binis per intervalla vicibus Imperio Germanico fuisse obnoxium, sed libertatem recuperasse. 193.

**XV.** Slesu vicensem & Ducatum & Episcopatum jam-

jamdudum non Germanici sed Danici juris fu-  
isse, & esse hodieque. 221.

XVI. Dania Reges Venedorum terras & Nordal-  
bingicam Saxoniam aliquando occupasse, sed  
cum possessione tum omni jure mox excidisse. 232.

XVII. Hungaria Regnum in obsequio Imperii fu-  
isse, sed non multo post asseruisse sese in liberta-  
tem. Reges quoq; Cypri & Armenia Imperium  
Germanorum, brevi tamen duntaxat momen-  
to, coluisse. 265.

XIX. Poloniam ab Ottonis Magni ævo ad Fride-  
rici II tempora, pene semper, & subjectam & tri-  
butariam fuisse Imperio Germanico. 309.

## LIBER SECVNDVS

De Finibus Imperii Germanici à Friderico

II Cæsare usque ad nostra tempora.

XIX. Facta digressione sternuntur fundamenta di-  
judicandi juris amissarum Imperii possessionū. 339.

XX. Bona Pontificibus Romanis donata non omnino  
Imperii limitibus excidisse per Cæsarem dona. 391.

XXI. Terras Pontificum Romanorum, non præ-  
scriptione vel alio aliquo titulo, Imperii ditione  
& juribus excidisse. 445.

XXII. Terras Italicas Pontificum Romanorum  
beneficiarias, videri hodieque pertinere ad diti-  
onem Imperii. 473.

XXIII. Quod reliquum est Italiae præter bona Pon-  
tificum. 473.

tificia, paucissimis exceptis, hodieq; ad Regni Italicum, adeoque Imperii, ditionem pertinere. 495.

XXIV. Quae Reges Galliae possident in Regno Burgundico vel Arelatensi, ea paucis exceptis etiamnum ad Imperii ditionem pertinere, haud esse vero absimile. 566.

XXV. Reliquas plerasque Burgundici regni partes videri Imperii finibus jure meritoque etiamnum comprehendi. 614.

XXVI. Quae Reges Galliae in Regno Lotharingico possident, illorum magnam partem finibus Imperii jam fortassis excidisse. 663.

XXVII. Quae in Lotharingico Regno Duces Lotharingiae tenent, illa pene omnia hodieque juris esse Imperialis Germanici. 688.

XXVIII. Quas partes Lotharingici Regni Hispaniae Rex possidet, eas nunc quoque finibus Imperii comprehendi. Foederatas autem septem Belgico Germanicas provincias in plenam libertatem esse assertas. 735.

XXIX. Bohemia Regnum cum Silesia Moravia & Lusatia finibus Imperii etiam hodie includi: Poloniam vero Masoviam Prussiam & Livoniam videri illis excidisse. 780.

XXX. De Finibus Imperii Marinis: & totius operis peroratio. 841.



SERENISSIMO CELSISSIMOQUE  
PRINCIPI AC DOMINO

DN. FRIDERICO

SERENISSIMI POTENTISSIMIQUE  
PRINCIPIS AC DOMINI

DN. FRIDERICI  
WILHELMI

Marchionis Brandenburgensis

S. R. I. Archicamerarii & Electoris;

Eminentissimi Prussiae Ducis:

Vt & Magdeburgi, Juliaci, Cliviae, Montium,

Stetini, Pomeraniae, Cassubiorum ac Venedorum,

Crosniae item & Carnoviae Ducis;

Burggravii Noribergensis,

Principis Halberstadii Minda & Camini;

Comitis Marcae & Ravensbergae,

Ravensternii Lauenburgi & Butoviae Domini;

FILIO NATU MAXIMO

ET HEREDI ELECTORALI

Domino meo Clementissimo

felicissima omnia

precor

HERMANNVS CONRINGIVS.

**A**udentem Serenissimæ Celsitud.  
Tuæ manibus offerre hunc li-  
brum, nihil, fateor, potest excusare  
præter ejus argumentum. Agit videli-  
cet de Civili Pace inter Imperii Ordi-  
nes, quamvis religione dissidentes,  
perpetuò conservanda. Qua re nihil  
magis utile, imò nihil magis esse neces-  
sarium, ad id ut respublica Imperii non  
omnis intereat, aut potentissimis qui-  
busque vicinis, cum ipsorummet Prin-  
cipum sive excidio sive servitute, ce-  
dat in rapinam, inque partes dilabatur:  
ac proinde Tuis quoque Principali-  
bus curis dignum esse negotium, equi-  
dem arbitror. Nec verò est, quod tuta

omnia in futurum quoque polli-  
ceatur antegressi longi temporis  
felicitas. Et Imperii scilicet & vi-  
cinorum Regnorum longe hodie  
est status alius atque olim fuit. Æ-  
stimanda igitur omnia prudens  
quilibet judicaverit, prout nunc se-  
le res habent, non quemadmodum  
olim illæ sese vel hic vel alibi ha-  
buerunt. Fuerit igitur in medium  
nunc quidem consulendum, quo  
modo is qui etiamnum superest  
Imperii status, habito undequa-  
que vicinorum respectu, queat in  
perpetuitatem, vel saltim in lon-  
gum adhuc tempus, integer per-  
(a) 3 mane-

manere. Huic autem rei fortassis  
haud invenitur ullum idoneum re-  
medium, quàm, ut ita loquar, since-  
ram concordiam inter Imperii Or-  
dinum fovere, & exterorum quo-  
rumcunque potentiam suspicere.  
Cæterùm haud defunt, qui prius ef-  
fectu *admirato* arbitrantur; quia illi ipsi  
Ordines non eadem sacra obser-  
vant, sed religiosis multum dissident  
sententiis: quiq; censent, nefas esse  
cum iis, quos novimus haud tenere  
rectam æternæ salutis viam, in una  
vivere civili societate. Ast ne ad  
vetera provocem exempla, hæc i-  
psa ætas nostra passim terrarum  
pluri-

plurimas exhibet longe florentissi-  
mas respublicas, ubi citra ullum ci-  
vilis concordiaē dispendium magna  
satis obtinet religionis diversitas. I-  
pse Serenissimæ Celsitudinis Tuæ  
Potentissimus Pater subditos, imo  
ministros, habet alia & à sese & mu-  
tuò de sacris sentientes prope infi-  
nitos : quos inter mera tamen est  
tranquillitas, quoniam pruden-  
tissimo consilio turbulenti quique  
arcentur procul, & ex æquo bonis  
omnibus par benignitas exhibetur.  
Quod unum exemplum merito in-  
star omnium est æstimandum,  
quodq; aliquando Tuæ etiam Cel-  
situdi-

fitudini poterit sufficere in imita-  
tionem. Ab impietatis quoq; no-  
ta plus satis civilem ejusmodi diffi-  
dentium tolerantiam absolvit, cum  
Apostolica doctrina, tum primæ-  
væ & sanctæ Ecclesiæ usus perpetu-  
us. Ne nunc urgeam, quod in su-  
am quoque Israeliticam civitatem  
Deus Optimus Maximus admise-  
rit omnes etiam eos qui septem  
Noachica quæ appellabantur præ-  
cepta tantum observabant, licet  
haud essent circumcisi aliisque  
Mosaicis sacris initiati. Hoc pro di-  
gnitate demonstrare alterius erit  
operæ. Isthoc, quem nunc offero,  
libro

libro res mihi jam duntaxat fuit, si ultima excipiantur, cum Pontificiæ Curia, omnem Imperii pacem primùm remorantibus deinde & evertentibus, horribilibus placitis. Illa sanè omnibus modis eradicare, interest non Germaniæ solùm sed omnium omnino rerum publ. hujus mundi: utpote quæ liberæ aut tutæ esse nequeant, nisi sublatâ penitus illa quam ab Hildebrando usque Roma struxit sacræ tyrannide. Benè an secus propositum hoc argumentum exsecutus fuerim, intelligentes qui que judicabunt. Saltim haud omnem lusuriam operam, si Viri illi magni ac sapientes,

(b)

quo-

quorum conversatione quotidie fru-  
itur Serenissima Tua Celsitudo, fa-  
vorem aliquem Tuum Principalem  
huic conciliaverint, dignamq; cen-  
suerint cujus lectione & hæc & poste-  
ra ætas Tua instruatur. Enimvero fi-  
deli doctrina Sereniss. Celsitudini  
Tuæ, non minus atq; obsequio cum  
meo tum meorum inservire, in votis  
mihi est. Quem meum animum non  
improbatum iri, si pro ea, quæ ab  
omnibus prædicatur, Principali Tua  
Benignitate, liber hic excipiatur, non  
dubito mihi jam tum polliceri. DEUS  
Te servet, PRINCEPS, bono publi-  
co in feram senectutem.

LECTO.



LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

**Q**VÆ me caussa compulerit,

LECTOR BENEVOLE, ante propemodum triginta annos, persona *Austriaci Theologi* assumpta, *Pro Pace perpetua Protestantibus danda* libellum titulo *Consultationis Catholica* exarare; ut & decimo post anno *Animadversionem in Papa Innocentii X Bullam*, quâ ille pacta Pacis *Osnabrugæ & Monasterii sanctè inita* palàm damnavit, non conscribere duntaxat sed etiam unâ cum priore libello publicare: illud primæ illi editioni addita tunc ad Lectorem Præfatio abunde indicavit. Ne etiam nunc quenquam hoc fugiat, illa ipsa Præfatio statim subjungetur. Reddo nunc secunda vice utrumque, sed infinitis locis correctum, atque ita locupletatum, ut novam faciem omnia, cum primis illa, quæ Bullæ sunt Papali opposita, induisse videri possint. Hoc ut facerem, pridem me incitaverunt multorum & dignitate & doctrina illustrium desideria: quod primæ editionis exempla quævis statim initio fuerint distracta & argumenti nobilitas atque usus curam exigat accuratam. Et verò haud pacis est planè persuasum, non esse fas, civilem pacem ac societatem coli inter eos, qui religione dissident, & tolerari in republica

blica divinum cultum, qui aliqua ex parte à re-  
gentium sententia est alienus. Quoniam verò hæc  
opinio & impia est & evertit respublicas, etiam  
atque etiam laborandum est, ut ex animis homi-  
num evellatur. Igitur in utroque libro & jam  
ante, & hac secunda vice, improbum illud placi-  
tum fui aggressus. Continere me tamen sum co-  
actus intra limites instituti, & in primo quidem li-  
bro me gerere juxta quæ permisit persona Pontifi-  
cii hominis. Aliàs proinde singulari libro nobile  
hoc argumentum <sup>omni</sup> <sup>pertractabo</sup> : apertâ fron-  
te demonstraturus, omni summæ potestati civili  
incumbere seriam religionis in sua civitate cura-  
tionem, ultra tamen naturâ nota <sup>pertractabo</sup> præcepta  
non illi licere vi aut pœnis adhibitis quidquam  
imperare. Bulla porò Pontificis cùm ea, quæ in  
omnes Christiani orbis respublicas, tum pleraque  
illorum, quæ seorsim in Germaniam sibi vindicat  
Romana Curia, quasi fundamenti loco haud dubi-  
tavit collocare diræ suæ damnationis. Reapse vero  
etiam illa respublicas universas, & cum primis Im-  
perium, subruunt: & tamen passim cùm alibi, si  
Galliam excipias, tum in Germaniâ, à Curia Papali  
devinctis Theologis palam ita docentur, ut veræ  
sententiæ à scholis eorum exulent. Ea sanè indigni-  
tas & hinc impendens Germaniæ nostræ pericu-  
lum, adegit me, plus altero tanto augere meam in  
Bullam

Bullam istam ante hosce viginti annos conscri-  
ptam Animadversionem. Cæterum & Prior & Po-  
sterior hæc mea omnis cura, proxime quidem Ci-  
vili Paci, in universum autem & quam maximè sa-  
luti ac conservationi Imperii consecrata est. Enim-  
verò non diffiteor, arbitrari me, absq; Pace isthac  
salvam Germaniæ eam quæ adhuc superest rem-  
publicam esse ne ad breve quidem tempus posse:  
sed hac sublatâ, totum illud corpus prædæ futu-  
rum exteris quibusq; potentioribus. Nata mihi illa  
sententia est adhuc juveni: itaque non dubitavi  
jam ante hosce quadraginta annos, cum omnia  
miserrime armis pessumdarentur, & de Pace con-  
stituenda altum esset inter partes silentium, eam a-  
perte profiteri. Ex eo procul abest mutatam velle  
viter, ut magis magisq; facta fuerit mihi confirma-  
tior. Non hoc volo; satis sufficere a verruncandis  
exteris malis hanc unam civilem inter disparis Re-  
ligionis Ordines concordiam. Multa enim quoque  
alia isti fini requiruntur, de quibus agere non pati-  
tur nunc institutum. Frustra tamen isthæc omnia  
fuerint, nisi firma inter omnes Imperii Ordines Pax  
civilis sit stabilita: ut hæc omnium superstruendo-  
rum, quasi sit primum fundamentum. Quo illud  
omnibus appareat, sub finem libri addidi etiam ea,  
quæ ante annos quadraginta à me esse conscripta  
modo significabam. Utinam ex voto omnia ce-

(b) 3,

dant

dant in commune universæ Germaniæ bonum!  
Vnum illud sane spectavi ego omni meo labore:  
neque nunc quidquam magis desidero. Quo, nisi  
valde fallor, & bonum Christianum, & bonum  
Imperii subditum me ad ipsam quoque posterita-  
tem comprobabo. Helmestadii in Academia

Julia Anno clō. Io. c. Lxxvii. xii.

Kalend. Maji.



PRÆ-

# PRÆFATIO AD LECTOREM

primæ editioni præfixa.

**P**ene triginta annos bello intestino, in quod fere uniuersa Europa suas vires simul impendebat, flagrauerat iam Germania, & tantum non in solitudinem erat versa, cum de pace inter partes componenda agitari denique coeptum est. Quis credidisset, etiam tunc superesse, qui bellum mallent? In utraque tamen parte inuenti qui paci acriter aduersarentur, & quidem (quod mirere) illa pars omnium maxime infestis consiliis oppugnauit pacem, qua ex bello grauissimum damnum senserat, & periculo propior erat omnia sua perdendi: ea animos praua peruicacia inuaserat. Et uero Pacis inimici nusquam plures, nusquam atrociores, quam apud eos qui Catholici audiunt; ipso Cesare tamen & Principibus eius quorum armis & uiribus bellum gerebatur, in Pacem pronis. Incendebat illos homines nihil perinde atq; dolor subductorum ventri pinguium aliquot patrimoniorum; ita alte impressa erat aqualicula memoria sua uisissima sagine, ut spem recuperandi ponere esset egerrimum; et si ipsi ad bellum parum uel nihil subsidii conferrent, sicuti uidelicet aliis pugnantibus pigro in otio domi fructus opimiores uictoria aliena carpere. Obtentui tamen pertinaciar religio fuit; siue simul improba superstitio incautos

tos animos ita occupasset. Ducebat quæ agmen  
horum ipse Papalis Nuncius, vir & munere pa-  
riter & agendarum rerum solertia magnus: unde  
ingens factioni illi in vulgus existimatio, ex adver-  
so Pacis studiosis quibusque, maximis licet Princi-  
pibus & perspectissima virtute, impietatis macula  
aspersa, ipsi Paci de die in diem remora multiplex  
injecta est, percunte interim Germania. In id, tur-  
bandis nimirum omnium animis, sparsi tandem &  
libelli sunt, nec uno auctore, nec indocti; sed qui o-  
stenderent, ut ingenium ita doctrinam scriptoribus  
non deficere, quamvis in mala causa patrocinio.  
Primo fortassis omnium prodiit Judicium Theolo-  
gicum personati cujusdam Ernesti de Eusebiis: suc-  
cesserunt mox Judicii illius Theologici Vehicu-  
lum Responsum Theologicum, Instrumenti Pacis  
Ponderatio, & id genus alia. Omne hoc in manus  
meas incidit adulta æstate decimi retro anni: licet  
jam tum (quantum intelligo) aliquamdiu minus  
peritorum animos inquietasset. Declinante au-  
tumno, imo pene sub brumam, vidi Judicii Theo-  
logici Discussionem, doctam illam quidem & ele-  
gantem, qua tamen apud Pacis hostes quidquam  
effectum iri, sperare me vetabat, quod Auctor a-  
perte Protestantem se ferret, hostilis vero talium  
hominum animus à Protestante doctrinam nullam  
quamvis optimam & meridiano sole clariorem  
admit-

admittat. De turbis interim, Eusebiano cumpri-  
mis libello, (hic enim omnium illius generis doctissi-  
mus est & operosissimus) apud homines etiam non  
malos & Pacis cupidos motis, increvit magis ma-  
gisque fama; iudicio prudentiorum ideo potissi-  
mum gliscente Ernestina factione, quod Pontificia  
partis nemo quidquam opponeret, Jesuita vero alii-  
que multi Theologico nomine conspicui & libellum  
& causam unice passim locorum commendarent.  
Et vero ita pene comparatum est, ut in negotiis ar-  
bitrandis ipsimet nos, ad quos illa pertinent, raro si-  
mus defecuto iudicio; eoque agre patiamur nobis  
quidquam persuaderi, nisi ab iis quos & pruden-  
tia valere & nostri esse studiosos persuasum sit, ab  
adversariis nihil temere admittentes quamvis  
consultissimū utilissimumque. Ea de re, cum summe  
dolerem Pacis, adeo necessarii boni, compositionem  
procrastinari, ejusque mora haud exigua partem  
a maleferiatis illis libellis esse, existinavi bene me  
de republica meriturum, si aliis silentibus, ego clan-  
culum persona Pontificii Theologi assumpta, &  
sermone ad illius partis placita legesque composito,  
Eusebium convellendum susciperem. Nec vero ea  
me simulatione magis peccaturum, quam medentes  
solent, qui tetra absinthia

Cum dare conantur, prius oras pocula circum  
Contingunt dulci mellis flavoqve liqore,

(c)

Vt

Vt puerorum æras improvida luoificetur,  
Labrorum tenuis, interea perpotet amarum  
Absynthi laticem, deceptaq; non capiatur,  
Sed potius tali tactu recreata valeat.

*Pridem nempe eram persuasus; fas esse, ut Clemens  
Alexandrinus loquitur, ἴσθις ἐστὶν ἡ ψευδὴς πίστις Nec  
ane mihi propositum, vel hostem dolo fallere, quod*

Ripheus justissimus unus

Qui fuit in Teucris & servantissimus æqui.

*Hoc animo impensi sunt in eam operam qui ferias  
Natalitias anni illius vicesimi septimi sequeban-  
tur ad Calendas Januarias pauci dies, & post Ca-  
lendas unus alterque, illis tamen duntaxat horis  
quibus per negotia licuit mihi uni vivere. Omnia  
conscio nemine: nisi quod ut commode spargi libel-  
lus posset, haud multo post tres amici, perspectæ ta-  
curnitatis & fidei, in conscientiam admissi sint.  
Osnabrugam & Monasterium delatus libellus  
haud parum placuit (ut accepi) utriusque partis  
omnibus qui Pacem sectabantur; primum in mul-  
ta exempla calamo transfusus, mox curante ac  
laudante ignotum amici & familiaris alias sui o-  
pusculum Magnifico Viro Jacobo Lampadio, qui  
nomine Serenisi. Ducum Brunsvico-Lyneburgensi-  
um strenue tum & animose Pacis negotium curabat,  
alicubi excusus est. Quem longe maluissem tamen  
sine*



sine illa invidiosa praefatione in manus populi de-  
nisse. Ist hoc autem in negotio nihil perinde mihi  
fuit jucundum, quam nemini suspicionem natam  
de auctore Protestante, multo minus de me: ut licuerit  
ipsimet mihi plurimorum omnis judicium partis non  
minus occulte audire, at Apelli olim post tabulam  
latitanti. Nec enim cuiquam praeter tres illos a-  
micos innotuit utilisissima deceptio, nisi Pace jam  
confecta, atque adeo fructu silentij ac simulationis  
abunde jam percepto. Et vero quamvis in commu-  
ne multum etiam profecerint praecleara ac luculen-  
tissima scripta, quae Ernesto ac Vehiculario mecum  
eodem tempore opposuerunt, & Joannes Georgius  
Dorscheus nostras, & ex parte altera Abbas Cara-  
muel (utpote quum ille simul arduas quae ad argu-  
mentum facerent quaestiones ex ipsis Pontificiorum  
libris prolixè atq; acute agitaverit: hic vero arca-  
nas consultationes multas magno bono produxerit,  
in lucem, opinione varia doctrina & auctoritate  
cum primis idoneus fidem sibi facere) meus tamen  
ille libellus ipsa sua brevitate & simulata persona  
paucis parum quoque valuit apud eos, quos Ernesti-  
nae officia ambiguos imò à Pace alienos jam reddi-  
derant.

Et si vero, singulari Optimi Numinis benignitate,  
Pax tandem aliquando fuerit composita, non acquievit  
amen furor Zelotarum & Pontificia Curia. Hinc e-

*ditā in lucem Anticaramuel & alia Dorscheo oppo-  
sita, scripta virulenta, orci tamen galeā tuta. Edit.  
& duā novo exemplo contra Pacis pactum Papalis  
Nuncii Protestationes: utraque dura admodum &  
Pacis conditionibus omnibus, ipsique adeo Casari,  
Regi Gallie, & ipsis sua partis Imperii Germanici  
Principibus, perquam injuriosa: posterior insuper  
mire pertinacem Zelotā animum prodens. Profitente  
nimirum Fabio: sese omnem etiam pulvilculum de  
pedibus excutere, qui commune quidquam habere  
possit vel cum minimo præjudicio S. Sedis, & prom-  
ptum se exhibere pro illa Sede ad vitam & sanguinem  
profundendum. Apostolos scilicet imitato Fabio, quos  
prædicaturos Regnum Dei & sanatuos infirmos  
jussit Servator, si qua in civitate non reciperentur,  
exire ac pulverem pedum excutere in testimonium  
supra illos: jussit item in testimonium de Christo san-  
guinem fundere: quasi tantundem sit, Regnum Papa  
& Regnum Dei, Christum & Papam prædicare. qua-  
les tamen Fabios prædicatores & martyres omnis  
prisca vere Catholica & Apostolica Ecclesia ignora-  
vit. Supervenit biennio post ex ipsa Tarpeia arce in  
Pacem Fulmen plane horrendum, ac quale ab orbe  
condito nusquam terrarum fuerat auditum, velut in  
ultimum complementum furoris tranquillitati no-  
stra adversantis. Ne quidquam videlicet turban-  
da*

de Germania idoneum ommitteret, ille ab initio us-  
que mendax & latro spiritus, oppositus Sancto ac  
miti Pacis Spiritui. Et vero sibi Pacem Germania  
cumprimis esse invisam, suis illis insolentibus acti-  
bus prodidit: utpote quum adhuc modum, nullam  
unquam Pacem hactenus fuerit infectatus. Fuit ta-  
men & ille conatus irritus; ac in tantum prevaluit  
Spiritus Sanctus, ut unanimi omnium sententia,  
non attentis Romanis siue fulgurationibus siue to-  
nitribus siue fulminibus, in publicas & perpetuas  
Imperii leges utrumque Pacis pactum receptum sit:  
quo nomine immortales Deo gratias debemus. Sed  
& in Batavis duo rei indignitate moti, alter Da-  
vid Blondellus, omnis antiquitatis peritia admi-  
randus, ficto tamen Amandi Flaviani nomine, al-  
ter vir item plane eximius Joannes Hoornbeek, per-  
doctis scriptis impietatem Romana Bulla confode-  
re non dubitaverunt; et si optimus Blondellus & ali-  
is vastis negotiis & ipsa tandem morte cæptam  
operam absolvere sit prohibitus. Eadem verò in-  
dignitas, & pæcis servandæ ardens studium, post  
plurimos stimulos, me etiam denique nunc permo-  
vit, in Bullam istam calamum stringere eamq; me-  
am Animadversionem luci publica exponere. Nec  
vero vacat pericula supposita doloso cineri Papalis  
illa pruna; sed interest universi Imperii Germani-  
ci, ut illius iniquitas neminem omnino fugiat, ut-

que ex omnium animis ejus evestimatio eradicetur.

Coeterum hujus Animadversionis mea publicationi visum fuit haut inutile, praemittere personatam meam Consultationem: cum quod ad eam recudendam sapiens fuerim invitatus, tum quod ex eadem qua Ernesti Judicium pharetra Declaratio Papalis deprompta sit, nec amplius quidquam autorem me dissimulare suadeat. Lectorem tamen omnem atque etiam rogo, ignoscat mihi quod contra animi sententiam in libello isthoc disputata, cum primis quod Protestantes hereticorum nomine traduci, inveniat: memor, absque fuce illo, innoxio tamen, nec latitare me, nec probe assequi pie propositum scopum potuisse. Et verò resecta fronte integram animi sententiam in Animadversione de quam multis exposui: alias seorsum prolixè demonstraturus, quodnam jus & quidnam sit officii Summae potestati civili circa Religionem personas & res vel opes sacras; alienissimus ab illo plucito multorum, fas esse majestati civili in cives animadvertere ob errores tranquillitati civili non adversantet.

Consultationi autem subjungi feci eam partem Judicii Ernestini, quam Consultatio oppugnavit: ut eo facilior sit utriusque contentio. Eadem fini addidi & Innocentii Bullam nec non utramque


Fabii

*Fabii Protestationem.* Et vero nisi hisce quoque  
cum cura perlectis haud fecerit quis opera preti-  
um in Animadversione aut Consultatione mea  
evolvenda.

In Animadversione vero etiam ne quem offendat,  
Romane quia parti tribuitur à me Catholicorum  
titulus. Feci illud secutus vulgi morem, quo sermo  
fiat & brevior pariter & dilucidior: minime igno-  
rans ceteroquin quam inique id nomen pars illa  
sibi vindicet. Longe sanctior sane & praeclarius  
est Evangelicorum appellatio, quam nobis unice  
servari: praesertim quia jam olim in Catholicorum  
nomen omnes penè haeretici transierunt, singulis  
ceteribus haeticorum se potissimum Christianos  
& suam esse Catholicam Ecclesiam putantibus,  
ut loquitur Lactantius; qua de injuria conquesti  
item fuerunt, Augustinus, Salvianus, Prosper, Vi-  
ctor & alii. Sed & hodie Catholicus est, non  
is qui amplectitur illam fidem, quam Apostolorum  
consentiens praedicatio toti fere terrarum orbi  
quasi communem, atque adeo vere Catholicam  
(quia per accidens factum est, ut universalior do-  
ctrina eadem & verior esset, quod altis rarum esse  
soler) olim fecerat; aut etiam is qui fidem pra aliis  
late patentem amplectitur; sed solus ille qui cum  
... Pontifice communionem colit Ecclesiasti-  
cam. Qua tamen communio neququam est univer-  
salis, imo ne numero sectantium quidem omnibus  
aliis

aliis Ecclesiis est superior. Ut proinde cum verborum significatio ex usu (qui alius atq; alius diversis temporibus esse solet) sit aestimanda, & nunc prisca & genuina τὸ καθολικὸν acceptio plurimum mutaverit, non est cur, juxta quidem significationem in vulgus receptam, nos Catholicorum cognomentum Romanensibus invidiamus.

Hac quasi historia est utriusque hujus libelli mei: quam texere coactus sum multis de causis, & Tibi Benevole Lector omnem pro palare. Veneraberis autem mecum Deum Optimum Maximum, ut porro nobis propitius, hostiles inimicorum molitiones avertere aut irritas reddere, Pacem vero, quam clementer dedit, perpetuam servare ac tueri velit jubeatque. Helmestadii in Academia Julia Eid. Jul. Anno cl̄o l̄o c̄o l̄vii.



In Epistola dedicatoria, pag. 6. l. 4. deleatur τὸ inter.

HERMANNI CONRINGII  
DE  
FINIBUS IMPERII GER-  
MANICI

*L. IBER PRIMVS.*

---

CAPUT I.

*Romani Imperii veteris res ac jura ad Germa-  
nicum Imperium non pertinere: adeoq;  
nec hujus fines ex Romanis illis  
petendos.*

**I**mperii Germanici publicam rem  
seu administrationem statumq;ve  
perlustraturis, exordium operæ fa-  
ciendum est ab Imperii illius fini-  
bus: utpote quo in notitiam veni-  
unt regiones omnes & populi ad Imperium illud  
pertinentes. Hi nempe subjectum, ut scholæ  
loquuntur, sunt reipublicæ; subjectum vero ut an-  
te omnia semper ita venit quoq; prænoscendū in  
singulis rebus publicis: quoniam regimen omne  
circa populum versatur, ejusque bona omnia;  
eoque, num illud recte vel secus sese habeat, ad  
subjecti illius populi naturam & conditionem,  
A opti-

optime omnium potest exigi. Etsi vero de populis ac regionibus longe plura merito scire par est, ad id uti plene addiscas Imperii naturam; nunc tamen nobis quidem non nisi de Finibus ejus agere propositum est, idque compendio duntaxat: & hoc ipsum argumentum & reliqua illa prolixius aliàs fortasse persecuturis. Non abs re autem erit, si tamen nunc simul etiam indicemus, quo jure fiat, ut hi populi & hæ provinciæ in communi isthac vivant republica: brevi pariter factâ inquisitione, num fortassis aliæ provinciæ isthuc jure pertineant necne. Nam hoc etiam imprimis interest intelligere, & tamen nequaquam fortassis in omnibus est notitia obvia.

Ceterum hæc antequam agamus, removendus è medio est vulgaris & quasi passim receptus error: quo creditur, Imperium Germanicum esse laciniam veteris Imperii Romani. Hinc sanè volunt pene omnes: quæ etiamnum illuc pertinent regiones populosque, vel jam tum florentibus Romanorum rebus in nostrum hunc aut similem morem fuisse compositos, vel saltem jure illo, quo olim



lim Romanæ provinciæ unum in corpus con-  
venerunt, etiam nunc omnia contineri: ac pro-  
inde quæ hodie ab Imperio Germanico haud  
possidentur, illa, tanquam à corpore Imperii  
Romani separata, censenda, & hoc respectu  
habito, jurean injuria id fiat, studiose inqvi-  
rendum esse. Sunt autem in hac sententia  
haud pauci, nec indocti; non fortassis alii ta-  
men, quam qui Justiniano juri unice, negle-  
cto omnis Germanicæ historiæ veteris usu, in-  
cubuerunt. Hos enim solos videas, de omni  
hoc negotio, atque adeò & de exemptione,  
quam vocant, regnorum provinciarumque  
pene universi mundi à juribus Imperii Roma-  
ni, illis quæ diximus fundamentis nixos, ab  
eo usque tempore, quo in Italia renata sunt  
Romani Juris studia, usque huc, acriter con-  
tendere. Verumenimverò potissima hodie  
Imperii Germanici, quæ Danubio Rheno O-  
ceano & mari Balthico includuntur, floren-  
tissimis etiam Romanorum rebus, nunquam,  
vel non nisi levi ex parte ac brevissimo tem-  
pore, fuisse Romanæ ditionis. Nec enim nunc  
moror ineptam sententiam, quasi Romani ve-  
teres

#### 4 DE FINIBUS IMP. GERMANICI

teres vel tenuerint Imperio suo universum mundum, vel omnem illum occupandi jus habuerint. Alia omnia quæ hodiè Germanici Imperii finibus includuntur, jam ante mille annos & quod excurrit, ita à populis Germanicis occupata sunt, ut unà cum possessione recuperandi quoque jura Romanum Imperium jamdudum amiserit. Sed & antequam dignitas Cæsarea cum Imperii Romani jure ad Carolinam Francorum Regum familiam, & hinc ad Germaniæ Reges deveniret, jam tum in unum plæraqve Imperii hodierni concreverant; nec postea unquam sive belli aliquâ vi sive spontaneo quodam consensu in jus veri Romani Imperii transierunt, tametsi in nomen illud sensim quasi adoptata sint. Reapse denique nihil verè Romanum Germanici est juris factum, præter dominium Urbis Romæ & exiguas nonnullas Italiæ regiones; quas cum aliquandiu per Exarchum Ravennatensem Cæsares qui Constantinopoli commorabantur rexissent, & deinceps occupassent Langobardorum in Italis Reges, his iterum creptas Pipinus & Carolus Magnus Francorum

conum reges Romanis Pontificibus quadamtenus donaverant. Quam rem omnem latius persecuti sumus libro *de Germanorum Imperio Romano*.

Ex hisce verò satis utique apparet, originem atque jura omnium Germanici Imperii provinciarum, non ex illis dudum exoletis veteris Imperii Romani rebus, sed aliunde fluere; adeoque ex aliis longe fontibus etiam negotii hujus universi notitiam petendam esse. Imo vero cum Germanicum Imperium omni sit ex parte liberum, nec antiqui illius Romani aut jure aut prætextu quicquam præter pauca illa modò dicta teneat, & quidem illa quoque teneat nullo veteris Imperii Romani beneficio: ad hoc, quoniam quicquid olim fuit Romani Imperii in omni hoc Occidente, id jam ultra mille annos unà cum recuperandi juribus perierit; nemini non manifestum est, originem Imperii Germanici ejusque in varias provincias jura ab ipsismet Germanicis rebus dependere, & ex consequenti horum omnium intelligentiam non ex alienis quibusdam, sed

6 DE FINIBUS IMP. GERMANICI  
sed propriis & domesticis monumentis desumi  
ac dijudicari oportere.

## CAPUT II.

*De Francorum Imperii origine & in-  
signi amplitudine.*

**I**Gitur domestica illa consulentibus de origi-  
ne Imperii Germanici, ejusque cum incre-  
mento tum decremento, ita pene rem sese ha-  
bere deprehendere est. Cum Germania o-  
mnis multos in populos sibi mutuò aduersan-  
tes haectenus semper fuisset divisa; quicquid  
etiam ejus cis Rhenum fuit, Germaniæ primæ  
& secundæ, Belgicæ item primæ nominibus,  
pridem jam Romani tenuissent; rarâ armo-  
rum felicitate, per Francos primùm, qui jam  
Galliam quoque uti post Italiam occupaverant,  
in unum tandem corpus cum Italia & Gallia  
coepit coalescere. Ipsi Franci ab antiquissimis  
usque temporibus, Catti tunc appellati, jam-  
dudum tenuerant eximiam Germaniæ illam  
partem, quæ hodie Francia vel Franconia au-  
dit, à Bojohemo ferè usque, cis Bacenim sylvam  
seu Thyringorum saltum, in hanc Saxoniam  
usque

usque inferiorem exporrectam. Quibus cum Chamavi, Brueteri & Ampsivarii alijq; accessissent, omnis ille trans Rhenum tractus à Ducatu circiter Bergensi usque in Wirtebergensem, non minùs in nomen quàm in jus Francicum pervenit: idque florentibus adhuc Romanorum rebus; quemadmodum alibi multis ostendimus. Collabascens inde paulatim Romanorum viribus, & uno communi Rege sibi creato, initiò ripam reliquam omnem Rheni in Frisios usque, mox Rheno trajecto Germaniam secundam & potiora primæ, Belgicam item utramque aliasque nonnullas Galliæ Romanas provincias, in ditionem suam Franci iidem rede gere.

Non multò post ingenti clade, anno quadringentesimo nonagesimo nono, circa Tolbiacum Clodovæo rege cæsis Alemannis, longe potentissimo tum Germaniæ populo, provinciam suam iidem fecere quicquid hætenus Alemannici fuerat juris, omnemque adeo Sæviam, Helvetiam, Bavariam, quædam item cis Rhenum magnæ Seqvanorum provinciæ & Germaniæ primæ.

Thyringiam universam, usque ad Salam & Unstrutum

§ DE FINIBUS IMP. GERMANICI

strutum amnes, adeoq; Saxoniae fines, circa annum quingentesimum vicesimum quartum adiacere: regno Thuringorum in Hermenfrido regum ultimo destructo.

Eadem tempestate in Gallia, quicquid ejus Burgundiones & Westrogothi occupaverant: extincta plane Burgundionum republica & Gothorum potentia intra Hispaniam clausa, in Francici regni ditionem concessit.

Carolo Martello Duce circa annum septingentesimum vicesimum octavum, devicto Ratbodo Frisiorum Rege, regnoque eorum dissoluto, omnis maritima Germaniae ora a Rheni ostiis usque ad Visurgim, adiecta est Francorum rebus: quod ejus reliquum in Cimbrica chersoneso jam tum Frisii occupaverant Danis accessit, ad quos pulsus Ratbodus confugit.

Frisios Saxones secuti. Saepius etenim licet rebelles, Caroli Magni felicissimis armis subacti sunt. Quo ingens terrarum tractus validique ibi populi Ostphali Westphali & Angarii in Francorum regni potestatem concessere. Eginhartus amplitudinem terrae describens, ait: *Saxonia non modica est Germaniae pars, & ad eam*

ad eam qua à Francis incolitur latitudine dupla  
putatur, cum longitudine possit esse consimilis.

Post Saxoniam idem Carolus Magnus Hun-  
nis devictis, adjecit (verba sunt itidem Egin-  
harti) utramque Pannoniam, & oppositam in  
altera Danubii ripa Daciam; Istriam quoque  
& Liburniam atque Dalmatiam, exceptis ma-  
ritimis civitatibus, quas ob amicitiam & jun-  
ctum cum eo fœdus Constantinopolitanum Im-  
peratorem habere permisit. Quo apparet, in-  
gentem tunc ea parte Imperio Francorum ac-  
cessionem factam: quippe cum Bavaria provin-  
ciarum ultima, & hujus terminus Anesus fluvi-  
us, (ut ex Annalibus Francorum anni septin-  
gentesimi nonagesimi primi constat) hæctenus  
fuisset.

Idem deinde Carolus Magnus (ut porro  
loquitur Eginhartus) omnes barbaras ac feras  
nationes, qua inter Rhenum ac Vistulam fluvi-  
os Oceanumq; & Danubium posita, lingua qui-  
dem pene similes, moribus vero atq; habitu valde  
dissimiles Germaniam incolebant, ita perdomu-  
it, ut eas tributarias efficeret. Ex quo Egin-  
harti testimonio discere est: Sclavicas aut Ve-

B

nedi-

nedicās illas gentes (Polonis tamen forte, adeoque & Silesiis, Polonorum tum parte, exceptis; nec enim de his perinde constat) quæ omnia à Sala usque amne, (ur qui, eodem teste Eginharto, *Thyringos & Sorabos Sclavos tunc divisit,*) ad Albim, & inde trans Albim circa maris Balthici littora usque ad Vistulam, Bojohemum item ac Moraviam ad Danubium usque, tum temporis jamdudum, (ex quo inde Germanicæ gentes, migratione in provincias Romani Imperii facta, discessere,) impleverant; quoadamtenus in ditionem Francorum pervenisse.

Ad hæc idem Carolus in Italia primùm omne Langobardorum regnum, extincto ultimo eorum Rege Desiderio, deinceps quoque Exarchatum Ravennatensem ac Pentapolin, aliaque Romano Pontifici à patre Pipino & sese donata, unà cum ipsâ Urbe Româ & jure tituloque Cæsareo, adeoque Italiam universam, ab Augusta Prætoria usque in Calabriam inferiorem, Francorum regno adjecit. Ex omnibus sc. Italiæ regionibus unica fere Calabria mansit in ditione Cæsarium Constanti-

nopolitani



nopolitanorum. Præterea verò urbs quoque Veneta in jus Francorum non transiit. Etsi enim & hanc navali prælio subegisset, idque auspiciis paternis Pipinus Caroli filius anno octingentesimo decimo, eodem tamen anno pace æternâ inter Carolum & Nicephorum Constantinopolitanum constitutâ, huic per Carolum *Venetia reddita est*: ut quidem discrete memorant Annales Francorum. Veneti ipsi referunt, & Pipinum Venetæ urbis omnia non occupasse, & magnâ vicissim clade à Venetis affectum, nec pacto illo pacis Urbem Constantinopolitano redditam, sed *disertis pacti verbis cautum esse, ut Veneti inter utrumque Imperium Orientale & Occidentale positi, liberi atque immunes & ab utroque securi viverent*. Quæ etsi fortasse minùs sint verisimilia, utpote quæ adversentur omnium ejus ævi antiquissimorum annalium fidei, nihil tamen nostrâ refert, sive credas sive neges; cum certum sit, urbem illam in jus Francorum non pervenisse.

Postremò cum jamdudum in Galliis Aquitaniæ & Vasconiæ, in Germania Bavariæ

Duces potentissimi, regia pene potestate & Francorum majestatem vix comiter observantes, imperassent: hasce quoque regiones, fugatis & extinctis Ducibus, sub integrum imperium Carolus iterum redegit; promotaque armorum felicitate, *totum Pyrenæi montis jugum* (verba sunt Eginharti) *& usque ad Iberum amnem, qui apud Navarros ortus, & fertilissimos Hispania agros secans, sub Dertusa civitatis mœnia Balearico mari miscetur,* adeoque proximam Hispaniæ partem, quæ hodie regnum Navarrenum Cataloniam & Arragoniæ potissima complectitur, occupavit.

## CAPUT III.

*De Francorum Imperii in tres partes divisione; atque adeo de prima origine Regni Germanici aut Orientalis Francorum, ab aliis jam separati.*

**I**N hunc modum late patuit, Carolo Magno rerum potente, adeoque initio seculi noni, Francorum Imperium. In eandem potentiam successit quidem filius ejus unicus Ludovicus

cus, quem Pium nuncupant : hîc & alibi tamen illa haud exiguam fecit jacturam. Cum primis post non minus imprudentiâ Ludovici patris, ante tempus Imperium inter filios dividendis, & divisionem illam non multò post improbantis & mutantis, quam Lotharii filii ambitione, suscitatum inter patrem & filios, imò & inter ipsos filios ferale dissidium.

At Ludovico mortuo, posteaquam in gentibus præliis, cum primis eo quod ad Fontiniacum anno 840 gestum est, & sese mutuo & reimp. omnem miserrime afflixissent, pace tandem constituta, tres fratres, Lotharius Ludovicus & Carolus, totidem in partes omne Francorum Imperium divisere. Quod ex eo nunquam in unum potuit rursus coalcere. Illa partitio quemadmodum fuerit instituta, accuratè est observandum; idque ideo, quoniam originem huic & jura sua propria debent, cum hoc nostrum Germanicum seu ( ut tum & multis post seculis audiit, antequam Romani Imperii cognomentum invalesceret ) Orientale Francorum regnum, tum Gallicum, quod hodieque κατ' ἐξοχὴν Fran-

Francicum dicimus, olim Occidentale Francorum Regnum nuncupatum. Non aliunde rectius illius divisionis notitia posset peti, quam ex Nithardo, qui de dissidio illo fraterno & pace composita quatuor libros conscripsit, ipsemet ut Berthâ filiâ Caroli Magni natus ita magnis negotiis illis pacisque isti compositioni à Caroli partibus admotus, nisi illius opus ævi vitium sine suo mutilasset. Nec vero illa, quæ ex nescio qua Appendice Aimoini à Pithœo adjecta est Nithardo divisionis formula, ad hanc rem (quod tamen visum fuit Pithœo) quidquam facit: quippe quum nobilissima illa tres inter fratres partitio contigerit anno 842, ista autem Pithœana demum anno 870. Perinde atque Sigeberti quædam de hac nobili divisione perperam sunt inserta l. 4. Nithardi pag. 478. edition. Francofurt. Quapropter aliis testimoniis, de quorum tamen fide dubitare non possis, res omnis hæc illustranda est.

Atque antiquissimus quidem, illique ævo maximè vicinus, Annalium Fuldensium autor fuerit. Sed parum nos juvat ille, quia limites non exacte definivit suis vocabu-

cabulis. Eoque non est quod illis huc adducendis immoremur. Regino autem Abba Prumiensis, pro ætate suâ doctissimus simul & nobilissimus Germaniæ chronographus, ita pene loquitur: *Anno Dominice incarnationis 842 tres fratres Imperium Francorum inter se dividerunt. Et Carolo occidentalia regna cesserunt, à Britannico Oceano usque ad Mosam fluvium: Ludovico verò Orientalia; scilicet omnis Germania usque ad Rheni fluentia, & nonnullæ civitates cum adiacentibus pagis trans Rhenum propter vini copiam. Porro Lotharius, qui & major natu erat & Imperator appellabatur, medius inter utrosque incedens, regnum sortitus est, quod hætenus ex ejus vocabulo Lotharingia nuncupatur, totamque Provinciam (id est Galliam Narbonensem,) nec non omnia regna Italia cum ipsa Roma Urbe. Reginonis verba transcripsit Marianus Scotus; ac proinde non est quod illum testem vocemus. Iisdem autem propemodum verbis usus quidem est Sigebertus etiam Gemblacensis; quoniam tamen nonnulla habet ille aliquatenus diversa, eaque magni momenti, itaque ejus testi-*

testimonium addere operæ erit præcium. Descripto, ait ille, in tres partes Regno, fratres ad Urbem Gallie Virodunum conveniunt, & inter se pacificantur; & datis & acceptis invicem sacramentis, quisque ad descriptas sibi partes regni tuendas revertuntur. Carolus accepit occidentalia regna, à Britannico Oceano usque ad Mosam fluvium; in qua parte extunc & modo nomen Francie remansit. Ludovico orientalia regna cesserunt; omnis sc. Germania usque ad Rheni fluentia, & aliqua trans Rhenum civitates cum adiacentibus pagis propter vini copiam. Lotharius, qui major natu erat & Imperator appellabatur, omnia Italia regna tenuit, cum ipsa Roma; nec non & Provinciam & mediam partem Francie inter Scaldim & Rhenum, qua mutato nomine ab eo denominatur Lotharingia. Plenius utroque limites divisi Francorum Imperii, etsi paucioribus verbis, persecutus est accuratissimus Franciæ historiæ scriptor Paulus Æmylius l. 3. Convenit, inquit, ut Francie Rex Carolus diceretur; eaque Arari, Rhodano, Scalde, Mosa, Oceano, Pyrenæo saltu contineretur: Ludovico Germa-  
nia.

*nia Hunni*aque (id est Pannonia utraque) *cederet*:  
*reliqua opes ac Imperium* (Romanum scilicet)  
*penes Lotharium forent.*

Ex quibus testimoniis patet, Rhodanum flumen citra controversiam terminum constitutum regni Gallici. Et verò hinc cum alia tùm Lugdunum & Vienna ad ipsam Rhodani ripam Lotharii in ditione fuere: quemadmodum hoc tabulæ docent divisionis illius, quam inter sese Ludovicus & Carolus anno 870 instituerunt. Similiter verò & Mosam fuisse factum limitem Carolini & Lothariani regni, certum est. Bene tamen & Sigebertus & Æmilius monuere, non simpliciter omnem Mosam factum limitem; sed inferiore illius parte, qua videtur nimium justo ad Rhenum accedere, Scaldin amnem in locum quasi ex constituto successisse. Bene item monitum ab Æmylio, Ararim fluvium, ab initio ejus usque dum Rhodano miscetur, itidem factum fuisse limitem ejusdem Gallici regni.

Sane hunc in modum omnino rem sese habuisse, ex secutis negotiis rebusque manifestum est. Sed & ex ipsiusmet Nithardi l. 4 constat,

C

lega-

legatos Caroli Lothario obtulisse, per errorem, ut ille arbitratur, non tantum quod Mosam & Rhenum interjacet, sed quod etiam porrigitur *usque in Carbonarias*. Tabulæ quoque ipsæ illæ quas modo laudavi testes (sunt autem, quas Nithardo adjunxit Pithœus, & ex parte alii cum Aimoino ediderunt) inter ea quæ ex Lotharii bonis Carolo obvenerunt, numerant Camera-cum & Tungros Episcopales urbes, monasterium S. Mariæ in Deonant, Comitatum Texandriæ, in Brachbanto Comitatus quatuor, Cameracensium, Haniojum (qui hodie est Hennegaviæ) Lomensem sive potius Lovensem, in Hasbanico Comitatus quatuor, & Mosaviæ ut & Liugarum sive Leodicensis territorii quicquid cis Mosam tunc fuit Galliam versus. Ut proinde dubium nullum sit, ad Scaldim usque Lotharianam portionem fuisse protensam.

Audivimus porrò, non simpliciter Rhenum constitutum fuisse regni Germanici litem, sed trans etiam Rhenum urbes aliquot cum pagis adjacentibus Germanici juris fuisse factas. Quanquam vero urbes il-

las



las nec Regino, nec Marianus, nec Sigebertus, nec Æmylius expresserint: tamen ex monumentis illius ævi, cum primis ex iis quæ passim memorantur cum alibi tum in Annalibus Francicis à Petro Pithœo & Marquardo Frehero editis, liquet, fuisse illas non alias quam Moguntiam, Wormatiam, & Spiram.

Etsi præterea sine dubio Rhenus majori ex parte fuerit contra Lotharii portionem limes regni Germanici constitutus; circa ejus exortum tamen in Helvetiâ paulò aliter videtur sese res habuisse: non Rhenum scilicet sed Vrsam amnem limitem præbuisse. Nisi fortassis Vrsa tunc temporis fuerit habita Rheni portio. Sane videre non est, quicquam ejus quod inter Vrsam est & Rhenum hodie ita dictum, sive in divisione illa regni Lotharii, quam post inter sese Ludovicus & Carolus fratres anno 870 instituerunt, Ludovico traditum, sive alio aliquo novo pacto Germanici esse juris factum; etsi loca quædam Helvetiæ quæ circa Arolam usque ad Vrsam sunt, ista divisione disertim Ludovico cessisse, memorentur.

guimento sane id satis certo videtur esse, in prima statim divisione isthac Germanico regno illa fuisse adjecta. Quæ conjectura confirmatur testimonio Guillimanni, Helveticarum antiquitatum longe peritissimi scriptoris, qui discretel. 3. c. 6. *Habsburgicarum Originum* ut & alibi docet, Lotharium inter alia *Helvetia partem ad Ursam usque* nactum. Sed quemadmodum ante diximus, forte olim Urfa Rheno accensus fuit.

Tale quid sane circa Rheni ultima ad Oceanum olim hoc ipso in negotio factum, licet observare. Et si enim possit videri, limitem Lothario & Ludovico pariter ibi fuisse modicum illum Rheni alveum, qui solus vero fluminis ipsius nomine, non multum infra Lugdunum Batavorum prope Cattovicum, Oceano olim miscebatur, nunc ostio est arenis obruto: ultra tamen ad Flevum usque porrectum fuisse Lotharii regnum, verisimile ex eo est, quod, quantum ex Tabulis divisionis inter Carolum & Ludovicum anno M DCCC LXX factæ, liquet, Lothario tres Frisæ partes obtigerint: id quod quæ ratione fieri potuit.

tuisset, nisi ad Flevum usque Lotharii regnum fuerit productum, haud facile dixeris. Et vero Flevus quoque ipse olim inter Rheni ostia habitus, quod diserte testantur Mela *l. 3* Plinius *l. 4. c. 15*. Ptolomæo hinc ostium Rheni orientale audiens: procul dubio, ex quo Drusus fossâ factâ in Nabaliâ sive Isalam Rhenum effudisset. Nec tamen cum quoquam contenderim, qui alveo illo Rheni vetere Lotharii & Ludovici regna malit divisa. Ultra Mosam & Vahalim certe, in quæ itidem sese Rhenus diffundit, usque ad alveum illum Rheno cognominem fuisse protensum Lotharii regnum, cum aliunde tum ex illis ipsis modò adductis tabulis sole clariùs patet: quippe quæ Utrecht, sive Ultrajectum: (ut hodie plerisque audit) Comitatus item Testrebant & Batuam, ex illa Lotharii portione Ludovico cessisse, memorent. Et vero Dorestadum quoq; in ditione fuisse Lotharii, narrant Annales Francici Pithœani anno 850. Hæc omnia autem trans Mosam & Vahalim sunt.

Vbi obiter non possumus non saltim verbo animadvertere in eos, qui negare audent

Batavorum terras , cum primis eas quæ Hollandiæ hodie nominibus veniunt , fuisse quondam in ditione Francorum. Id quod etiam in elegante cætera libello Hugonis Grotii *de Antiquitate reipubl. Batavica cap. 4* affirmatur. Ast viro illi summo nemo non facile condonabit, quod juvenis nimio in patriæ libertatem studio non nihil in hoc & aliis peccaverit : non dissimulandus tamen facile hic error est. Ut fanè taceam , quam sit ab omni alienum verisimilitudine, solos Batavos , gentem tenuem tunc & egenam , sui juris mansisse: utique ne vestigium quidem libertatis illius in omnibus istius ævi monumentis comparet : comparet autem memoria rei illa ætate adeo insolitæ & magnæ. Ex adverso constat, ea quæ post Hollandia & Zelandia audierunt Frisiæ tum accensita : Frisiam autem universam devicto Ratbodo in jus Francorum concessisse. Ad hoc jam tum ex Tabulis istis Pithœanis nar-  
ravimus , Batuæ & Testrobantiæ Comitatus disertim Lothario adscriptos : qui hodie Goldriæ & Hollandiæ partem conficiunt. Nec verò aliæ sunt insulæ *Frisica* aut *Frisico littori adia-*

*adiacentes* tunc dictæ, quas cum anno 810 & post vastarent Normanni ac Dani aut tributis vexarent, Francorum reges ad injuriam suam pertinere id crediderunt, quam quæ nunc uno Selandiæ nomine nuncupantur. Quid? quod apud ipsos Hollandos illos unanimi cōsensu memorēt prisca eorum monumenta, primos Hollandiæ Comites à Francorum regibus esse constitutos, & ut in horum ita post Germanicorum Cæsarum obsequio vixisse: de libertate autem illa populari, vel à populo creatis Comitibus, nusquam vel gry reperiatur. Ut proinde nullum sit dubium, novitium commentum esse illam quæ nunc fertur fabulam. Sanè ante annum superioris seculi octogesimum forte nusquam audita est. Verum hæc obiter.

## CAPUT IV.

*De Imperii sive Regni Germanici primis finibus.*

**E**X hisce quæ modò adduximus jam non difficile forte fuerit definire Germanicum regnum, quale illud primo fuerit constitutum, & devenerit in potestatem Ludovici.

Etenim

Etenim contra Galliam limites ejus qui fuerint, jam audivimus.

A Flevo autem sive Rheni cognomine alveo deinceps Oceanus Frisicus terminum præbuitusque in Eidoram amnem. Hic videlicet distinxit Saxoniarum & Daniarum fines : idque cum jam antehac, tum ex pacto primum inter Carolum Magnum & Hemmingum Danum Anno 811 (testibus Annalibus Francorum, Adamo Bremensi, Alberto Stadenfi & aliis) inito, & non multò post Ludovico Pio Cæsare inter Saxones & Danos repetito. Et verò Annales illi Francorum quos Hermanus Nuenarius Comes edidit, de Godofredo rege Danorum ita loquuntur ad annum DCCCIIIX : *limitem regni sui qui Saxoniam respicit vallo munire constituit, eo modo, ut ab orientali maris sinu, quem illi Osterfalt (forte rectius Osterbelt) dicunt, usque ad occidentalem Oceanum, totam Egidora fluminis aquilonarem ripam munimentum valli pratexeret : una tantum portâ dimissa, per quam carpenta & equites emitti & recipi potuissent.* Hunc Saxoniarum & Da-

& Daniæ limitem, quasi ratihabitum esse pace inter Carolum Magnum & Hemmingum Danum constituta, ex iisdem Annalibus cum Nuenarianis tum Pithœanis manifestum est. Illi ajunt: *conredientibus ex utraque parte utriusque gentis, Francorum scilicet & Danorum, duodecim primoribus super fluvium Egidoram, datis vicissim secundum ritum ac morem suum sacramentis, pax firmatur.* Clarius id expressum est ab Adamo Bremense cap. ii. *Hemmingus rex pacem cum Imperatore faciens Egidoram fluvium regni terminum accepit.* Pene iisdem verbis Albertus Stadenſis ad annum 810: *Extincto cœlitus Godefrido, Hemmingus patruelis ejus successit, qui mox pacem cum Imperatore faciens, Egidoram fluvium regni sui terminum accepit.* De Ludovici Pii in Daniam expeditione Annales Nuenariani ad annum 815 ita scribunt: *Tunc omnes Saxonici Comites, omnesque Abotritorum copia cum legato Imperatoris Baldericho, ad auxilium Heriholto ferendum, trans Egidoram fluvium in terram Nordmannorum nomine Sinlendi perveniunt.* Idem notant anno 828, Godfridi

D

Dani

Dani filios *contractis subito copiis ad Marcham venisse, & Francos in ripa Egidora fluminis sedentes ac nihil tale opinantes adortos.* Quæ verba satis indicant hanc esse illam marcham, sive hunc limitem signari ab iisdem Annalibus, quando narrant, jussu Ludovici Pii Cæsaris anno 825 pacem cum Danis confirmatam *in eorum marca.* Nec vero est quod quæquam turbet institutus à Ludovico Pio illo Hamburgensis Archiepiscopatus, per omnem septentrionem, Daniam, Sveoniam, Norvegiam, Gronlandiam, Islandiam aliasque regiones limitibus ejus extensis, prout legere est in Tabulis Cæsariis quas Lindenbrogius publicavit: non enim facer conatus iste Pii Cæsaris populos illos sub Christi jugum mittendi ad Imperii vim quæquam attinet; eoque nec in illos jam Christiano ordini accensitos quidquam juris sive ille sive succedentium Regum Cæsarumque alius sibi isthoc nomine unquam arrogavit. Vt Saxonix igitur, ita & Francici Imperii terminus certus tum Egidora fuit.

Vbi obiter non possumus non notare etiam



iam aliquid, de Saxoniae illius Transalbinæ finibus orientalibus quales tunc fuere. Namque Adamus quidem Bremensis *cap. 62* tradit, ita à Carolo & cæteris Imperatoribus divisos à Sclavis Saxones, ut præter alia amnis Suentina in Balthicum mare effusus utriusque populi limes sit. Quod equidem haud negaverim à Carolo ita constitutum circa annum DCCCXI. Annales enim hisce verbis ad annum DCCCIV utuntur: *Imperator in Saxoniam ducto exercitu, omnes qui trans Albim & in Wihmrodi habitabant Saxones cum mulieribus & infantibus transtulit in Franciam, & pagos Transalbianos Abotritis dedit.* Hac ratione videtur omnis Saxonum Transalbina terra Abotris Venedicæ genti cessisse. Ast septimo circiter anno post facta in patriam est exulibus redeundi licentia; atque ita pars priscae Saxoniae videtur ab exilio reversis redita, limitibus illis quos definit Adamus circumscripta. Ea de re legitur in Tabulis illis Ludovici Pij Cæsaris modò laudatis: *Vnde postquam terram Transalbianorum, laxata captivitate, quam ob multam perfidiam in ipsis*

*Christianitatis initiis patratam, per septennium passi sunt, ne locus ille à barbaris ( hoc nomine Danos significatos colligere est ex ijs quæ Annales de Egberto & structa ab illo civitate Effesfelda anno DCCCIX narrant colligere est) invaderetur, Ekeberto Comiti restituere præceperat. Postmodum vero captivis optatam ad patriam undique confluentibus, eandem parochiam cuidam presbytero Herede nomine specialiter commendavit. Antehac autem multo latius patuisse ibi Saxoniam & quidem usque ad Penem & Eldam amnes, haud obscure indicant Tabulæ, quibus ille Carolus Magnus Verdensem Episcopatum primus anno DCCLXXXVI instituit. Etenim extra Saxoniam noluit quidem ille διοίκησιν istam exporrigi, ut ipsæ illæ tabulæ docent: trans Albim tamen eos illi terminos dat, ut facile appareat, latiores tum ibi Saxonum res fuisse, nec à reditu exulibus omnem terram redditam, sed partem longe eximiam ejus Abotritis relictam. Tabulæ illæ hæctenus non sunt publicatæ, eoque forte haud injucundum fuerit ex ipso autographo saltim ea hîc dare quæ ad*  
fines

fines Episcopatus illius Transalbinos pertinent. Dehinc trans Albiam, ubi Bilena merigitur in Albiam; dehinc in ortum Bilena: inde ubi Travena absorbetur à mari: deinde usque quo perveniatur ubi Pene fluvius currit in mare Barbarum: inde in ortum ejusdem fluminis, hinc in Eldam, dehinc in Albiam. Videtur ejus rei memoriae postea datum, ut Pene fluvius terminus Hamburgensis Archiepiscopatus constitueretur, Sclavoniae illius reliquæ sacra curatione Magdeburgensi relictâ: id quod refert Adamus Bremensis *cap. 61.*

Verum hæc obiter. Ad Eidoram Saxoniae atque adeo Francici Imperii contra Danos terminum veterem ut tandem revertamur: etiam quo tempore inter filios Ludovici Pii instituta est divisio illa, annem illum pari ut ante ratione finiisse ibi Francorum ditionem, disertè testatur Witekindus Corbejensis l. i. *Ludovico, inquit, à Rheno usque ad fines Illyrici & Pannoniae, ad Eidoram quoque fluvium & terminum Danorum imperium erat.* Confirmatur idem verbis Annalium Pithœanorum anno 873. Hic enim auctor disertè narrat

D 3

pacem

pacem inter Ludovicum hunc & Danicos reges initam, missis utrinque legatis *ad fluvium Egidoram, qui Danos & Saxones dirimit.* Ut proinde illis quidem utriusque Imperii finibus adversum Danos, nullum amplius dubium superfit.

Inde vero haud dubie mare Balthicum terminavit Francorum Imperium, idque forte usque ad Vistulam. Forte inquam: nec enim certò dixeris fluvium illum ut Prussos ita Polonos etiam à Germanici regni finibus divisisse, cum nihil hujus liquido memorent Annales, & post Carolum Magnum, concidente reipublicæ vi, forte ijs in locis auctoritas Francorum non nihil mutaverit. Verosimile interim est, ad Prussos usque etiam tunc extensam ibi reverentiam, adeoque saltim hætenus mansisse Vistulam regni limitem, utpote qui jam tum Pomeraniam ac Prussiam divisert. Polonia verò cum serius Germaniæ colla subdiderit, ipsa vero cis Vistulam sese porrexerit ad Oderam imo Bojohenum usque, ab oriente illa quidem parte Vistula non potuit esse pro termino. Ut merito forte dixeris, ibi quidem ijsdem

dem illis Germaniæ regnum finibus fuisse tum clausum, quibus etiamnum hodie à Polonia distinguitur: nisi quod Silesia itidem extra fines collocanda veniat, utpote quæ multis demum post seculis à Polonia avulsa sit.

In eodem latere infra Polonos ad Danubium usque observare quidem est fluminis Mari accolas Marahenses, quos plerique nunc Moravos appellant, ditione Francici regni tum comprehensos: ultra autem eos nihil. Quum latius tamen patuerit tum Marahensium ditio, utpote quæ regni nomine venerit, & Zuentepolco rege in ordinem per Arnolphum Cæsarem Ungarorum auxiliis redactò, plurimum amiserit pristinae potentiae, haud licet fines ejus exacte definire, etsi ultra Carpatum montem occupasse Daciae partem per sit verisimile. Infra Danubium vero, ultra Pannoniam illam quæ hodie Austria audit & Illyrici fines, regnum Germanicum videtur isthac tempestate non amplius extensum. Sane in Annalibus illorum temporum non reperias vestigia late protensi, ut Carolina

ætate

ætate, Imperii sive in Daciam, sive in Istriam, sive in Liburniam; multò minus Dalmatiam. Et vero jam tum Ludovico Pio Cæsare, post annum 825, defecisse ibi vim Imperii, atque ita quicquid hujus terræ hæctenus fuerat juris Francici, ab Hunnis sive Hungaris potius, cum primis vero à Bulgaris, ferociente tunc admodum Scytico populo, sensim videtur fuisse occupatum. Itaque ut tantum paucis isthæc complectar: Carintia, Carniola & Marchia Venedica, Marchia item Orientalis, quam hodie Austriam nuncupamus, limitaneæ tum fuerunt, ea quidem parte, perinde ut hodie, regni Germanici provinciæ.

Contra Italiam videntur mansisse regni ejusdem nostri fines illi, qui hæctenus fuerant durante Langobardorum republ. Possederunt autem illi Cisalpina quidem proxima omnia; Inalpinarum autem terrarum parùm, potiore earum parte occupata jam à Bavariis & Alemannis: quemadmodum præclare ab Aventino, Wigulejo Hundio, & aliis proditum est. Transalpinum ijdem nihil habuerunt: nisi quod Foro juliensis Ducis in Stiriam & Carintiam

rintiam usque potentia fuisset diffusa. Verum has binas provincias jam tum Ludovicus Pius ab Italia sejunxerat, indignante licet filio Lothario. Quod Paulo Æmylio recte est observatum. Verba ejus hæc sunt. Lotharius etiam indigne tulerat regnum Italia opesque suas imminutas, abrogato in Stiriam Carinthiamque jure Ducatus Foro Juliensis: per iram Augusti, quod Baldricus Foro Juliensium Dux, Pannonici limitis custos, Bulgaros recentis fœderis immemores vim facientes non arcuisset finium ingressu. Foro Juliensis enim Ducatus viribus firmari res Italicas, Lotharius arbitrabatur. Ea vero res mirum in modum Germanorum in Augustum studia accendit, quod quicquid Lothario Italisque ademptum fuerat id Germanis reddebatur. Hactenus Æmylius. Utramque autem illam regionem, Stiriam ajo & Carinthiam, mansisse in ditione Ludovici Germanici, ex historiis illius ævi clarissimum est. Hoc unico itaque excepto non observare est circa fines antiquos hinc quidem loci insigne aliquid mutavisse. Non legere etiam est, postea aliquando factam circa fines

E

muta-

mutationem. Ut proinde merito dixeris ;  
ijsdem , quibus hodie regnum Germanicum  
continetur , finibus , per illam solennem di-  
visionem Francici Imperij ab Italia illud fuisse  
divisum.

## CAPUT V.

*Non omnia finibus illis contenta in pari obsequio  
tum fuisse ; Et quando quare ratione per-  
petua unio Imperii illius  
cæperit.*

Quantquam vero in hunc modum late tum  
patuerit Germanicum illud regnum , duo  
tamen cum primis sunt observanda. *Alterum*  
est , non omnia hisce finibus conclusa jam  
tum proprie dictas fuisse illius regni provin-  
cias : sed perquam nobilem Germaniæ partem ,  
& quidem pene omnem illam , quam Venedi-  
cæ gentes incoluerunt , vix plus quam comi-  
ter regiam vim observasse ; mox & hac cum  
religione Christiana abjecta , Sclavos plærof-  
que Transalbianos in libertatem sese asse-  
ruisse , adeoque non nisi armis denuo pedeten-  
tim victam Germanici juris vere ac sine con-  
trover-



troverſia eſſe factam: idque ex parte poſt varios caſus ſeculo demum duodecimo & decimo tertio. Quam rem cum præ aliis jam olim ſingulari opere Helmoldus Butzoviensis & Arnoldus Lybecenſis pene σύγχρονοι, & multò poſt omnium pleniffime in *Vandalia ſua* perſecutus fit Crantzius, inde potiffimum fuerit operæ pretium diſcere.

*Alterum* quod merito obſerves eſt, quod illo quidem tempore quando Germanicum regnum diſiſione iſta eſt conſtitutum & ab aliis terris ſeparatum, nondum fuerit cautum de ipſo illo regno non dividendo. Hinc mortuo Ludovico Germanico ſtatim in tria regna, pariſ omnia dignitatis, pro numero filiorum, id quod unus Ludovicus poſſederat, fuit diſiſum. In eare unum duntaxat adducam teſtem; quod plures citare nihil attineat. Eſt ille autem Otto Friſingeniſis l. 6. c. 6. *Ludovici filii conventionem facta regnum paternum dividunt. Et Carolomannus Baiovariam, Pannoniam, Carentanum, Bohemiam, Moraviam: Ludovicus Orientalem Franciam, Thuringiam, Saxoniam, Friſiam, Lotharingiam.*

*giam: Carolus Alemanniam & quasdam civitates Lotharingia, propter vinicopiam, accepit.*  
 Ex quibus verbis simul discere id est quod modo diximus, Venedicas regiones plerasque  
 5 in verarum provinciarum censu minime tum esse habitas. Hac nova autem divisione vere tria regna, quorum uni in alterum nihil esset juris, fuisse instituta, liquido ex ejus ævi scriptis apparet.

10 Verum bono fato accidit, ut statim post modo memoratorum Carolomanni & Ludovici *αβαδων* (si de legitime natis sermo sit) obitum, cum alia tum tria hæc Germaniæ regna in unam iterum rempubl. coaluerint sub Carolo fratre ter-  
 15 tio, qui à corporis obesitate Crassus audit. Et verò exinde summo Germaniæ commodo, nulla Regni, (Germanici quidem, quale illud primum Ludovicus Pij filius nactus est) Germanici inquam regni divisio facta nulla est. Sed & Zuentiboldo Arnolphi nothi filio notho cum Regio titulo cessit quidem anno DCCCXCVI Lotharingia (de regia enim dignitate dubitare cum nonnullis, nos vetant præter alia plurima binæ tabulæ quas exhibet Wilhelmus Heda in historia Epi-  
 20 scopor.

scopor. Trajectensium) paucorum tamen etiam id annorum fuit ; atque ita in corpus Germanici Imperii ipsamet quoque Lotharingia rediit. Num lege lata tamen aliqua publica ita in perpetuum constitutum fuerit, 5 an consuetudine introductum, haud certo definieris. Nec enim legis alicujus superant vestigia in antiquissimis etiam monumentis. Et tamen vix est verisimile, rem tantam sola aliqua consuetudine potuisse stabiliri. Sane 10 cum Carolo Crasso nulli, Arnolpho unicus tantum fuerit legitime natus filius Ludovicus, huic iterum ut & Conrado Franco nulli fuerint filii; haud injuria dixeris, sensum hac ratione id usu fuisse introductum. At verò ob- 51 servare est, etiam in Galliis inter Ludovici Transmarini filios regnum illud præter morem veterem non fuisse divisum, atque idem ex eo usque in Capetana familia semper observatum. Itaque merito suspiceris, utrobique lege tan- 20 dem aliqua divisionem omnem prohibitam. Et quidem factum id in Germania fortassis, statim circa Arnolphi ætatem ; utpote qui primus non tam jure hereditario quam procerum

liberiore consensu regnum fuerit consecutus, legitima sobole Carolinæ familiæ in Germania jam extincta. Certe hac occasione ex procerum consilio ita institutum esse, per mihi fit verisimile. Quod ipsum nonnihil confirmaturo, quod Arnolphus filium Zuentipoldum Lotharingiæ regem constituturus, Wormatiæ in publico Regni conventu consensum Ordinum imploraverit: ceu referunt historiæ.

10 CAPUT VI.

*Imperii Francorum tertiam Lotharii Cesaris portionem paulatim Germanico Regno accessisse; Et quemadmodum hujus pars, quæ Lotharingiæ regnum olim audivit, facta fuerit juris Germanici.*

15 **C**æterum quanto Germaniæ bono prohibita est divisio, tanta felicior illa fuit in dilatandis sui Regni terminis. Enimvero tamen si initio inter illas tres portiones Francorum Imperii ea quæ Ludovico cessit minus  
20 reliquis splenduit; paulatim tamen & ipsa summum decus à cultura accepit, & majestatem ac vim suam cum per omnem illam quæ  
Lotha-

Lothario Cæsari obtigerat partem, tum in vicina alia longe lateque extendit.

Initium fortunæ & augmenti à Lotharingia factum. Erant Lothario Cæsari filii tres: Itaque totidem in regna, ex more ævi, tertia illa pars Francici Imperii divisa est. Ludovico Italia cum Cæsarea dignitate: Carolo Provincia, seu Gallia Narbonensis: Lothario quicquid reliquum fuit paternæ hereditatis trans Alpes, quod sive jam tum sive ab hoc Lothario Regnum Lotharii aut Lotharingia dictum obtigit. Omnia hæc pedetentim cesserunt Germanico juri: initio facto, ut diximus, à Lotharingia.

Mortuo Lothario Rege Lotharii Cæsaris filio, illam omnem occupare quidem nisus est Carolus Calvus Gallicanus, sed repulsus est à fratre Ludovico Germanico. Itaque anno 870 inter duos fratres illos (jure an injuria, cum adhuc viveret heres proximus Ludovicus Cæsar, jam non disputo) duas in partes regnum Lotharingiæ divisum est. Quid tum factum fuerit Germanici, quid Gallici juris, accurate discere est ex Appendice Aimoini & capite

capite sequente à nobis dilucide ac distinctim  
magis exhibebitur. Carolo illo Calvo & filio  
ejus Ludovico Balbo defunctis, cum in Gallia  
rerum potirentur duo filii nothi illius Balbi,  
& legitime natus Carolus Simplex infans esset,  
5 seu injuriis Caroli Calvi & Ludovici Balbi,  
sive quod in Lotharingia res novas molire-  
tur Hugo Lotharii ex pellice Waldrada  
filius, & rebus gerendis Calvi posteritas esset  
10 impar, seu aliis de causis inductus, omnem  
omnino Lotharingiam, etiam illam quam Galli  
per decennium tenuerant, Germanico regno suo  
adjecit anno post octingentesimum octogesi-  
mo Ludovicus Ludovici Germanici filius. An-  
15 nales Francici Pithœani ita hanc rem narrant,  
quasi bona cum filiorum istorum Ludovici Bal-  
bi gratia id factum fuerit. *Rex Ludovicus,*  
ajunt, *in Galliam profectus, filios Ludovici Balbi*  
*ad se venientes suscepit,* (hoc est, in patrocinium  
20 suum recepit) *totumq; regnum Lotharii sua di-*  
*tioni subjugarvit.* Annales Bertiniani distinctius  
rem illam narrantes produnt, consensu procerū  
Franciæ Occidentalis & Lotharingiæ id factum  
esse: quo vim Ludovici ab ipsiusmet Franciæ Oc-  
cidenta-

cidentalibus occupatione, (quam facilem ipsi  
 spondebant Gozlenus Abbas & Chuonradus  
 Comes, viri magnæ auctoritatis ac factiosi,)

5 averterent. *Audientes autem*, ajunt, *Hugo*  
*ac Boso & Theodoricus & illorum socii*, quæ  
 Gozlenus & Chuonradus cum illorum complici-  
 bus machinabantur, miserunt *Vultarium Epi-*  
*scopum Aurelianensem, & Gotramnum & An-*  
 10 *scherum Comites*, ad Ludovicum apud *Viridu-*  
*num*, ut ei offerrent partem de regno *Lotharii*  
*junioris* (Lotharii Cæs. F.) quam *Carolus* (Cal-  
 vus) contra fratrem suum *Ludovicum* (Ger-  
 manicum) ipsius *Ludovici* patrem acceperat:  
 ut acceptâ illâ portione Regni in regnum suum  
 15 rediret, & quod reliquum de regno patris sui *Ca-*  
*roli* (Calvi) *Ludovicus* (Balbus) habuit, filiis suis  
 consentiret. *Ludovicus* verò & sui acceptam  
 habentes talem oblationem, cum dedecore *Goz-*  
*lenum & Chuonradum* ac complices illorum re-  
 20 jecerunt, & accepta Regni portione sibi oblata,  
 ad palatium suum *Franconofurd* rediit. In  
 hunc modum universæ Lotharingiæ compos  
 factus est *Ludovicus* ille *Ludovici Germanici*  
 filius & *Pij Cæsaris* nepos. Et vero ex eo *Hu-*  
 F  
 gonem

gonem Waldradæ filium compescuit, ipsumq;  
Cameracum & omnem pagum Hasbanicum,  
juris antehac Gallici, tenuit; ceu liquet ex verbis  
Pithœanorum Annalium ad annum 881.

Manfit citra controversiam Lotharingia o- 5  
mnis (si excipias defectum inde anno 888 Burgun-  
diæ Juranæ regnum, de quo sigillatim postea)  
in ditione Germanicorum Regum usque ad an-  
num 915, si credimus Sigeberto; aut potius 912, ut  
ex varijs diplomatibus recte colligit Jacobus Sir- 10  
mondus: quando *Carolus Simplex* Galliæ Rex  
*virtute suorum Lotharingiam pene omnem rece-*  
*pit*, ut loquitur Æmylius, & ex illo Joannes Tilius  
in *chronico*. Quod non mirum est accidisse, quia  
fractæ tunc misere erant per Ungaros & civiles 15  
dissensiones Germanici regni vires. Idem  
verò *Carolus* anno 922 *reddidit Lotharingiam*,  
(verba sunt itidem Æmylij pariter & Tiliij) *Ger-*  
*manorum regi, quo majus ab illo auxiliū impetra-*  
*ret*. Illam rem hisce verbis narrat Otto Frisingen- 20  
sis l. 6 Chronici sui cap. 18. *Itaq; cum (secundum*  
*quod utrosque, Germanicos scilicet & Gallicos,*  
*scriptores concordare diximus) Henricus cis Rhe-*  
*num regnaret, & de Belgica cum Carolo disce-*  
*ptaret,*



ptaret, ex voluntate amborum, ad hujus litis scrupulum decidendum, die in oppido Bunne constituta, Belgica Henrico cessit: ac Carolo Celtica tantum & Aquitania, parsque Lugdunensis (Burgundia Regem pro se habente) remansit. Et sic Regnum quod Francorum dicitur, ex paternâ hereditate Belgicam Galliam cum Palatio Aquis & majori parte Francia perdidit. Nihil tamen hujus legas in Tabulis fœderis istius, quas post Sirmondum Aubertus Miræus cap. 25 Codicis donationum edidit. Nihil etiam ejus habet Frodoardus: imò ex chronico ejus constat, Lotharienses proceres in partes primum Roberti inde Rodulphi, quos factiosi contra Carolum Simplicem reges constituerant, inclinasse. Idem tamen sub finem eorum quæ anno 925 contigere, ita scribit: *Henrico* (is erat ille Auceps dictus) *cuncti se Lotharienses committunt: & ipse Berdino Dadonis Episcopi nepoti Episcopium Viridunense concedit. Qui & expulso Hugone presbytero, cui Rodulfus illud dederat, ibidem ordinatur Episcopus.* Et vero hoc demum anno ab Henrico Lotharingiam occupatam, etiam alij Annales

& historici referunt. Quo pertinent quæ nar-  
rat Witikindus *libro 1.* de data Giselberto in  
matrimonium ab Henrico Aucupe Ger-  
berga filia: quo sibi fidam redderet Lotharin-  
giam, novarum aliàs rerum cupidam & turbu- 5  
lentam.

Quanquam autem tunc convenisset, &  
quamdiu quidem Henricus vixit ac Rodul-  
phus rex, omnia integra manserint, h. e. usque  
ad annum 936, paulo tamen post Ludovicus 15  
Transmarinus Caroli illius Simplicis filius no-  
luit acquiescere; sed contra pacta conventa, ut  
ipse fatetur Frodoardus, rebellantes Lotha-  
rienses in clientelam suscepit. Frodoardus  
anno 939: *Lotharienses regem suum Ottonem 15*  
*(Magnum) deserunt, & ad Ludovicum (Trans-*  
*marinum) regem veniunt: qui eos recipere distu-*  
*lit ob amicitiam quæ inter eos, legato ipsius Otto-*  
*nis & Arnolfo Comite mediante, de pacta erat.*  
Ibidem: *Lotharienses iterum veniunt ad regem 20*  
*Ludovicum, & proceres ipsius regni, Gisleber-*  
*tus sc. Dux & Otto Isaac atque Theodericus*  
*Comites, eidem se Regi committunt. Episcopi*  
*vero quoniam Rex Otto eorum detinebat obsida-*  
*tum,*

*tum, Ludovico Regi se committere differunt.*  
 Idē verò Frodoardus notavit, ipso illo anno cum  
 Gisilbertus, caput factionis, Rheno submersus  
 periisset, plærosque Lothariensium ad officium  
 5 & obsequium Ottonis rediisse: & anno 942 in  
 solenni conventu Otthonis & Ludovici re-  
 gum, procerumque utriusque partis, pacem de-  
 nuò & amicitiam constitutam. Ut proinde  
 vel hinc pateat, Ludovicum Transmarinum  
 10 desisse tandē Ottoni Lotharingiæ nomine mole-  
 stus esse: desperatis scil. rebus, & quod Otto-  
 nis potentissimi affinis ope ad suos compes-  
 cendos unice indigeret. Itaque & hac vice  
 iterum ex pacto Gallus jus omne quod præ-  
 15 tendebat, Germaniæ transscripsit. Æmylii  
 ipsiusmet verba sunt: *Francus Rex, affinitate*  
*cum Othone junctus* (Gerberga nimirum Othonis  
 sorore ducta) *Lotharingia spem amisit.* Frisingen-  
 sis l. 6. c. 29. *Rex Otto rursus Belgicam ingredi-*  
 20 *tur, totamque in ditionem accepit. Et ex hinc*  
*provincia illa à Regibus Teutonicorum absque*  
*contradictione possidetur.* Notatu digna sunt,  
 quæ ista de re habent Mejerus & Marchan-  
 tius historici Flandrici, l. 2. historiæ suæ. *Otto*

*Cæsar*, ait Mejerus, *magnum toti Flandria*  
*incussit terrorem, incendiisque ac rapinis qua-*  
*quapossset grassatus, Gandavum populabundus*  
*per-venit. Paulo post: Ad hoc Cæsar terram Qua-*  
*tuor officiorum occupavit, fossamque Hontam* 5  
*duxit, quam Othoniam dixit ac finem Im-*  
*perii esse voluit. Marchantius scribit: Assidua*  
*Arnolpho Flandro ob limites Flandria cum*  
*Francis controversia fuit, magnaue contentio*  
*cum Ottone I Cæsare, validam arcem Gan-* 10  
*davi opponente, fossamque Ottingam ducente,*  
*quam Imperii metatorem limitrophum esse vo-*  
*luit. Est autem Honta vel fossa Othoniana ea*  
*quam hodie Scaldem Occidentalem nuncu-*  
*pamus. Quo apparet, insulam Valacras &* 15  
*Sydbevelandiam, controversi antea juris, per*  
*fossam hanc Germaniæ accessisse. Memine-*  
*runt & alii castri novi Gandæ ab Ottone*  
*fructi, ejusque primi Comitis Wicmanni. Au-*  
*bertus Miræus cap. 35. Codicis donationum no-* 20  
*tat ex chronico ms. Gandensi, huic Comitatus*  
*quatuor villas cum appendicijs fuisse subje-*  
*ctas, quæ hodie quatuor Ambacti vulgò*  
*(Mejerus officia nominabat) vocentur: Aneda,*  
*Bochout,*

*Bochout, Axel & Hulst.* Ut proinde ultra Scaldim limes Imperii fuerit promotus.

Non tamen vel ita omni ex parte quietam reddita tunc fuit ( quod Otto quidem Frisingensis modò dicebat ) Lotharingiæ possessio. Lotharius enim Ludovici Transmarini filius bis Lotharingiam infesto exercitu, jura quæ sua credebat repetitum, invasit, semel anno 977, iterum anno 984, Ottone II. & III. Cæsaribus. Gandam quoque Gallico juri redditam ab illo, colligere est ex tribus illis Tabulis quas exhibet Miræus capite 35, 36, & 37 *Codicis donationum piarum.* Wilhelmus Nangius in Annalibus à Pithœo editis, narrat, ( si recte eum capio ) ita anno 980 rem omnem compositam: ut Cæsar à Gallo in beneficium sive feudum reciperet Lotharingiam. Lotharius (ait) *rex Francorum, contra voluntatem Principum regni sui, Remis pacificatus est cum Othone Imperatore, deditque Othoni in beneficium Lotharingiæ ducatum. Quod magis corda prædictorum Principum contristavit, & maximè Hugonem Capicis Parisiensem Comitem, & Henricum fratrem ejus ducem Burgundia.*

*gundia.* At vero cum nihil tale vel Æmylius  
 habeat, vel alius aliquis accuratior rerum ista-  
 rum scriptor, manifestò patet, monacho illi  
 Gallicano sequioris ævi, qui demum post  
 annum 1300 vixit, adeoque non est idoneus 5  
 testis, credendum non esse. Tilius diserte in  
 chronico, anno 980: *Ad Charum fluvium*  
*ab Ottone & Rege itur in colloquium, ubi jure-*  
*jurando sancitum est fœdus.* Iterum anno 984:  
*Novo Imperatori (is erat Otto III) Rex Lo-* 10  
*tharingia ducatum invadebat, quem cum in-*  
*vasisset paulo post fœdus inierunt.* Neque vero  
 potentiam Ottonis & imbecillitatem Galli  
 æstimanti Nangiana illa narratio poterit  
 facile persuaderi. Ipse Nangius ita loquitur: 15  
*Anno 885, Lotharius rex videns Othonem*  
*Imperatorem, Othonis filium, virtute suorum*  
*militum proficere, mandatis & apicibus ejus ob-*  
*temperans, Vir dunum urbem reddidit, & Godo-*  
*fridum Comitem de carceribus libera vit, tracta-* 20  
*tumque concordia cum patre suo jam pactum,*  
*cum eo stabilivit.* Quæ totidem penè verbis  
 habet Sigebertus Gemblacensis in chronico.  
 A quibus tamen dissentiunt quæ refert Ger-  
 bertus

bertus *epistola* 72. Quid? quod ex Gerberti illius, <sup>epistolae</sup> scriptoris coquetestis locupletissimi, epistolis liqueat, Lotharium Regem non tam de invadenda Lotharingia anno 984 cogitasse, quàm de illa vindicanda ab Henrici Bavari conatibus, in usum Ottonis III adhuc pueri consobrini & sororij sui filij. Id præclare adeo demonstravit doctissimus Blondellus in suo *Barro Campano-Francico pag. 89*, ut solum illum consulere satis sit.

Henrico II Cæsare Balduinus Flandriæ Comes Gallorum rebus addictus, Valentinianas oppidum nobile aliaq; vicina ignobiliora cum occupasset, Cæsar illum quidem valido exercitu domuit: sic tamen quoque ut scribit Æmylius, in conditiones descensum, ut Augustus non Valentinianas modo Comiti relinqueret, sed & Valacras adderet, isque sese beneficiarium, ejus rei nomine, Cæsaris profiteretur. Addit paulo post Æmylius: Pace terris veniaque à numine reddita, Henricus Cæsar Robertusq; Rex (Hugonis Capeti is erat filius) super Charum fluvium cum delectissimis Ducibus Comitibusque ad colloquium congressi sunt; pace fida subsequuta inter Regnum Imperiumq;

G

riumq;

*riumque*. Non multo ante autem scripserat: *Belli inter Francos Germanosque redintegrandi causa fuit, eadem qua sepius antea, incertum adhuc Lotharingia jus*. Et vero jam tum citra controversiam omne illud Lotharii regnum Germaniæ 5 conjunctum erat.

Qvo loco monendum omnino est: Lotharingiam, cum primum uniretur regno Germaniæ, habitam quasi sui juris regnum, sub uno eodemque capite Rege. Recte sane hoc etiam 10 probat is quem ante laudavimus Blondellus pag. 26. & 27. Et vero Otto primus id nominis Imperator diserte sese dixit *Regem Lothariensium & Francigenum*. Verumtamen & ille hoc titulo rarissime est usus, & post illum forte 15 nemo. Sed & ille ipse Regni titulus sensim exolevit jam tum seculo undecimo. Atque ita Lotharingia in unum cum Germaniâ corpus magis magisque concrevit, & communi Imperii Romani titulo cepit appellari. 20

CAPUT



## CAPUT VII.

*Ambitus veteris regni Lotharingici ex Tabulis antiquissimis proponitur: simulq<sup>ue</sup> Barrum Ducis Regno illi jam olim accensitum esse, ostenditur.*

Quemadmodum omne Lotharingiæ regnum, ipsamet Galliâ jus suum cedente, æterno foedere Germaniæ accesserit, & in unum reipubl corpus coaluerit, hætenus diximus. Videtur vero non abs re futurum, si expressiùs nonnihil indicemus limites ejus contra Galliam; ne qua controversia inde oriatur, aut quæ orta est firmis rationibus munita tollatur è medio. Est autem hodie quoque velis non levis de Barri Ducatu: quem juri suo Gallia vindicat, tanquam Gallico in solo extra regnum Lotharingiæ situm, Lotharingica Principum domus Germanico Imperio ceu Lotharingici regni portionem asserit. Partes illas utrinque animose propugnantibus duobus longe harum rerum peritissimis scriptoribus, altero Joanne Jacobo Chiffletio in *Commentario Lothariense*, altero Davide Blon-

Blondello in *Barro Campano-Francico*. Etsi enim jam tum capite tertio de finibus illis allata sint in medium testimonia ex antiquissimis monumentis, simul tamen est monitum, scriptores illos *ει πλατέι* quidem omnia definire non exacte tamen; ut solet fieri ab obiter agentibus. Videtur autem universus ambitus Lothariani regni, quale quidem illud fuit anno DCCCLXX, quàm rectissime omnium posse colligi ex Tabulis illis, quas sæpe jam memoravimus, quibus Ludovicus Germanicus & Carolus Calvus fratres duas in partes omne illud regnum divisere. Eòque commodum fuerit illas hoc loco proponere velut cynosuram. Verum enimvero ex Aimoini quidem Appendice illas non nisi perquam mutilas deprompseris: paulò meliores exhibuit ex Bellovacensi & suo codice Petrus Pithœus: remedium felicius attulit Jacobus Sirmondus in *Capitulis Calvi*: sed & hunc superavit, nisi fallor, Aubertus Miræus. Igitur hujus opera utentes dabimus Tabulas illas, quales habentur *capite vicefimo Codicis Donationum piarum*, explicationibus quas addidit Miræus non omissis.

Anno

ANNO Incarnationis Dominice DCCCLXX  
 regni CAROLI I XXXIII, Indictione III, VI  
 Idus Augusti, inter gloriosos Reges CAROLVM  
 & HLUDOVICUM fuit hac divisio regni  
 facta, in Procaspide super fluvium Mosam.

Et hac est portio, quam sibi HLUDOVICUS accepit.

- 10 **C** Oloniam. *Colen*, ad Rhenum.  
 Treveros. *Trier*, ad Mosellam.  
 Utrech. *Ultrajectum*, ad veterem Rheni alveum.  
 Stratsburch. *Argentoratium*, ad Rhenum.  
 Basulam. *Basel*, ibidem.  
 ABBA TIAM Suestre. *Susteren*, in Ducatu Juliacensi.  
 Berch. *prope Ruremundam*.  
 15 Niu monasterium. *forte Huy*.  
 Castellum. *Kessel*, ad Mosam.  
 Indam. *S. Cornelis Münster*, prope Aquasgrani.  
 S. Maximini. *prope Treveros*.  
 Epheternacum. *Echternach*, opidum & Abbatia in Ducatu Luxeburgensi.  
 20 Horreum. *Treverense monasterium*.  
 S. Gangulfi. *S. Gengoul*.  
 Faverniacum. *Faverney*, Abb. in Comitatu Burg.  
 Polemniacum. *Poligny*, opidum ibidem.  
 Luxovium. *Luxemb*, opidum & Abbatia ibidem.

- Luteram. *Lure*, Abbatia in Alsatia.  
 Balmam. *Baulme les Nonnes*.  
 Offonis villam. *Vellefaux*.  
 Megeni Monasterium. *Moien moustier*, Abbatia in Loth. 3  
 S. Deodati. *S. Dieij*, in Loth. ad Murtham.  
 Bodonis monasterium. *fortè Bodonville*.  
 Stiuagium. *Estiuay*, Abba. in Loth. ad Murtham.  
 Romerici montem. *Miremont in Loth.*  
 Morbach. *Murbacum*, in Alsatia.  
 S. Gregorii. 10  
 Mauri monasterium. *Maur munster*.  
 Eboresheim, *Abbatia*.  
 Homovva.  
 Mafonis monasterium. *Maesmunster*.  
 Homburg. 15  
 S. Stephani Stratsburch.  
 S. Vrsi in Salodoro. *Soleurre*.  
 Grandi vallem. *Grandvaux*.  
 Altam petram. *Haulte pierre*.  
 Justinam. *fortè Mont Iustin*.  
 Vallem Clusæ.  
 Castellum Carnonis. *Chastelc chalon*. 20  
 Heribodesheim. *Abbatia*.  
 Abbatiam de Aquis.  
 Hohenchirche.  
 Augustchirche.  
 COMITATVM Testrebant. *Teysterbans*. 25

- Batua, *Betuvve*,  
 Hattuarias, *ad fl. Neer's* in Geldria.  
 Masau subterior de ista parte, *Onder Maeslands*.  
 Item Masau superior, quod de ista parte est, *Opper  
 Maeslands*.  
 5 Lingas quod est de ista parte, *Liege*.  
 Districtum Aquense, *Aken, Aix*:  
 Districtum Tectis seu Tetis, *prope Spa*.  
 In Ribuariis Comitatus V. *ad Kuram fl.*  
 10 Megenensium, *Meyen*, prope Andernacum.  
 Bedagovva, *Bidburg*, versus *Meyen*.  
 Nitachovva, *ager ad Nidam fl.* in Lotharingia.  
 Sarachovva subterior; *ad fl. Sar*, in Loth.  
 Blesitchovva, *Blis*, versus Treueros.  
 15 Selme, *Salme*, ad Saram fl.  
 Albechovva, *Sar alben*.  
 Suentisium, *Sanctoy* in Lotharingia.  
 Calmontis, *chaumont* ad Mosellam in Loth.  
 Sarachovva superior, *Sargou*.  
 20 Odornense, quod Bernardus habuit. *Darney*, in silua  
*Vosego*.  
 Solocense, *solieu*, in Burgundia.  
 Basiniacum, *Basigny*.  
 Eischovve, *ager Alisiensis vel Elsatius*.  
 25 Warasch, *Comitatus de Varese*.  
 Scudingum, *Salins*, in Comitatu Butg.  
 Emaus.

Basal-

Basalchovva, ager Basileensis.

In Elifatio Comitatus II. *Elfatem.*

De Frisia duas partes.

**D**E regno quod HLOTARIUS habuit super istam divisionem, propter pacis & caritatis custodiam, super addimus istam adjectionem. 5

*Mets.* Civitatem Mettis, cum Abbatia S. Petri & S. Martini & Comitatu Moslensi, cum omnibus villis in eo consistentibus, tam dominicatis quam & vasallorum. De Ardienna, sicut flumen Urt a surgit, inter Bislanc & Tumbas, ac decurrit in 10 Mosam: & sicut recta via pergit in Bedensi, secundum quod communes fideles nostri rectius invenerint, excepto quod de Condustro est ad partem Orientis trans Urtam. Et Abbacias Prumiam, & Stabolau, cum omnibus villis dominicatis & vasallorum. 15

*Condron.*  
*Prum.*  
*Stanelo.*

Et hac est portio quam CAROLVS de eodem regno sibi accepit.

**L** Vgdunum *Lion.*  
Vesontium. *Besancon.*  
Viennam. *Vienne.*  
Tungris *Tongre.*  
Tullum. *Toul.*  
Viridunum. *Verduil.*  
Camaracum. *Cambraj.*

Viuaras

VIVARIAS *Vivarez.*

Vcetia. *Vicz.*

Montem Falconis. *Mont faulcon ad Mosam.*

S. Michelis. *s. Miel* in Lotharingia.

5 Culdini monasterium. *Col moustier.*

S. Mariæ in Bisfontione. *Jussanum monasterium.*

S. Murtini. in eodem loco.

S. Eugendi. *s. Oyan de Joux* vulgò *s. Claude.*

S. Marcelli. *à Chalon.*

10 S. Laurentii. *s. Laurens* in Comitatu Burg.  
Leudense.

Sennonem. *sinone* Abbatia in Lotharingia.

Abbatiam Mellam.

Melbarium.

15 Laubias. *Lob* ad Sabim.

S. Gaugerici. *prope Cameracum.*

S. Saulii. *prope Valentianas.*

Crispinio. *Crespin*, in Hannonia.

Fossas. *Fosse*. in d. Leodiensi.

Marilias. *Marolles*, in Hannonia.

20 Hunulcort. *Houncourt*, in dicecesi Camer.

S. Seruatii. *s. Servas*, à *Maestricht.*

Malinas. *Malines*, ad Demeram.

Ledi. *Lier*, in Brabantia ad Netam fl.

25 Sunniacum. *Soignii*. in Hannonia.

Antonium. *Antoin*, prope Tornacum.

Condatum. *Condè*, in Hannonia.

H

Merres

- Merrebecchi. *Meerbeke*, prope Ninoviam.  
 Ticlivinni. *Dikkelvenne*, prope Gerardi montem.  
 Luitosa. *Leuse*, in Hannonia.  
 Calmontis. *Calmons*, in d. Leod. 5  
 S. Mariæ in Deonant. *Dinant*.  
 Echa. *Eyck*, prope Maseicam.  
 Andana. *Andonne*.  
 Wasloi. *Vasley*, in Fania.  
 Altum montem. *Hault mont*.  
 COMITATUM Texandrum. *Kempenlandt*.  
 In Brachbanto Comitatus IV. *Brabant*. 10  
 Cameracesium. *Pays de Cambresy*.  
 Hanioum. *Hainau*.  
 Lomensium. *vers Namur*.  
 In Hasbanio Comitatus IV. *Hasbaigne*. 15  
 Masau superior de ista parte Mosæ. *Maeslandt*.  
 Masau subterior, quantum de ista parte est.  
 Liugas, quod de ista parte Mosæ est, & pertinet ad Ve-  
 satum. *Liege, Viset*.  
 Scarbonense. *Scarbonne ad Mosellam in Loth*.  
 Viridunense. *Le Verdunois*. 20  
 Dulminse.  
 Arlon. *in Ducatu Luxemburg*.  
 Vaurense Comitatus II. *Terre de la Fajure ad Carum st.*  
 Mosminse. *Mouzon*.  
 Castricium. 25  
 Condrust. *Condrence*.



De Arduenna sicut flumen Urta surgit inter Bislanæ & Tumbas, ac decurrit ex hac parte in Mosam: & sicut recta via ex hac parte Occidentis pergat in Bedensi, secundum quod Missi nostri rectius invenerint.

Tullense. *Toul.*

Aliud Ordonense, quod Termarus habuit.

Barrense. *Barrois.*

Portense. *Portiam.*

10 Salmoringum. *semurre in Ducatu Burg.*

Lugdunense. *Le Lionnoys.*

Viennense. *Le Viennois.*

Viuaris. *Vivarez.*

Vcetiam. *Vsez.*

De Frisia tertiam partem.

Hactenus Tabulæ & quidem ex Miræj editione, ac cum ejusdem explicatione nominum antiquiorum. Quamvis enim in multis Miræus haud nobis satis faciat: cum tamen instituto nostro parum aut nihil referat, nolimus quidquam mutare, in commodiorē forte locum 10 operam istam relegantes. Tantum monemus: in recensione illa ordinem istum observatum, ut primo loco Episcopatus, secundo Monasteria, tertio Comitatus, veniant. Id  
H 2 quod

quod cur ita factum sit, haud aliam fortasse causam attuleris, præter insignem Archiepiscopaliū ac Episcopaliū locorum, ut & Monasticorum bonorum præ reliquis tunc dignitatem & pretium: quodque ea ætate in omni Lotharii 5 regno nullus Dux aut Marchio reperiretur, primo Duce instituto ab Henrico Aucupe. Verum de hisse pro instituto satis.

Dicendum nunc etiam est de BARRO, quod Ducis, ad differentiam Barrorum aliorum<sup>10</sup> ad Albam & Sequanam, appellatur, num Lotharingiæ regni pars sit nec ne. Paucis verò tantum rem proponemus, quod latius cum alii tum quos ante laudavi duo illi, præclari sane scriptores, Chiffletius & Blondelluseo de argumento jam disputaverint. Igitur possit forte cui videri Barrum, saltem quo tempore conditæ sunt Tabulæ, Gallici fuisse juris; idque quoniam & in Tabulis nulla ejus fit mentio, & quia à scriptoribus antiquis Mosæ limes Gallici & Lotharingici regni perhibetur. At horum quidem nihil merito quem turbet. Non prius: illa enim tempestate quei potuisset Barrum in censum venire,

venire, quum demum arx ibi Barri nomine à Friderico Duce sit constructa, ut recte probat Chiffletius, idque observante ipsomet Blondello anno circitur 954? Non posterius. Nec Mosam, nec Scaldim, nec Rhodanum enim adeo stricte omnia finiisse, ut nihil in alteram ripam excurrerit, affirmare utique nos cogunt ipsæ illæ Tabulæ & alia veteris ævi monumenta: quod jam tum audivimus. Majus prælidium Galli merito collocant in illis Frodoardi verbis, ad annum 952: *Fridericus Adalberonis Episcopi frater, qui filiam Hugonis Principis sibi desponderat, in hoc regnum veniens munitionem in loco qui dicitur Banis, inconsulto Rege vel Regina constituere cœpit, & loca circumposita crebris depredationibus diripit. Pro qua re valde molestus Rex Ludovicus legationem suam dirigit ad Othonem &c. Legati Regis Ludovici ab Othone regressi, nunciant: nolle imò prohibere Othonem Regem, ne Fridericus vel aliquis suorum ullam munitionem in regno habeat, nisi consensum Regis Ludovici super hoc sibi obtinere queat.* Ex quibus verbis fateor equidem manifesto

constare, castrum quod illo anno exstruxit Dux Fridericus in solo Gallico fuisse conditum. At Banis illud castrum esse Barrum, non sane Gallorum quisquam probavit hactenus. Imo ipsemet Blondellus pag. 9. *contra communem suorum sententiam*, Fanis scribendum existimat, quemadmodum & in ms. quodam legi notaverat jam Pithœus: Fanis autem esse *Fains*, ubi Renatus Dux anno 1508 decessit, octavo circiter à Mosa milliari ad Ornæ lævam situm, & Barro proxime Septentrionem adjacens. Blondellus quidem etiam ex illa vicinitate Barri & Fanis conatur verosimile reddere, ut Fanem ita & Barrum in solo esse Francico. Quis nescit vero, ea quæ in confiniis sunt vicina diversorum sæpe jurium esse?

Ex adverso longe complura Barrum Lotharingiæ asserunt. *Primo* enim ipsemet Blondellus p. 7 ex Historia Foundationis Abbat. S. Michaëlis hæc verba adducit de Duce Friderico: *anno 954. de tertia parte possessionum Abbatie S. Michaëlis castrum Barrum casavit.* & pag. 6 repetit producta à Chiffletio ex Brunone

Tul-

Tullensi & Herculano de primo castri illius  
 Barri exstructione. In quibus omnibus, ut  
 & in Frodoardo aut quo alio scriptore, le-  
 gere nihil quidquam est: repugnante id Gallo  
 aut consensu ejus impetrato factum esse. Audi-  
 vimus vero jam tum, & Ottonem vetuisse ar-  
 cem à Friderico condi in fundo Gallico, &  
 cum Fanim ille struxisset ægre id tulisse Gallum,  
 conatus illos improbante simul Ottone. Nisi  
 10 Barrum itaque fuisset in fundo Lotharingico,  
 non profecto illud tulisset Gallus. Tantum  
 Gerhardus Tullensis Episcopus conquestus  
 est apud Ottonem, quod in prædio Tullensis  
 ecclesiæ Fridericus se invito arcem struxisset:  
 15 à quo Dux satis facere jussus (verba sunt Bru-  
 nonis Tullensis) pro pervasione prædii, mutua vi-  
 cissitudinis conditione, duas Abbantias Medium  
 monasterium & Galileam, cum aliquot villis  
 patrimonii sui contradidit ei, ut posset ipse paci-  
 20 fice possidere quod præsumpserat sibi.

Secundo. Si Barri solum non fuisset jam  
 tum Lotharingicum, ad Campaniam utique  
 pertinuisset. Et sane contendit Blondellus  
 Barrum Campano-Francicum esse. At vero  
 diserte

diserte ita loquitur Bruno Herculanius  
 Chronici S. Deodati scriptor. *Cum Comes  
 Campania Belgica incursionibus & rapinis Lo-  
 tharingorum agros popularetur, Fridericus  
 Dux Lotharingorum nihil prius habuit, quam* 5  
*in praedio Episcopi Tullensis (cum nullus com-  
 modior locus sese offerret) Arcem sive propugna-  
 culum sibi construere, & forti munire praesidio,  
 quo non tam facilem aditum, ut prius, Comes ad  
 Lotharingos haberet: quod ampliatum & in op-<sup>10</sup>  
 pidum redactum usque hodie Barrum Ducis  
 vocatur. Cui autem verosimile fiat, arcem in  
 solo Gallico imo ipsa Campania contra  
 Gallos & Campanos structum, illis haudrecla-  
 mantibus?*

15

*Tertio: quod momenti est maximi. Ne qui-  
 dem à Blondello omnis illius antiquitatis  
 diligentissimo scrutatore, vel levissimum po-  
 tuit indicium adferri, non dico exerciti sed ne  
 quidem praetensi à Galliae regibus juris in Bar-<sup>20</sup>  
 rum, ante annum 1301: quando Philippus  
 Pulcher Rex Henricum Barri Comitem bel-  
 lo victum vi compulit ad hominum li-  
 gium sibi praestandum. Utiqve autem per-  
 inte.*

integros trecentos & quinquaginta annos saltem  
 aliquid contigisse par est, quod dignum memo-  
 ratu censuissent annales. Adducit quidem ille  
 pag. 17. & 18. nonnulla; ut, quod Rex Ludovicus  
 5 Sanctus seculo decimo tertio Henricum Barri Co-  
 mitem miserit Venetias; & inter Theobaldum  
 Campanum Navarrae regem & Henricum iudex  
 sederit. Sed prius quidem illud nihil ad rem  
 facere, cuius facile liquet: quidni enim Imperij  
 10 Princeps poterit esse in ministerio Gallico? Con-  
 stat vero etiam manifesto ex ipsiusmet Ludovici  
 Regis Tabulis, in Regem à litigantibus fuisse  
 compromissum, adeoque regem illum non fuisse  
 ordinarium iudicem. Eadem illa Blondelliana ni-  
 15 hil faciunt ad probandum, Barrum fuisse feudum  
 quondam Campaniae Comitum: ut ut ex Regesto  
 veteri chartarum Comitatus Campaniae adferat  
 verba, quibus Barri Comes appellatur Campaniae  
 Comitis *fidelis*. Nec enim ijs indicatur, Barrum  
 20 ipsum fuisse in illo fidelitatis iure, sed Barri Co-  
 mitem; qui scilicet tenuit quaedam simul Campaniae  
 bona. Imò si Barrum fuisset feudum Campanicum,  
 quo iure potuit Philippus Pulcher Rex ad ligium  
 I homi-

hominium sibi præstandum Barri Comitem anno 1301 compellere ; cum tamen Comitatus Campaniæ demum anno 1335 ipsomet Blondello teste p. 19 , coronæ Gallicæ sit unitus ? Tenuisse autem Barrensem Comitem nonnulla concessione Campanorum , ipse Blondellus pag. 17 testatur , quando notat , *anno circiter 1150 Agneti filie Rainaldo Comiti Barrensi nupta Lineium castrum cum territorio adiacente dotis nomine donasse Theobaldum magnum Campaniæ Comitem Palatinum.* Nec verò potuit Blondellus indicium Campanici feudi in Barrensi familia invenire antiquius anno 1224 , quodque adeo non sit posterius dono illo Theobaldi.

E contrario haud levia in antiquis monumentis supersunt etiamnum vestigia juris Germano-Lotharingici in Barrum exerciti. Id quod *Quarto* loco est notandum. Utique enim qui primi struxerunt Barrum & possederunt Lotharingiæ Duces , clientes fuere Regum Germaniæ non Franciæ. Diploma fundationis monasterij S. Michaelis in Barro monte subscripta habet hæc verba : *datum*  
*anno*





οὐ γὰρ ἔστιν illi rei scriptor in vitâ Conradi Salici  
 ita loquitur : Eodem anno præfatus Odo de  
 Francia in regno Imperatoris quadam loca in-  
 vadens , à Gozilone Duce Lotharingorum , &  
 filio suo Gothesfrido , & Gerharδο Comite , atq; à 5  
 militia Episcopi Metensis , pugna commissa  
 cum illo , fugiendo interfectus est. At vero  
 nihil , quod quidem alicujus esset momenti ,  
 occupaverat Odo præter Barrum : ac proinde  
 fuit illud tum in regno Imperatoris. Idem sub- 10  
 indicant hæc Sigeberti : Anno 1036 Odo con-  
 tra Imperatorem rebellans Lotharingiam in-  
 cursat , castella oppugnat , urbem Leucorum , quæ  
 Tullus dicitur , obsidet , & in nullo temperat fu-  
 rori suo. Anno 1037 Odo Barrum castrum 15  
 obsidet & capit. Gothilo Dux agre ferens  
 insolentiam Francorum , cum Lotharin-  
 gis occurrit Odoni , & conserto prælio apud Bar-  
 rum Odo perimitur , & Francorum exercitus  
 gravi cade attritus à Lotharingia fugere com- 20  
 pellitur. Hæc inquam subindicant , Barrum  
 tunc habitum Lotharingiæ partem. Cæsus  
 enim prope Barrum Francorum exercitus Lo-  
 tharin-

tharingiam fugâ dicitur deseruisse. Blondellus  
 quidem vult, factam cædem in diœcesi Cata-  
 launensi, adeoq; in Comitatu Campaniæ ipso.  
 Sed is quem adducit testem Glaber non id  
 5 scribit: sed tantum, lacerum Odonis cadaver  
 à Catalaunorum Præsule uxori redditum.  
 Is scil. in loco prælij inter cadavera fecerat il-  
 lud investigari. Non obscure autem eodem  
 quo Sigebertus modo loquitur Paulus Æmy-  
 10 lius, negotium hoc omne narrans in Hen-  
 rico I Rege: ut accurate inspicientibus facile  
 apparebit. Dignum memoratu etiam est,  
 quod ex Alberico recitat Chiffletius pag. 6:  
*Imperator Henricus (anno 1113) Belgas ingres-*  
 15 *sus Rainoldum Comitem, hostem judicans, bello*  
*petiit; quem in castro Barro, in TER-*  
*MINO REGNI sito, obsidione clausum,*  
*ad ultimum cum expugnato castro in deditio-*  
*nem accepit & captivum abduxit. Idem*  
 20 *paulò post: Interveniens pro Comite*  
*Barri Rainoldo de toto Regno nobilissimis con-*  
*sanguineis, Imperator eum custodia solvit &*  
*cum omnibus suis, ut sibi cognatum, ad propria*  
*remisit: tantummodo hominum sibi ab eo susce-*  
J 3
pit.

*pit.* Clarum sanè est *Regni* nomine non Gallicum sed quod Imperium alias dicitur intelligi: & tamen diserte Albericus agnovit, Barrum fuisse situm *in termino*, non extra Regni terminum. Ad hoc quia fas fuit Cæsari, Barrum & obsidere 5 & expugnare, Gallo id non ægreferente: magno sane hoc indicio est juris in Barrum Cæsarij. Porro hominium sibi à Barri Comite præstari fecit Cæsar; idque, ut diserte scribit Wasseburgius, *pro castro Barro.* Rainaldum enim 10 Comitem *libertati sine pretio assertum fuisse, interventu precibus & favoribus Principum & nobilium aula Cæsarea, prestitisse tamen hominium & fidem Imperatori pro castro Barro, quod in feudum se possessurum promisit; ut scri-* 15 *ptum reperitur in historiæ civitatis Viridunensis.* Blondellus *pag. 13.* non admittit Wasseburgij hoc testimonium, ut Francici regni hostis ac scriptoris nudius tertius nati. Audivimus verò illum secure provocare ad Annales Virdu- 20 nenses: quorum auctorem non profecto licuerit illis nominibus à testimonii dictione rejicere. Alios jurisdictionis Cæsareæ in Barrum ex veteri illo ævo actus adferre, nihil attinet.

*Quinto*

*Quinto* loco haud injuria collocaveris; quod Barrum jam olim habitum fuerit pars pagi Tullensis, hic autem regni Lotharingici. Posteriùs liqvet ex Tabulis modò productis: ubi Tullense dilerte numeratur inter ea, quæ Carolo Calvo obvenerunt. Tullense autem Tullensem districtum utiq; significat. Prius verò longe disertissime scribit Glaber Rodulphus, homo Gallus isqve vetus, l. 3. cap. 9. sub finem: *Conscendit*  
 10 *Odo in Tullensem pagum, quem jam saepius depopularat, IBIQUE oppugnans cæpit Barrense castrum, cum magna direptionis eversione totius provincie.*

Mitto alia quæ argumentum hoc aliàs probare possent: quum ex hisce in medium allatis jam tum neqveat amplius esse obscurum, antiquum Imperii jus in Barrum: utut forte nonnihil illud detrimenti post annum millesimum trecentesium sit passum.

## CAPUT IIX.

*Ipsam Franciam Occidentalem in obsequio quidem fuisse Germaniarum regum, sed non nisi brevi momento & leviter: eoque in illam Imperio Germanico nihil solidi juris acquisitum esse.* 5

**N**on numerabo inter illius temporis acquisita Germaniarum bona Franciarum ipsiusmet Occidentalis regnum: parum tamen abfuisse quin rursus accederet, certum est.

Primum fere id serio tentatum fuit ab obitu statim Ludovici Balbi Regis: cum is decessisset nondum legitima nata subole, & res Francicarum interim summo in periculo versarentur. 15  
Narrat enim Sigebertus, anno 880 Rege illo mortuo, de Regno illius Francos varie sensitisse: aliis illud filius Ludovici Balbi ex concubina deberi judicantibus: aliis Bosoni Provinciae regulo ad illud injuste invadendum assentientibus: aliis vero illud regno Germaniarum refociare volentibus. 20  
Jam tum *cap. VI* ex Annalibus Bertinianis nar-  
ravimus, quosdam procerum Francorum confiliatum agitasse, de tradendo Regno illo Ludovico

dovico Ludovici Germanici filio : Sed hunc  
 receptâ integrâ Lotharingiâ à Francia ista  
 manum abstinuisse. De illo negotio ita  
 loquitur Abbas Prumiensis : *Ludovicus qui*  
 5 *Austrasiis imperabat , cognitâ morte æquivoci*  
*sui (Ludovici Balbi) regnum illius invadere di-*  
*sposuit, & transvadata Mosa imperii fines oc-*  
*cupavit. Cui occurerunt duo memorati fratres*  
*(filij nothi Regis Balbi) cum valida manu. Sed*  
 10 *intercurrentibus vicissim legationibus nequa-*  
*quam pugna committitur, sed pax roboratur.*  
*Adolescentes, quò impetu fœderatus ab eo rece-*  
*deret Ludovicus, portionem regni Lotharii,*  
*quam avus (Carolus) paterq; (Balbus) tenuerat,*  
 15 *ex integro illi concesserunt, additâ insuper Atre-*  
*batis Abbatia S. Vedasti.*

Verum quod Ludovicus noluit, accepta-  
 vit frater ejus Carolus Crassus : idque non  
 vi, non armis, sed communi procerum Fran-  
 20 ciæ illius consensu. Sigebertus ita loquitur :  
*Anno DCCCLXXXV Karlomanno Francorum*  
*Rege (Balbi notho filio) mortuo, Northmanni*  
*Franciam repetunt; dicentes se cum Rege Fran-*  
*corum tantum non cum Francis pacis pegigisse*  
 K *pactum.*

*pacem.* Hinc compulsi Franci, Karolum Imperatorē ad auxiliandum sibi invitantes, Franciam ei subijciunt. Similiter Otto Frisingensis l. 6. 8: Occidentales Franci Principibus amissis (Ludovico & Carolomanno filijs Balbi) Karolum Imperatorem, qui tunc solus ex stirpe Karolorum superesse videbatur, ultrò invitant, eique venienti subijciuntur. Supererat tunc quidem adhuc ex Ludovici Balbi filijs Carolus, isque legitimo natus matrimonio, Simplex qui audit. Verum cum per infantiam rebus esset regendis impar, & respublica virum fortem quæreret quem Normannis opponeret, vulgòque omnibus tunc esset persuasum: flagitante rei-publ. usu licere proceribus nullas observare regiae hereditatis leges: meritò dixeris Carolum Crassum jure optimo Franciæ illius plenum imperium sibi acquisivisse, quum in electionem ejus omnes consensissent. Neque enim fit vero simile, quod nonnulli volunt) Carolum illum tutorio tantum nomine regno isti præfuisse. Unius Alfonsi Delbencj Episcopi Albiensis scriptoris Gallici ex *l. de gente ac familia Hugonis Capeti*, lubet verba tantum in

testimo-



testimonium adducere : *Carolus Crassus Regnum per quatuor annos, non tutorio nomine neque procuratorio, sed summâ potestate administravit.* Propugnavit idem nuper Jacobus Alexander Tenneurius libro Parisiis ante biennium edito, titulo *Veritatis vindicata* parte 1. cap. 8. art. 1. Non temere tamen negaverim, Crassum simul Simplicis Caroli tutorem egisse. Ita sane intelligendus videtur & Guido Basochius, de Crasso & Proceribus Gallicanis loquens ad Annum 885 : *Imperatori predicto Regnum puerumq; committunt.* Item Anno 888 : *Carolus Imperator, levis, animoq; remissus, cum ad gubernandum Regnum simulque Imperium se non sufficere metiretur, tutelam pueri, (videlicet Karoli Simplicis) cum Regni procuratione, committit Odoni filio Roberti Andegavensium Comitis; quia virtute militari prestare ceteris Regni principibus, morumque & corporis elegantia, videretur.*

Crasso dignitatibus omnibus exuto Regē quidem proprium, & quidem illum ipsum à Crasso Cæsare tutorē regni datum, Odonem constituerunt. aulī sunt Francici proceres; non tamen nisi

consensu Arnolphi Germaniæ Regis implorato.  
 Hinc Otho Frisingensis l. 6. cap. 2 : *Occidentales Franci Odonem, Roberti filium, virum fortē,*  
**CONSENSU** Arnolphi Regis Regem creant.  
 Idem cap. ii de Arnolpho : *Occidentalem Fran-* 5  
*ciam Odo ejus* **AUTORITATE** habuit.  
 Regino ut & Annales Metenses ad annum 888 :  
*Interea Galliarum populi in unum congregati,*  
*cum CONSENSU* Arnolphi, Odonem Du-  
 cem filium Roberti, virum magnum, cui præ 10  
*cæteris formæ pulchritudo, & proceritas corpo-*  
*ris, & virium sapientiæque magnitudo inerat,*  
*Regem super se pari consilio & voluntate creant.*  
 Illum Arnolphi consensum tacuit quidem Pau-  
 lus Æmylius, ita tamen loquitur : *Arnulfus* 15  
*Augustus salutatus Francia quoq; regem se di-*  
*ctabat, resq; pace belloq; gerebat; cum maxima*  
*procerum pars, Balduino Flandria Comite ac Ful-*  
*cone Rhemensis Archiepiscopo reclamante, Odo-*  
*nem tutorem Caroli Simplicis regnare jubent.* 20  
 Alij nonnihil explicatius hæc tradunt. Her-  
 mannus Contractus : *Anno 888, Odo Arnol-*  
*phum Regem Franciam petentem HUMILI-*  
*TER* adiens, & benigne susceptus, **PER-**  
**MISSO**

MISSO eius invasum retinuit regnum. Annales  
 Francorum Fuldenses Anno 888: His audi-  
 tis Rex (Arnolphus) Franciam petiit, habi-  
 toque ad Franconesford generali conventu, dispo-  
 5 suit adventare Wormatiam. Quod Odo com-  
 periens, salubri utens consilio, contestans se malle  
 Regnum suum cum GRATIA Regis pacifice  
 habere, quam ulla jaectantia contra ejus FI-  
 DELITATEM superbire; veniensque HU-  
 10 MILITER ad Regem, gratanter recipitur.  
 Rebus ab utraque parte prout placuit prospere  
 dispositis, unusquisque reversus est in sua. Witi-  
 chindus Corbejenlis l. 1: Huic (Arnolfo) Odo di-  
 adema & sceptrum & cetera regalia ornamenta  
 15 obtulit, imperiumq; domini sui (Caroli Simpli-  
 cis, ut accipio) GRATIA Imperatoris Ar-  
 nolfi obtinuit. Et vero mansit in obsequio  
 Arnolphi Odo, nisi quod anno 893 in partes  
 Caroli inclinaverit Arnolfus. Regino: Carolus  
 20 vires Odonis ferre non valens patrocinium Ar-  
 nolfi supplex exposcit. Aestivo siquidem tempore  
 jam dictus Rex conventum publicum Worma-  
 tia civitate celebravit: ubi CAROLUS venit,  
 & Arnolfum magnis muneribus sibi conciliat,  
 K 3 regnum-

regnumque quod usurpaverat EX EJUS  
 MANU PERCEPIT. Jussum est et-  
 iam ut Episcopi & Comites qui ad Mosam  
 residebant, illi auxilium ferrent, & eum in re-  
 gnum inducentes, in sede regia inthronisarent. 5

Addit: Sed neutrum horum illi quicquam  
 profuit. &c. Unde Hermannus Contra-  
 ctus Anno DCCCXCV: Arnolfus Rex cum Odo-  
 ne Galliarum Rege ad se veniente pacem firmat:  
 Caroloque filio Regis Ludovici Balbi non multo 10  
 post venienti & munera offerenti, auxilium de-  
 negat. Regino item ipsemet: Odo rex cum  
 magnis muneribus ad Arnolphum venit: à quo  
 honorifice susceptus est: omnibusque impetratis  
 pro quibus venerat, in Regnum revertitur. 15

Verum enimvero hæc quoque Germa-  
 nici regni reverentia cum Arnolfo rege anno  
 999 penè interiit. Nec enim sive Ludovico  
 sive Conrado Regibus Germanicis obsequium  
 ullum Galli detulerunt. Imò integrum il- 20  
 lis Lotharingæ regnum subtraxere, & sui  
 illud juris facientes Caroli Simplicis auspicijs.  
 De Carolo tamen illo Sigebertus Gemblacen-  
 sis ad annum 922, sive 23, potius, ita narrat,

Karo-

Karolus rex Francorum, cum auxilio Lothari-  
 ensium, juxta urbem Sueffionis pugnans contra  
 Robertum fratrem Odonis regis, qui contra  
 se regnum Francorum invaderebat, cum multis  
 speremit, & SE & FRANCIAM Henrico  
 Regi (Germanico, Aucupi dicto) SUBMIT-  
 TIT. In pignus perpetui fœderis & amoris  
 mittit manum pretiosi martyris Dionysii Pari-  
 siensis, auro gemmisq; inclusam. Nihil hujus ha-  
 bet Frodoardus. Id tamen satis clare significat:  
 10 victoriam illam de Roberto perempto insignio-  
 re clade corruptam; usque adeo averfis à Carolo  
 procerum omnium animis, ut novum regem  
 Rodolphum Burgundum non dubitaverint illi  
 20 opponere, & fraudibus circumventum Caro-  
 lum in custodiam dare: adeoque coactum quasi  
 Carolum post dubium illud prælium ultra  
 Mosam sese transferre. Æmylius tantum hoc  
 refert: A Carolo oratores missos ad Henricum  
 15 Germanorum regem (is erat quem Aucupem ap-  
 pellitant) qui Lotaringiam ei redderent, novaq;  
 auxilia peterent. Nec Witikindus porro aut  
 alius aliquis temere, id quod Sigebertus, refert.  
 Eoque vereor ne, ex hostium Caroli calum-  
 niis

nijs fortasse accepta sit illa Sigeberti narra-  
 tio. Et vero Æmylius quoque docet, ami-  
 citiam Henrici Regis nostri & Caroli in ca-  
 lumnias ejusmodi Gallorum incurrisse,  
 Æmylij verba sunt: *Henricus cum Franco* 5  
*rege fœdus icit, eique poscenti Germanorum co-*  
*pias auxilio misit contra adversariam factio-*  
*nem: Germanisque magis quam suis sese*  
*credebat communiebatque Simplex. Ea res no-*  
*vam illi flammam invidia apud Francos conci-* 10  
*liavit. Auxitque eam mox, quod credebatur in*  
*animum induxisse, se FRANCIAMQUE*  
*Henrico Germanorum Regi subijcere, ne bello à*  
*Germanis vexaretur, sed eorum auxiliis si opus*  
*esset juvaretur. Id vero universa nobilitas* 15  
*Francorum non ferens, ad emulum regni Rober-*  
*tum studia viresque inclinavit. De prælio ipso*  
*mox agens & præcipue de Roberti rebus:*  
*alterum (Robertum) commendabat recens sa-*  
*crum, sua virtus, Odonis fratris memoria,* 20  
*avi mors pro Francorum rebus obita, ac causa*  
*belli suscepta in vulgus jactata, libertas, nomenq;*  
*Francorum hætenus gentibus nobilissimum, ne*  
*Germanis regibus, ne Augustis exteris servirent.*  
 Igitur

Igitur ut agitaverit forte consilia ejusmodi Carolus, num tamen Galliam Henrico subjecerit, incertum arbitror. Certe caruit res successu, reluctantibus omnibus Franciæ proceribus, captivo Carolo ipso, & Henrico nihil tale moliente sed sola Lotharingia contento, dum eam ipsi firmata pace permitteret rex novus Rodulfus.

Haud legas porro, omni secuto tempore vel Galliæ regnum in obsequio Germaniæ Cæsarium fuisse, vel litem aliquam hinc Galliæ à Germanis motam. Nec vero moror illa à Chiffletio adducta in Vindicijs Hispanicis *pag. 118.* Namq; Otto IV Cæsar à Franco nobiliores Galliæ urbes petiit, sed promissionem ludicram non Imperio sed sibi privatim factam prætexens, simulque infelici prælio est victus.

Ottonis illud insolens facinus emendavit longerectius & prudentius Fridericus II Cæsar anno 1212. Rigordus Monachus libro de gestis Philippi Augusti Franciæ Regis: *Eodem anno celebratum est colloquium inter eundem Fridericum & Philippum, magnanimum Regem Francorū, apud Vallem Coloris, Metensi Episcopo mediante; cui tamen non interfuit ipse Rex sed Ludovicus filius*

lius ejus primogenitus cum magnatibus Regni. Et percusserunt fœdus inter se, & renovarunt **AMICITIAS PERPETVAS, SICVT EVERVNT** inter se eorum pradecessores. Fraxineus Francisci Regis ad Ordines Imperii orator, 5 non dubitavit (teste Sleidano l. 24) profiteri fœdus illud perpetuæ amicitiaë inter Imperium & Franciæ Regnum, *Philippum Augustum aureis describi litteris & sanctiore loco reponi jussisse.*

Quod de Henrico VI Rogerus de Hoveden 10 scribit: *Notum erat Regi Angliæ, quod predictus Imperator super omnia desiderabat, ut Regnum Franciæ Romanorum Imperio subijceret: id dubiæ est fidei, certe irriti voti fuit.*

Verius & rectius est; à Bonifacio IIX Papa 15 proscriptum *Francorum regnum, velut solio vacuo, juri ditionique Imperii Augustorumque attributum & adjudicatum*: quæ verba pene sunt Pauli Æmylii in Philippi Pulchri historia. At primùm indicat hoc ipsum, Imperio nul- 20 lum fuisse jus antiquum in Galliam, alioquin enim dono Papali novo haud fuisset opus. Deinde, ab Imperii Ordinibus aut

Cæsa-



Cæsare Alberto non fuit munus illud Papale  
 acceptatum. Nec Papæ fas fuit aliena regna  
 pro arbitrio donare & imperia transferre.  
 Itaque nec ex illa Bonifacii liberalitate Ger-  
 5 mania quidquam accrevit. Quin fertur Alberti  
 & Pulchri tale pactum : *Albertus &c. Nos &*  
*Serenissimus Philippus D. G. Rex Francorum,*  
*amicus noster charissimus, invimus, volumus,*  
*& ad invicem concordavimus, ac etiam pro-*  
 10 *missimus fide data, nomine juramenti: jurave-*  
*runt etiam in animas nostras nobis presentibus,*  
*videlicet pro jam dicto rege Francia spectabilis*  
*vir Comes S. Pauli; pro nobis vero nobilis Bur-*  
*chardus Comes, avunculus noster charissimus:*  
 15 *quod ex nunc erimus ad invicem veri & fideles*  
*amici, ac in nostris ac regnorum nostrorum &*  
*Imperii honoribus libertatibus & statibus mu-*  
*tuo conservandis, contra omnem hominem veri*  
*& validi adjuutores. Quodque inter nos & here-*  
 20 *des, successores nostros, & Francorum Reges &*  
*Imperatores, pacis & amicitia fœdera, PERPE-*  
*TUIS duratura temporibus servabuntur &c.*  
*Actum & datum nobis presentibus apud*  
 L 2 *Qua-*

*Quatuorvalles, die Martis, octavo mensis Decembris anno D. 1299. Ind. Regni vero nostri anno 2.*  
 Imo creditur à nonnullis, hoc Philippi & Alberti pactum esse nobile illud, quod quasi apud Tullum initum pro lege perpetuâ secuta tempestate fuit observatum. In Commentarijs sane Pij II Papæ l. 3, ad annum 1459 ita scribitur. *Philippus Burgundiæ Dux indigne agere Regem Franciæ Carolum IX agebat, qui nonnulla in Ducatu Luxenburgensi, id est in Imperii ditione, oppida occupasset; adversus antiquum fœdus, quod Francorum Reges cum Imperatoribus apud Tullum percussere: in quo cautum sit, IMPERATOR IN REGNO FRANCIAE, REX IN IMPERIO NE DOMINATVM SIBI VENDICET, etiamsi volentes aliqui se dedant. Injuste Regem agere, qui fœdus violet, & oppignoratum sibi Luxenburgensem Ducatum molestare audeat.* Fortassis tamen Tullense illud pactum aliud est ab hoc inter Albertum & Pulchrum icto. Haut dubie verò inter eos pax inita est: Regis Pulchri sorore Blanca in matrimonium  
 Ru-

Rudolfo Alberti filio collocata, quo amicitia  
sanctiore copula sibi constaret.

Multo minus est quod nos turbet Aurea  
Caroli IV Cæsaris bulla, & recepta consue-  
5 tudo qua Archiepiscopus Trevirensis Archi-  
cancellarius per Galliam solet usurpari. Gal-  
liæ enim nomine non ipsa Francia occiden-  
talis, sed sola Belgica in titulo isthoc venit.  
Eoque quum anno 1357 Trajecti ad Mosam  
10 tabulas aliquas Cæsar ille confici curasset,  
subscriptum est: *vice Reverendi in Christo pa-  
tris Boëmundi Trevirensis Archiepiscopi, S.  
R. Imperii per Galliam & Regnum Arelatense  
Archicancellarii, recognovi Rodolphus de Fri-  
15 denberg: quod refert Gewoldus l. de Septemvi-  
ratu n. 74. pag. 112.*

Quibus omnibus probe expensis haud dif-  
ficile collectu est: Franciæ regnum brevi qui-  
dem momento fuisse in obsequio Germanico-  
20 rum Regum, solidum autem aliquod jus hinc  
Imperio haud accrevisse, sed quasi suæ spontis  
rempubl. tantum non semper ab ipsa Germania  
nostra regnum illud agnitum esse.

## CAPUT IX.

*Regnum Italiae & Imperatoriam dignitatem in  
perpetuum Germanico Imperio  
accessisse.*

**F**elicius successerunt omnia Germaniæ in ijs  
quæ Lotharij Cæsaris quondam fuere, quàm  
in Calvi bonis. Igitur Lotharingiam Langobardi-  
cum Italiae regnum ut & Cæsarea dignitas, (quæ  
seorsim urbis Romæ & reliquiarum veteris Im-  
perij Romani per Italiam Principatum ætate ist-  
hac comprehendebat,) haud longo intervallo se-  
cuta sunt.

Tres inter Lotharii Cæsaris filios primo na-  
tu Ludovico utrumq; & hereditario quidem me-  
ro jure obtigerat; transalpinam omnem Lotha-  
rij hereditatem cernentibus duobus filiis reliquis.  
Ludovico illo post fratres sine liberis anno 876  
mortuo, si non unicus saltim primarius heres  
utriusque jure erat patruus major natu Lu-  
dovicus Germanicus. Si scriptori Appendicis  
Eutropianæ à Flacio editæ, (est autem Otto-  
nibus coævus Italus aliquis) credimus, ab ipso  
Ludovico illo Cæsare successor dictus fuit  
Caro-

Carolomannus Ludovici Germanici filius na-  
 tu maximus. Sed artibus Joannis IIX  
 Papæ effectum est, ut ad Carolum Calvum  
 Gallicum utraque dignitas perveniret. Ver-  
 5 ba Eutropianæ Appendicis hæc sunt: *Eo verò*  
 (Ludovico Cæsare) *infirmante* & *ad extre-*  
*mum propinquante, quia non habebat filium, vo-*  
*luit sibi succedere Carolomannum ad suscipienda*  
*Imperialia sceptrâ. Cum hæc ita geruntur, Roma-*  
 10 *ni Pontifices semper per oratores literas mittebât*  
*invitatorias ad Carolum Calvum Regem Fran-*  
*corum, invitantes eum clam: & quia erat in lite-*  
*ris quasi philosophus, rogabant illum supervenire*  
*B. Petro & de servitutis jugo ad propriâ libertatē*  
 15 *reducere suam Ecclesiam, quasi per vim ab aliquo*  
*esset oppressa. Talibus evolutis machinationibus*  
*moritur Ludovicus. Mittitur statim citatus à*  
*Joanne, qui tunc præerat Papa, legatus ad eundē*  
*Carolus: qui nullas veniendo faciens moras, in-*  
 20 *gressus Italiam petiit Romam. Mittitur deniq;*  
*alius missus ab uxore Imperatoris Engelberga, vel*  
*à suis primatibus, ad Carolomannum, ostendens ei*  
*vota defuncti; & quia longius erat noluit tã cito*  
*venire*

venire ut impedire posset iter Caroli Calvi. Qui  
 veniens Romam renovavit pactum cum Roma-  
 nis &c. Hæc Autor ille. Et verò exactis synodi  
 Romanæ post coronationem Calvi habitæ,  
 quæ Pithœus edidit, liquet : Calvum à Papa<sup>5</sup>  
 Romam evocatum. Diserte enim ita loqui-  
 tur Papa Joannes de Calvo : *Deinde non hic  
 perpetuus Augustus ad tanta fastigia se velut  
 improbus intulit, non tanquam importunus,  
 fraude aliqua, vel prava machinatione, aut<sup>10</sup>  
 inhianti ambitione ad Imperialem apicem ad-  
 spiravit. Absit. Neq; enim sibi honorem præ-  
 sumptuose adsumpsit ut Imperator fieret, sed tan-  
 quam desideratus, optatus, postulatus à nobis,  
 & à Deo vocatus, & honorificatus ad defen-<sup>15</sup>  
 dendam religionem, humiliter atque obedienter  
 accessit. Regino ita narrat: Eodem anno Ca-  
 rolus Romam perexit, & datis Apostolico Jo-  
 anni & Romanis magnis muneribus, Imperator  
 creatus. Idem ad annum 877: Carolus senior<sup>20</sup>  
 Romam secundo profectus, ubi jampridem Im-  
 peratoris nomen à prasule Sedis Apostolicæ Jo-  
 anne ingenti pretio emerat. Sanè munera  
 Caroli Annales quoq; Francici non silent: cum-  
 primis*

primis vero illa describit Auctor Appendicis Eutropianæ.

Papæ Romanorumq; civium exemplum secuti deinde *optimates Regni Italiae* eundem Calvum, jam Augusti titulo fulgentem, *Regem elegerunt* ut habet eorum epistola ad Calvum; quam itidem Pithœus primus edidit, & Annalibus suis inseruit ad annū 877 Baronius. Ita tunc temporis Germaniæ reges fraudati sunt successione; & simul per injustā hanc Calvi invasionē Cæsarea regiaq; jura cum aliās magnam jacturam fecere, tum quæ ante saltim Caroli Magni posteritati hereditaria erant, ab arbitrio Papæ & Italiæ procerum novo modo suspendi cæperunt.

15 Quantum Cæsarijs juribus decesserit, verbis Eutropianæ Appendicis narravimus jam tum *libro de Germanor. Imperio Romano cap. VII.* Quæ heic repetere, atque adeo Regiæ auctoritatis per Italiam ingens decrementum ostendere, extra

20 institutum est.

Non tamen æquo animo tulere hanc injuriam, & Ludovicus Germanicus pater, & filij ejus, cum primis Carolomannus: prout constat ex ijs, quæ in Annalibus Fuldensibus

& Reginone memorantur ad annum 875,  
 876, & 877. Tantum quid ultimo illo anno  
 contigerit huc adducemus. *Carolus Gallia*  
*tyrannus aestivo tempore cum exercitu Italiam*  
*petiit, & Ticini residens magnopere nisus est,*  
*qualiter Carlomanno illuc adventanti aditum*  
*denegaret in illam provinciam. Carlomannus*  
*vero cum manu valida Noricorum diversorum-*  
*que Sclavorum Italiam ingreditur, contra Caro-*  
*lum dimicare volens. Quod cum Carolus com-*  
*perisset, illico juxta consuetudinem suam, fu-*  
*gam iniit. Omnibus enim diebus vita sua ubi-*  
*cunque necesse erat adversariis resistere, aut pa-*  
*lam terga vertere, aut clam militibus suis effu-*  
*gere solebat. Et in eodem itinere dysenteria mor-*  
*bo correptus cum magna periit tristitia. Caro-*  
*lomannus optimates Italia ad se venientes susce-*  
*pit, & disposita prout voluit regione, reversus*  
*est in Bajoariam. Iidem Annales ad annum*  
*818 ita scribunt: Lambertus Witonis filius &*  
*Albertus Bonifacii filius Romam cum manu va-*  
*lida ingressi sunt; & Joanne Romano Ponti-*  
*fice sub custodia retento optimates Romanorum*  
*fidelitatem Carolomanno sacramento firmare*  
coëge-



coegerunt. Quibus inde discedentibus, idem Pontifex domum S. Petri ingressus, omnes thesauros quos ibi reperit ad Lateranos transtulit, & altare S. Petri cilicio cooperuit, & cuncta ostia ejusdem Ecclesie clausit, nullumque ibi officium ad Dei cultum pertinens per plures dies celebratum est: & quod dictu nefas est, omnibus illuc causa orationis venientibus negabatur introitus, erantque ibi omnia confusa. Memoratus autem Pontifex conscensis navibus per mare Tyrrenum regnum Caroli (Franciam scilicet occidentalem) intravit, ibique per totum pene moratus est annum. Tandem assumpto Bosone Comite, qui propria uxore veneno extincta, filiam Ludovici Imperatoris de Italia per vim raperat, cum magna ambitione in Italiam rediit; & cum eo machinari studuit, quomodo regnum Italicum de potestate Carolomanni auferre & ei tuendum committere posset.

Hæc Annales. Haud abs re fuerit nonnihil aliter differentem Paulum quoque Æmylium audire. Fædus cum Germanis regibus Ludovicus Balbus Gallicus ferit, his legibus, ut Lotharingia inter Francos Germanosque aquis

partibus divideretur; de Imperio neutris jus es-  
 set alio loco quam in Italia dominare. Id triste  
 miserumq; Italiae Pontificiq; maximo fuit: pati  
 Italiam belli a'ieni mala, immunibus malorum  
 his inter quos bellum foret. Idcirco antevertit 5  
 Joannes Pontifex maximus, in Franciamq; ve-  
 nit, turbatis etiam in Italia rebus, cum exagi-  
 taretur contrariarum factionum de Imperio cer-  
 taminibus. Ipse Francicarum partium erat;  
 constantiaeque ac praedicti sui esse ducebat, ut 10  
 cum Carolum Augustum creasset, Balbum si-  
 lium in eius defuncti locum sufficeret. Joannes  
 à proceribus Galliae pie officiosissimeque exceptus  
 Balbum Augustum creat coronatque. Simulque  
 in Tricassibus coacto concilio, Lambertum Im- 15  
 bertum ac Formosum, principes adversae factio-  
 nis devovit, qui per aequa iniquaque Francorum  
 causam oppugnabant. Annum in Francia  
 mansit. Coactus est in urbem redire, quod à  
 Sarracenis Italia vexabatur. Carolus Crassus 20  
 in Barbaros summam virtutem religionemque  
 praestitit. Italiae defensam cum Augustum salu-  
 tatum Joannes pontifex non invitatus tandem co-  
 ronavit. Haec Aemylius, Carolomanni rebus  
 per-

perperam silentio præteritis : cætera non male.

Ex quibus discimus, breve admodum fuisse illud Calvi Imperium, ( Regino ad annum 818 scribit de illo : *regnum Italia magis in transeundo vidit, quam fruendo potitusest.* ) vindicante numine injuriam Germanicis regibus factam ; & frustra nitente contra Joanne Papa, Carolomanum rerum per regnum Italicum pariter & ipsam Urbem potitum. Et sane usque in annum 10 880, quo xi Kalend. April. obiit, Carolomanus Italiam omnem tenuit ; etsi ab Imperatorio titulo abstinuerit, eo quod à Joanne Papa coronatus non esset. Superfunt etiam nuntia tabulæ complures, illius tum auctoritate 20 per Italiam promulgatæ : quod ipsum Aven- tinus in *Annal. Bajor.* Carolus Sigonius in *Historiæ regni Italia*, uterque l. 4. præclare tradi- derunt.

Fratri non successit tantum in omnium 15 illorum per Italiam possessione Carolus Cras- sus, sed etiam nomen Cæsareum impetravit. Regino : *Anno D. I. 881. Carolus de Aleman-  
nia egressus Langobardorum fines occupavit,  
ac in paucis diebus totam Italiam in deditiorem  
M 3 accepit*

acceptit, & Romam perveniens à Presule Apostolicae sedis Joanne & Senatu Romanorum favorabiliter exceptus, cum magna gloria Imperator creatus est. Ex adverso ut Carolus Calvus brevi momento Italiam habuit, ita post illum Franciæ regum nemo (nec enim moror Ludovico Balbo obtrusum in Gallia à Joanne Papa Augustum nomen) quidquam juris sive in regnum Italiæ sive in Romani Imperii veteris reliquias Italicas, Franciæ regno asseruit.

Excussi tamen illa ætate & Germanici Reges, fateor, Italici regni & Romani Imperii possessione: idque iterum Paparum non levi culpa. Etenim Hadrianus id nominis tertius insignia (verba sunt Sigonii l. 5. de regno Italiæ) duo decreta fecit: unum ut pontifex designatus consecrari sine presentia Regis aut legatorum ejus posset: alterum ut moriente Rege Crasso sine filiis, regnum Italicis principibus una cum titulo Imperii traderetur. Hinc cum eodem tempore Italici proceres non minus atque alij, Caroli Crassi auctoritate abolita, res novas molirentur, quin imo conjuratione facta po-

ten-

tentissimi illorum Wido Spoletanus & Berengarius Forojuliensis, alter Galliae alter Italiae Regnum sibi despondere haud dubitassent, Italia simul & Caesarea dignitas Francis utrisque erepta ad peregrinos devenit. Bene vero de Italis illis Sigonius l. 6 initio: *Se ipsos prorsus una cum Ecclesia perdidierunt, ea tempora in rempublicam inferentes, quibus nulla alia tetrora ac fedia fuisse Principum nequitia, vel populorum insania, in tota antiquitate reperiuntur.* Et sane ipsamet Papalis sedes nunquam & foedius sese gessit, & simul majorem vim passa est. Eoque contra quam sciverat Hadrianus Papa & Italici conjuraverant, ipsemet ille Berengarius & Formosus Papa Arnolpho Germaniae nostrae Regi regnum illud pariter ac Caesaream dignitatem, quo se ac sua tuerentur ab injuria, tradiderunt. Operae fuerit pretium omnem hanc rem petere duntaxat ex septimo octavo & nono capitibus libri primi ejus historiae, quam Luitprandus Ticinensis aetate Ottonis Magni conscripsit. Annales Fuldenses notant, hac jurisjurandi formula populum Romanum

manum Arnolpho sese anno 895 obstrinxisse:  
*Juro per hæc omnia Dei mysteria, quod salvo honore & lege mea atq; fidelitate domini Formosi Papa, fidelis sum & ero omnibus diebus vite meæ Arnolfo Imperatori, & nunquam me ad illius infidelitatem cum aliquo homine sociabo. &c.*

Exceperunt mox Germaniam Hungaricæ tempestates ac bella civilia. Atque ita Ludovico Conrado & Henrico regibus, Italix ac Cæsareæ dignitatis recuperandæ cura seposita est. De Henrico tamen ita sub finem primilibri Witikindus: *Perdomitis cunctis circumquaque gentibus postremo Romam proficisci statuit, sed infirmitate correptus iter intermisit.* De eodem Sigebertus ad annum 937: *Henricus licet in vincendis inimicis gloriosus fuerit, quia tamen pacificus erat nullam operam dederat, ut effugatis ab Italia tyrannis, qui quasi conductitii mercenarii, alter alteri succedentes, Imperium dilaniabant, benedictionem Imperialem accepisset.* Paulò aliter Otto Frisingensis l. 6. chron. c. 18: *Ipse post multa virtutis suæ opera dum ad obtinendum Imperium*  
 Ro-

Romam tenderet, decimosextimo Regni sui anno diem obiit.

Cæterum Ottonis Magni auspiciis illa felicitas Germaniæ ex voto tandem obtigit. 5 Witikindus l. 3: *Eo tempore usurpato Imperio (cum ante scilicet fuisset Eporegiæ Marchio) regnavit in Langobardia homo fortis & avarus, & qui omnem justitiam pecunia venderet Berengarius. Veritus autem singularis prudentia Regina virtutem, à Luthovico Rege Italia relicta, in multis eam afflixit, quo tanti decus splendoris extingueret, vel certe obscuraret.* Idem paulo post narrat: Ottonem in Italiam cum exercitu profectum, liberata à tyrannide Regina illaque in matrimonium ducta, 15 cum ea urbem Papiam qua est sedes regia obtinuisse. Berengarium quoque in Germaniam secutum, Augustæ Vindellicorum feudi lege ab Ottone Italicum regnum impetrasse. Interea, ait, Rex Berengarius Regem Ottonem 20 alloquitur, ingratiæque Regis ac Reginae susceptus, deditiois sponsonem dat, fæderis spontanei diem apud Urbem Augustam designans. Ubi quum conventus fieret, Berengarius ma-

N

nus

*nus filii sui Adelberti suis manibus implicans, licet olim, Hugonem Regem fugiens, Regi Ottoni subderetur, tunc tamen renovata fide coram omni exercitu familatui Regis se cum filio subjugavit. Et ita dimissus in Italiam, remeavit cum gratia & pace. Luitprandus Ticinensis in Historia Legationis suæ Constantinopolitanæ, quam Ottonis Magni jussu susceperat, testatur rem hanc ita Nicephoro Cæsari Græco à se narratam. Palàm est quod Berengarius & Adelbertus sui milites (i. e. Ottonis vasalli) effecti, Regnum Italicum sceptro aureo ex ejus manu susceperunt, & presentibus servis tuis qui nunc usque supersunt, jurejurando fidem promiserunt. Otto Frisingensis l. 6<sup>15</sup> Chron. c. 19. Otto post multos triumphos Italiam quoque, qua per plures jam annos Francis seu Germanis alienata fuerat, regno adiacere parat. Hæc eo tempore à Berengario tyranno multipliciter premebatur &c. Ibi (Augustæ) 20 ex omnibus regni visceribus multis in unum adunatis, Berengarius humiliter veniens se dedit, ab eoque REGNUM ITALIÆ, excepta Marchia Veronensium & Aquilegien-  
gien-*



giensium, *SUSCEPIT*. Regino: Eodem anno mediante Augusto mense, conventus Francorum, Saxonum, Bavavorum, Alemannorum, & Longobardorum, publicus apud Augustanam urbem Rhetia provincia agitur. Ubi Berengarius cum filio suo Adelberto, regia se per omnia in vasallum dedit dominationi, & Italiam iterum cum gratia & dono Regis accepit regendam. Marca tantum Veronensis & Aquilegiensis excipitur, qua Henrico fratri Regis committitur. Contigit hoc ipsum anno 952. Eoque ad illum annum ita loquitur continuator Reginonis: Berengarius cum filio suo Adelberto sese subiiciens Ottoni, ab eo ut subditus recipit regendam Italiam. Quibus verbis & Baronius utitur.

Illo rerum statu permansit Italia usque in annum 961: quando Papa ipso, & Episcopis Mediolanensi & Cumano, ut & procerum Italicorum compluribus, de intolerabili tyrannide Berengarii conqverentibus, iterum cum exercitu Italiam ingressus Otto, Berengarium & Adelbertum celeriter regno expulit: dehinc Romam adiens, ibi miro ornatu miroque apparatu

*paratu susceptus à Papa Joanne, id nominis  
 duodecimo, functionem suscepit Imperii. quæ  
 verba fere sunt Luitprandi, qui hanc Ottonis  
 novam invitationem narrat l. 6 cap. 1. Baro-  
 nius ex vetusta Beneventanorum Ducum hi- 5  
 storia refert, quo tempore expeditio illa in-  
 stitueretur, Proceres Italiæ ita alloquutos  
 Adelbertum Berengarii filium: *Vellemus  
 Domine, ut Papiam cum paucis pergas, & tuo  
 genitori dicas, quatenus Longobardorum re- 10  
 gnum sub vestra ditione committat, quia nos  
 minime sub illius potestate amplius durabimus.  
 Si vobis committit Regnum, nos totis viribus  
 pugnabimus: Sin autem, Italia regnum extero  
 Regi commitemus. Cumque à Patre non potuis- 20  
 set hoc impetrare Adelbertus, patrem fili-  
 umque ab omnibus esse desertum. Itaq; (addit  
 scriptor ille) Otto Rex sine impedimento in  
 Italiam introivit, atque Italia regnum obtinuit.  
 Luitprandus in historia legationis suæ Con- 15  
 stantinopolitanæ ait: cum fidem Ottoni da-  
 tam Berengarius & Adelbertus perfide vio-  
 lassent, juste illos quasi defectores & rebelles  
 regno privatos. Frodoardus recte notat,  
 facta**

facta hæc demum anno 962. Otto Rex Romam  
 pacifice adiit, & amabiliter exceptus, atque ho-  
 nore illic Imperiali sublimatus. Quod Berenga-  
 rius Italia rex indigne ferens, regiones quas re-  
 gere debebat incendere atq; vastare cœpit. Et  
 5 vero incidit illa Cæsarea Ottonis coronatio in  
 anni illius mensem Februarium, diem secun-  
 dum, feriam primam. Quod magnitudo negotii  
 exacte hic monere nos jubet.

10 Igitur anno 951 Italicum sive Langobardi-  
 cum Regnum, Cæsarea jura dignitasque 962  
 (postquam nomen illud Imperatorium ab  
 anno 924, quo Berengarius primus è medio  
 sublatus est, in occidente omni quasi evanuis-  
 15 set) ad Germaniæ Reges devenere. Sopitum ta-  
 men bellum illud ultimum demum est anno  
 964; quo & Berengarius cum uxore captus,  
 inque Bavariam est missus, & extincto Joanne  
 Papa perjuro, Leo iterum Ottonis auctori-  
 20 tate sedi sacrae restitutus est. Quod ipsum  
 in animo fuit fortasse Ottoni Frisingensi  
 l. 6. cap. 27. Chronici sui: quando coro-  
 nationem quidem Cæsaream in illum an-  
 num perperam conijcit, recte tamen subjun-  
 git:

git: *Ex hinc regnum Romanorum post Francos & Longobardos ad Teutonicos, vel (ut aliis videtur) rursum ad Francos, unde quodammodo elapsum fuerat, translatum est.* Recte inquam hæc Otto. Illo enim denique anno<sup>5</sup> Leo Papa & clerus omnis populusque Romanus æterno pacto Germaniæ Regibus sese ac sua devinxerunt. Id quod ex capitulo xxiii distinctionis LXIII Gratiani, *libro de Germanorum Imperio cap. X* multis demonstravimus:<sup>10</sup> cum biennio ante non nisi cum Ottone ejusque filio queant videri pepigisse, quantum ex Luitprando colligere est.

Pacti perpetui cum Italiæ proceribus de Regno Italiæ initi, in monumentis quæ hodie<sup>15</sup> superant, memoriam haud forte reperias: ut sunt illa rudia & bonæ frugis inania. Per tamen est verosimile, etiam cum illis non minus arcte tunc fuisse conventum. Nec enim Romanum illud pactum ad Italicum<sup>20</sup> regnum pertinet: utpote quod à Romano Imperio proprie sic dicto plane diversum est; ceu probavimus ejusdem nostri *de Germanorum Romano Imperio libri cap. XII.* Nisi fortassis

fortassis Otto, saltim jure belli, in Regnum illud Italicum proprietarium aliquod jus sibi posterisque deberi crediderit; atque adeo libero aliquo pacto cum Proceribus non fuerit opus. In ijs sane Tabulis Ottonianis, quas ad annum 962 recitat Baronius, ita legitur: *Insuper offerimus tibi B. Petre Apostole vicarioq; tuo domno Joanni Papa, & successoribus ejus, pro nostra animarum remedio, nostrique filii & nostrorum parentum,*  
 10 *de PROPRIO NOSTRO REGNO, civitates & oppida cum piscariis suis, id est Reatem Amiternum. &c.*

Quicquid hujus sit, id longe est certissimum & constat omnibus: ab illa usque Ottoniana occupatione, nunquam fere interruptâ serie, (nec enim est, quod Crescentii aut similis farinae hominum, irritis & momentaniis conatibus possessionem fractam arbitraris) saltim ad ferale illud & perpetuò reipubl. Germanicæ lugendum  
 20 Friderici II Cæsaris fatum, vim Imperii per Italiæ regnum & Romanas reliquias, penes Germaniæ reges fuisse.

*Italici regni & Cæsarea dignitatis quæ ratio quive  
fines fuerint circa initia: & quemadmodum  
utrumque ad Friderici II tempora sese  
habuerit.* 5

**N**on videmur ab Italiae regno & Cæsarea dignitate commode recedere & ad alia posse progredi: nisi paulò dilucidius exposuerimus, quid utroque nomine intelligi debeat, aut olim fuerit acceptum: addito brevibus, quemadmodum illa ad Friderici usque secundi, quæ diximus tempora, sese habuerint. 10

Igitur primò id notandum; ITALICI REGNI nomen cepisse demum post Carolum Magnum, non multò tamen post: utpote quod jam tum reperiatur in Epistola Italiae procerum ad Carolum Calvum, scripta anno 877. *Nos omnes Episcopi, Abbates, Comites ac reliqui, qui nobiscum convenerunt Italici regni optimates.* Etsi enim haud aliud sit quàm id quod ante audivit *Regnum Langobardorum*, illud tamen priscum nomen, extinctâ 20

tincta gentis illius majestate eaque ad Fran-  
 cos translata, simul videtur abolitum, novo  
 hoc substituto. Ab illo Regno Langobardico  
 distinctum plane quid, exiguum licet, per Italiam  
 5 manit reliquum IMPERII VETERIS RO-  
 MANI: idque ex parte ad Francos translatum  
 est, postquam Cæsar dictus fuit Carolus Magnus;  
 Calabria Sicilia & urbe Venetorum exceptis.  
 Hæc latius libro de *Germanorum Imperio Ro-*  
 10 *mano cap. VII & IIX* persequuti sumus. Ubi &  
 id probavimus: utile, ut ita dicamus, hujus  
 dominium, cum aliqua dicendi juris potesta-  
 te, Pipini & Caroli Magni dono, ad Papas qui-  
 dem pervenisse: summum principatum autem,  
 15 sive vim potissimam regendi, cum Cæsareo no-  
 mine ad Francorum Reges delatum: & hoc de-  
 niq; ipsum illud esse, quod reapse titulo Cæsareo  
 & illi & posterorum nacti sunt. Ea hic repetere  
 fuerit actum agere.

20 Lubet tamen nonnulla adferre in medium,  
 ex antiquissimo scriptore Italo Ottonibus  
 coævo, quæ Eutropii historico libello adjuncta  
 invenit quondam & publicavit Matthias Fla-  
 cius; quo pateat, qualis tum fuerit in ipsam  
 O Urbem

Urbem Romam Cæsarum auctoritas, saltim  
 usque ad annum 876. Accipiente Carolo hoc  
 (Magno) regnum, profectus est Romam, deditq;  
 ibi donaria multa: quæ usq; hodie Romanum tenet  
 dominium, de regni hujus confinibus. Fecitque  
 pactum cum Romanis, eorumque Pontifice, &  
 de **ORDINATIONE PONTIFICIS**,  
 ut interesset quis Legatus, & ut **CONTEN-**  
**TIOSAS LITES** ipse (scil. Legatus) deli-  
 beraret. Constituebant autem annalia dona 10  
 in Papæ palatium perducenda, auri libras  
 decem, argenti centum, pallia optima decem,  
 exceptis privatis donis. Et quando Imperator  
 adveniebat Romam vel suus Legatus, mitteban-  
 tur iudices à palatio singulis annis, qui per cun- 15  
 cta Romanorum confinia legalia vindicabant  
 placita: compellentes habitatores locorum il-  
 lorum venire ad placitum, judicantibus eorum  
 iudicibus rectam legem in præsentia Imperia-  
 lium iudicum; & si alterius gentis invenirentur 20  
 habitatores, regali iudicio iudicabantur. Erant  
 denique monasteria, in salinis Domini Salvato-  
 ris, & S. Dei genitricis Mariæ, nec non &  
 monasterium B. Andrea Apostoli juxta mon-  
 tem



tem Soractis, seu cetera fiscalia patrimonia  
 intra Romanos fines, ad usum Imperialem.  
 Non solum autem in Italico regno, verum etiam  
 in Franciam proficiscebantur monachi, ferentes  
 5 vectigalia, vina, & alia donaria juxta virium  
 posse. Paulo post. Propterea inventum est,  
 ut omnes majores Roma essent Imperiales homi-  
 nes, tam Episcopi quam laici; & omne vulgus  
 pariter cum his faceret fidelitatem Imperatori;  
 10 & ut suus Missus omni tempore moraretur  
 Roma, ad deliberandas litigiosas contentiones.  
 Morabatur quippe in Palatio S. Petri; &  
 erat constitutum, quanta & qualia stipendia  
 de Palatio ei darentur quotidie. Quod autem re-  
 15 liquumerat, de superadiectis monasteriis vel pa-  
 trimoniis deferebatur affluentem. Tanta nem-  
 pe Imperialis virtus ibi vigeat, ut si in legali  
 judicio minoris vel inscii causa postponeretur,  
 & ille alicujus consilio pedes teneret Legati Im-  
 20 peratoris, petens ab eo justam legem: & Mis-  
 sus adjuraret Principes Romanorum, dicens:  
 Per eam FIDEM, quam Domino Imperatori de-  
 betis, facite huic homini justam legem; nemo erat  
 ausus declinare neque ad dexteram neque ad si-  
 ni-

nistram, etiamsi à propinquis Pontificis illata  
 esset injuria. Multotiens verò non ante  
 Apostolicum, sed in judiciali loco ad Lateratum  
 (ubi quidam locus dicitur ad lupam, que mater  
 vocabatur Romanorum) sibi judiciariam legem, 5  
 finiebant. Compositiones quoque, que solebant  
 à malefactoribus solvi, equaliter dividebantur  
 Misso Imperatoris & Apostolici. Si autem ta-  
 lis culpa erat, ut res scelerata fisco publico subde-  
 retur, non ad Ecclesiasticam transibat subjectio- 10  
 nem, nisi per donativum Imperiale præceptum.  
 Si enim aliquis iram incurrebat Imperatoris  
 Episcopus aut Judex Romanus, & placitum  
 esset Cesari venire Romam, veniebat: sin autè,  
 mittebatur Dux Spoletanus, comprehendebatur 15  
 offensus, & ducebatur in exilium, domus vero il-  
 lius signabatur annulo Regis, usque ad eius con-  
 sultum; ut si quando reverteretur ad gratiam,  
 haberet propria salva: sin aliàs, per Imperialia  
 præcepta distribuebatur militibus. Quod si ad 20  
 Judicis potestatem reiciebatur quisquam, &  
 Cesaris adhareret clementie, mittebatur pro tali  
 negotio Legatus ab Imperatore, qui diligenter  
 examinaret rei veritatem: & si ejectus propriam  
 habe-

haberet culpam, sustineret injuriam. Hæc ille.

Pergit idem auctor: Hac consuetudine usi sunt Romani usq; ad Ludovicum, magnum Imperatorem, Lotharii filium. Hic quia magis Italiam habitare elegit, vicinior factus est Rome: ubi & ampliore quadam usus est potestate, habens strenuos viros eius Urbis, scientes antiquam Imperatorum consuetudinem, & intimentantes Cæsari, qui suggerebant illi repetere antiquam Imperatorum dominationem. Et nisi ob reverentiam beatorum Apostolorum dimitteret, pro certo faceret. Hæc omnia ille.

Attexit scriptor mox haud pauca de Ludovico illo Cæsare, quemadmodum auctoritatem Cæsaream Romæ illustribus exemplis exercuerit. Quæ omnia huc referre tædium forte fuerit, At quæ de Calvo aliisque Italiae regibus idem dislerit, illa operæ est pretium heic etiam legere. Carolus Calvus veniens Romam renovavit pactum cum Romanis; perdonans illis iura Regni & consuetudines illius; tribuens illis sumptus de tribus supraddictis monasteriis, id est, Domini Salvatoris, & Beata

*Beatae Mariae semper virginis in Sabinis, atq; S. Andreae juxta montem Soractis & de ceteris quam plurimis monasteriis fiscalia patrimonia Patrias autem Samnia & Calabria simul cum omnibus civitatibus Beneventicis contulit: insuper ad dedecorem Regni totum Ducatum Spoletanum cum duabus civitatibus Tuscia, quod solitus erat habere ipse Dux, id est, Arretium & Clusium; quatenus ut is, qui praerat Regia vice ante Romanis, videretur post esse subjectus. Removit etiam ab eis Regias Legationes, assiduitatem ad praesentiam Apostolicae electionis. Quid plura? Cuncta illis contulit qua voluerunt; quemadmodum dantur illa, qua nec recte acquiruntur nec possessura sperantur. Fugato itaq; isto Carolo praemetu alterius Caroli qui veniebat, infirmatur antequam de regno egrederetur Italico. Egressus namque vix, defunctus est. Ab illo autem die honoricas consuetudines Regiae dignitatis nemo Imperatorum, nemo Regum acquisivit: quia aut virtus defuit aut scientia, praemultis Regni contentionibus & assiduis divisionibus. Unde multa praelia, delationes, & rapinae fuerunt in Regno.*

Haec

Hæc iterum ille. Quæ vero esse consen-  
 tanea alibi ostendimus. Et sane post Lu-  
 dovicum illum Lotharii filium usque ad Ot-  
 tonem Magnum, eviuit plane per Italiam  
 5 Cæsarea vis & auctoritas; coque cum paucis  
 datus est ille titulus, tum qui illum sunt nacti  
 duntaxat nomine fere tenus rebus præfue-  
 runt non re ipsa. Dignum tamen observa-  
 tu, adhuc anno 904, quum Lampertus Wi-  
 10 donis filius dignitate isthac esset conspicuus,  
 in ipsamet Synodo Romana, curante Ponti-  
 fice Joanne IX, Cæsarea quædam jura vetera  
 confirmata esse. In actis sane Synodi illius,  
 quæ Cardinalis Baronius Annalibus inseruit,  
 15 ita loquitur ille Lambertus Imperator: *Si*  
*quis Romanus, cujuscunque sit ordinis, sive de*  
*clero sive de senatu, seu de quocunque ordine,*  
*gratis ad nostram Imperialem majestatem ve-*  
*nire voluerit, aut necessitate compulsus ad nos*  
 20 *voluerit proclamare: nullus eis contradicere*  
*presumat, & neque eorum res quispiam inva-*  
*dere vel depreddari, aut eorum personas in eundo*  
*vel redeundo vel morando inquietare presum-*  
*mat: donec liceat Imperatoria potestati, eorum*  
*causas*

causas & personas, aut per Missos nostros, delibere. Qui autem eos inquietare, eundo redeundo vel morando tentaverit, vel eorum quidpiam rerum auferre, postquam per nostram misericordiam se. proclamaverint, Imperialis ultionis indignationem incurrat. Inter duodecim capitula eodem tempore constituta octavum ita sese habet: Ut pastus Imperatoris ab Episcopis & Comitibus, secundum antiquam consuetudinem, solvatur. Quod si novo tempore Fiscus Comitialis in jus Ecclesiasticum conversus est, augeatur stipendium Imperiale ab Ecclesia, juxta quod res publica fuerint minorate.

Porro id quoque certum est: isthac tempestate, etiamsi inter tum nemo Cæsareo titulo emereret, Urbis tamen Imperium nunquam penes Papas, sed alios & quidem Thusciae Marchiones potissimum eorumque clientes fuisse. Luitprandus l. 2. c. 13 in hæc verba loquitur. Theodora scortum impudens, hujus Alberici qui nuper hominem exuit, avia (quod dictu etiam nefandissimum est) ROMANÆ civitatis non inviriliter MONARCHIAM obtine-

obtinebat; quæ diras habuit natas, Maro-  
 ziam atque Theodoram, sibi non solum æquales,  
 verum etiam Veneris exortivo promptiores.  
 Harum una Marozia ex Papa Sergio, cujus  
 5 supra fecimus mentionem, Joannem, qui post  
 Joannis Ravennatis obitum sanctæ Romanæ  
 Ecclesiæ obtinuit dignitatem, nefario genuit  
 adulterio: ex Adelberto autem Marchione Alberi-  
 cum: qui nostro tempore Romanæ urbis principa-  
 10 tum usurpavit &c. Hæc Luitprandi verba cum  
 recitasset Baronius ad annum 908 in justam  
 indignationem ita prorupit. Audisti temporis  
 hujus deploratissimum statum, cum Theodora  
 senior nobile scortum monarchiam (ut ita di-  
 15 cam) obtinebat in Urbe? Sed unde infami  
 mulier tanta dignitas? Erat ista nobilis Ro-  
 mana scæmina senatoriâ orta propagine, excel-  
 lens pulchritudine, ingenio versutissima, consue-  
 tudine Adelberti Tusciæ Marchionis potentis-  
 20 simi reddita procacissima, ex qua etiam quas  
 audisti genuit filias, sicq; ex adulteri potentia et-  
 iam sibi peperit monarchiam. Nam cum (ut  
 suo loco inferius dicetur) munitio Sancti Angeli  
 inexpugnabilis reddita ex mole olim Hadriani,  
 P Augu-

*Augustorum sepulchro, possideretur ab eodem  
Tuscia Marchione, qui ea potiretur Urbi  
quoque pariter dominari facile posset: hac pessima  
fœmina ea arte dominium Urbis est consecuta,  
possidens arcem, illud in posteros propagare cu-  
ravit, filias prostituens Pontificibus, Sedis Apo-  
stolica in vasoribus, & Tuscia Marchionibus;  
ex quibus tantarum invaluit meretricum impe-  
rium, ut pro arbitrio legitime creatos dimoverent  
Pontifices, & violentos ac nefarios homines illis  
pulsis intruderent. Hactenus Baronius. Et  
vero solus Joannes XII Urbis principem egit,  
à patre Alberico quasi hereditate principa-  
tum adeptus, nullius Papalis juris pretextu.  
Frodoardus ad annum 945: Alberico Patricio  
Romanorum defuncto, filius eius Octavianus,  
cum esset clericus, Principatum adeptus est: qui  
postea defuncto Agapeto, suggerentibusque sibi Ro-  
manis, Papa Urbis efficitur.*

QUANQUAM præterea amplissima bona,  
Pipini & Caroli Magni dono, quondam ad  
Papam pervenissent, videntur tamen illa sen-  
sim ad alios translata: ut tandem Papis nihil  
pene



pene rerum fuerit reliquum. In Actis sane Romanæ sive Ravennatensis synodi quæ modò citavimus, Joannes IX Papa exigit, ut Patrimonia, seu suburbana, atque massa & colonia, nec non civitates, que contra rationem quasi per juris præcepta largita sunt, reddantur. Lambertum ita alloquitur: Sed hoc scire vos volumus, quoniam Sancta Romana Ecclesia tantum est ad nihilum deducta, quod & elemosinae quæ pauperibus pro sospitate vestri Imperii distribui solebant, & stipendia clericorum ac famulorum eius, omnimodis sunt evacuata &c. Regino ad annum 867 de Ottone Magno Imperatore: Habita Ravenna synodo multa ad utilitatem sanctæ Ecclesiæ adinvenit, & Apostolico Joanni Urbem & Terram Ravennatium, aliaque complura, **MULTIS** retro temporibus Romanis Pontificibus **ABLATA** reddidit. Eo demum anno scilicet facta est reditio: quoniam bona illa recuperata initio quidē Otto suam in propriam quasi potestatem redegerat. Id quod conquestus fuit Joannes XII, Otto autem ita defendit: *Omniem terram S. Petri, quæ nostræ potestati subiecta est, Ecclesiæ promissimus*

*simus reddere. Quo verò pacto terram hanc ei reddere possumus, si non prius eam ex violentorum manibus ereptam potestati nostræ subdamus? Quæ narrat Luitprandus lib. 6. c. 1.*

CÆTERUM hunc rerum statum latius persequi ac describere, non patitur institutum : & proprii hoc est argumenti. Tangenda tamen hæc non nihil fuere, saltim ut omnibus fiat manifestum, quæ vale fuerit Urbis Romæ Imperium & quam exigua ac misera Romanorum Pontificum conditio, quando cum Germania dignitas Cæsarea coaluit. Magis hic locus postulat; quoniam modò diximus, Italiæ aliquam partem Romanis Pontificibus cessisse quidem, iterum verò perditam, atque Ottonis Magni dono ijs restitutam: ut explicemus clarius, quidnam juris Pontificii fuerit factum, sive Ottonis sive aliorum munere, & in quantum illa quæ ita in ditionem Pontificiam transire Cæsareis juribus fuerint subducta. Hoc enim quàm maxime pertinet ad id, ut limites Cæsarii & Papalis Imperii rite describantur.

Ac Baronius quidem ad annum 962 adfert  
Tabulas

Tabulas Ottonis nomine signatas, quibus ille Romanae Sedi multa donat: pars earum haec omnino legenda est. Spondemus atque promittimus per hoc pactum confirmationis nostrae, tibi B. Petro principi Apostolorum & clavigero regni caelorum, & per te Vicario tuo Domno Joanni summo Pontifici & Universali XII Papa, sicut a praedecessoribus vestris usque nunc in vestra potestate atque ditioe tenuistis & disposuistis,

10 CIVITATEM ROMANAM, CUM DUCATU SUO, & suburbanis suis, atque viculis omnibus & territoriis ejus, montanis & maritimis, littoribus atque portibus, seu cunctis civitatibus, castellis, oppidis, ac viculis, Tuscia partibus. Id est, Portum,

20 Centumcellas, Cerem, Bledam, Maturianum, Sutrium, Nepem, Castellum Gallisem, Ortum, Polimartium, Ameriam, Tudam, Perusiam cum tribus insulis suis, id est, Majore, Minore, Puloensium, Narniam, & Utriculum cum omnibus finibus ac territoriis ad supra

15 scriptas civitates pertinentibus. NEC NON EXARCHATUM RAVENNATEM SUB INTEGRITATE, cum Urbibus, civitatibus, oppidis & castellis; quae piarecordationis domnus Pipinus & domnus

P 3

Karo-

*Karolus excellentissimus Imperator, prædeces-*  
*sores videlicet nostri, B. Petro Apostolo &*  
*prædecessoribus vestris, jamdudum per donatio-*  
*nis paginam contulerunt. Hoc est civitatem*  
*Ravennam, & Æmyliam, Bobium, Casenam, 5*  
*Forum populi, Forum Livii, Faventiam,*  
*Imolam, Bononiam, Ferrariam, Comiacum,*  
*& Hadrianis atque Gabellum, cum omnibus fi-*  
*nibus, territoriis atq; insulis, terra mariq; ad su-*  
*prascriptas civitates pertinentibus. Simul & 10*  
*PENTAPOLIM; videlicet Ariminum, Pisaurum,*  
*Fanum, Senogalliam, Ameriam, Ausinum,*  
*Humanam, Hesium, Forum Sempronii, Mon-*  
*tem Feltri, Urbinum, & territorium Balnense,*  
*Calles, Luciolos, & Eugubium, cum omnibus fi- 15*  
*nibus & territoriis ad easdem civitates pertinē-*  
*tibus. Eodem modo TERRITORIUM SABINENSE:*  
*sicut à domno Carolo Imperatore antecessore*  
*nostro beato Petro Apostolo per donationis scri-*  
*tum concessum est sub integritate. Item IN 20*  
*PARTIBUS TUSCIÆ LONGOBARDORUM, Castellum*  
*Felicitatis, Urbem veterem, Balneum Regis, Fe-*  
*rentum, Viterbium, Ortum, Martam, Tusca-*  
*nam, Suanam, Populonium, Rosellas cum sub-*  
*urbanis,*

urbanis, atque viculis omnibus & territoriis, ac  
 maritimis oppidis ac viculis seu finibus omni-  
 bus. Itemque Almus cum insula Corsica; dein-  
 de in Suriano, deinde in monte Bardonis, deinde  
 5 in Berceto, exinde Parma, deinde in Regio, ex-  
 inde in Mantua, atque in monte Silicis atq; pro-  
 vincia Venetiarum & Istria. Nec non & cun-  
 ctum Ducatum Spoletinum, seu Beneventa-  
 num una cum Ecclesia Sanctæ Christina posita  
 10 prope Papiam juxta Padum, quarto milliario.  
 Item in PARTIBUS CAMPANIÆ Seram, Arces, A-  
 quinum, Arpinum, Theanum, & Capuam.  
 Nec non PATRIMONIA ad potestatem & ditionem  
 vestram pertinentia: sicuti est patrimonium  
 15 Beneventanum, & patrimonium Neapolita-  
 num, & patrimonium Calabria superioris &  
 inferioris. DE CIVITATE AUTEM NEAPOLITANA  
 cum castellis & territoriis & finibus & insulis  
 suis sibi pertinentibus, sicut ad easdem respicere  
 20 videntur, nec non patrimonium SICILIÆ, si Deus  
 nostris illud tradiderit manibus. Simili modo  
 CIVITATEM CAIETAM ET FUNDUM cum omnibus  
 earum pertinentiis. Insuper offerimus tibi B.  
 Petre Apostole, Vicarioque tuo domno Joanni  
 Papa,

Papa & successoribus, pro nostra anima remedio, nostriq; filii, & nostrorū parentum, DE PROPRIO NOSTRO REGNO civitates & oppida cum piscariis suis, id est, Reatam, Amiternum, Furconem, Nursiam, Baluam, & Marsim, & alibi civitatem Interamnem cum pertinentiis suis. Has omnes supradictas provincias, urbes, civitates, oppida & castella, viculos & territoria, simulq; & patrimonia, pro remedio anime nostre & filii nostri, sive parentum nostrorum, ac successorum nostrorum, & pro cuncto à Deo conservato atq; conservando Francorum populo, jam dictæ Ecclesiæ tuæ, beate Petre Apostole, & per te Vicario tuo, spirituali patri nostro domno Joanni summo Pontifici & universali Papæ, ejusq; successoribus, usq; ad finem seculi, eo modo confirmamus, ut in suo detineat jure principatu atq; ditione.

Haftenus illæ à Baronio adductæ Ottonis Magni Tabulæ. Ac nos quidem alibi jam in dubium vocavimus haud levibus argumentis earum fidem: non est verò quod nunc illud agamus. Sufficit monuisse, omnia isthæc (si quidem sunt ab Ottone donata,) non tamen Cæsareo Imperio simul subducta esse, idque

idque disertis earundem Tabularum verbis  
 indicari. Utique enim Ducatus Spoletanus  
 & Tusciæ nonnulla inter dona illa numeran-  
 tur; cum tamen & seorsim census Regius  
 Spoletani & Tuscani Ducatus Ecclesiæ Ro-  
 manæ tribuuntur in ijs Tabulis, mox additur:  
 SALVA SUPER EOSDEM DUCATUS  
 NOSTRA IN OMNIBUS DOMINA-  
 TIONE, ET ILLORUM AD NOSTRAM  
 PARTEM ET FILII NOSTRI SUBIE-  
 CTIONE. Paulò post iterum subjungitur.  
*Omnia quæ superius leguntur, i. e. provincia  
 civitates, urbes, oppida, castella, territoria, pa-  
 trimonia, atque insula, censusque & pensiones ad  
 partem Ecclesiæ B. Petri Apostoli atque Ponti-  
 ficum in sacratissima illius sede residentium, nos  
 in quantum possumus defensores esse testamur,  
 ad hoc ut ea in illius ditione, ad utendū & fruen-  
 dum atq; disponendū, firmiter valeant obtineri,*  
 SALVA IN OMNIBUS POTESTA-  
 TE NOSTRA ET FILII NOSTRI  
 POSTERORUMQUE NOSTRORUM:  
*secundum quod in pacto & constitutione, ac  
 promissionis firmitate Eugenii Pontificis succes-*

forumque illius continetur. Id est, ut omnis cle-  
 rus, & universa populi Romani nobilitas pro-  
 pter diversas necessitates Pontificum irratio-  
 nabiles erga populum sibi subjectum asperitates  
 retundendas, sacramento se obligent, quatenus  
 futura Pontificum electio (quantum uniuscu-  
 jusque intellectus fuerit) canonicè & justè fiat:  
 & ut ille qui ad hoc sanctum atque Apostolicum  
 regimen eligitur, nemine consentiente, consecra-  
 tus fiat Pontifex, priusquam talem in præsen-  
 tia Missorum nostrorum, vel filii nostri seu  
 universa generalitatis, faciat promissionem, pro  
 omnium satisfactione atque futura conserva-  
 tione, qualem dominus & venerandus spiritualis  
 Pater noster Leo (f. Carolo) sponte fecisse dignosci-  
 tur. Hæc ipsæ Tabulæ illæ. Unde liquet: etsi ab  
 Ottone concessus sit Papæ Principatus aliquis,  
 cautum tamen, ut ipsemet Papa subjectus Impe-  
 ratori, singulari quodam sacro promisso obstri-  
 ctus maneat. Res clarior esset, si Leonis illa  
 promissio superesset. Baronium sane ratio fu-  
 git, cum scribit ad annum 967. n. l. Ottonem eo  
 anno quasi remisisse factam sibi à Leone pro-  
 missionem: cum tamen nullus Leo potuerit  
 aliquid



aliquid promississe Ottoni quando Tabulæ  
illæ à Baronio productæ confectæ sunt, Leo-  
ne IIX scilicet post demum in Joannis lo-  
cum suffecto: cumque laxati Leonis promiss-  
5 si nullum in omni ævo vestigium reperiatur.  
Gretzerus *l. 2. c. 15. contra Replicator.* ut & alii,  
de Leone IV ejusque promisso illo quod  
exstat apud Gratianum *dist. 10. cap. 9.* sermo-  
nem esse, volunt. Sed vero similis est, intel-  
10 ligi Leonem III, non autem Eugenio II  
quem posteriorem. Nec vero illa quam Gra-  
tianus habet Leonis quarti promissio, de ob-  
servandis Capitulis Imperialibus à Lothario  
Cæsare promulgatis, quidquam ad hanc rem  
15 facit. Leo III verò tyrannidis in populum  
exercitæ fuit accusatus & à Carolo Magno  
per sententiam absolutus. Is itaque Carolo &  
Francorum Regibus, in quos Cæsaream digni-  
tatem conferri curaverat, sine dubio multa de  
20 republ. recte administranda est pollicitus.

In iisdem porro Tabulis etiam hæc no-  
tanda sunt.

*Et hoc omnimodis institueretur  
placuit; ut qui semel sub speciali defensione  
domni Apostolici sive* **NOSTRA** fuerint

*Q* 2

*susce-*

*suscepti, impetrata juste utantur defensione. Quod si quis quempiam illorū, qui hoc promeruerunt, violare præsumpserit, sciat se periculum vitæ suæ incursum. Indicant utique hæc, confirmatam hisce ipsis Tabulis libertatem illam, provocandi ad Cæsarem, ejusque defensioni sese subijciendi: quæ jam olim obtinebat: simulque Cæsari superfuisse jus supplicio afficiendi transgressores.*

*Sed & ultima Tabularum verba Cæsaream jurisdictionem satis aperte loquuntur. Huic enim institutioni hoc necessario annectendum esse perspeximus; ut Missi domni Apostolici seu Nostri semper sint constituti, qui annuatim nobis vel filio nostro renunciare valeant, qualiter singuli Duces ac Judices populo justitiam faciant. Hanc Imperialem constitutionem quomodo observent qui Missi, decernimus: ut primum cunctos clamores, qui per negligentiam Ducum seu Judicum fuerint inventi, ad notitiam domni Apostolici deferant. Et ipse unum è duobus eligat: aut statim per eosdem Missos fiant ipsæ necessitates emendatæ, aut Misso nostro nobis renunciante, per nostros Missos à nobis directos emendentur.*

Deni-

Denique & hoc cum primis in Tabulis illis meretur notari; seorsim *cunctum Ducatum Spoletanum*, seorsim vero *censum* & *pensionem* seu cæteras dationes quæ annuatim in palatium Regis Longobardorum inferri solebant de Ducatu Spoletano, donari. Hinc sane manifestum est; aliud esse Urbes & civitates dare, aliud simul censum regium donare: adeoque cum alii census Regii præterquam Tusciæ & Ducatus Spoletani per Tabulas hæc non sunt donati, reliquas omnes terras in nexu illo relictas. Et vero ipsam Urbem Romam ditionemque Pontificis, centum amplius annis post, adhuc censum fisco Regio solvisse certum est. Abbas Urspergensis seu Swartzhaënsis potius ad annum 1074: *Hanno Coloniensis Episcopus* & *Hermannus Babenbergensis Romam missi sunt, PECUNIÆ QUÆ REGI DEBEBATUR congreganda gratia.* Otto Frisingensis scribit missos illos Romam, *pro iustitia Regni.*

Quibus omnibus probè expensis, nemini non ex ipsis illis Tabulis manifestum est: haud aliter juris Pontificii amplum illud territorium

Hum fuisse factum, quam illâ tempestate  
 Ottonis dono passim omnibus pene Episco-  
 pis terrarum *principatus* cedebant: eoque  
 tum quidem temporis intra Imperii Cæsarii  
 limites omne Paparum patrimonium, utut opi- 5  
 mum admodum, remansisse.

Non urgebo nunc, novo pacto cum Le-  
 one IIX Papa anno 964 inito, majorem so-  
 lito, circa Paparum Episcoporumque omni-  
 um per omnem Italiam electionem, Ottoni 10  
 Cæsari ejusque successoribus vim auctori-  
 temque accrevisse: Quod alibi contra Baro-  
 nium, qui primus non dubitavit Cæsareum  
 jus, iin ipsum Gratiani Decretum per tot se-  
 cula receptum probatumque, oppugnare, de- 51  
 fendimus. De juris illius effectu ita Onu-  
 phrius, omni exceptione hac in re major arbiter.

*Satis constat: Joannem XIII, qui Leoni IIX im-  
 mediate successit, Gregorium V & Sylvestrem  
 II, Apostolica sedi SOLA Imperatorum 20  
 auctoritate impositos fuisse, NULLIUS  
 cleri vel populi Romani suffragiis expetitis.*

Magni Ottonis Nepos OTTO TERTIUS vi-  
 detur ipsum Papæ territorium intra angusti-  
 ores

ores multo limites revocasse, priscis illis donationibus ut vitio factis è medio remotis; idque ex consilio ipsiusmet Sylvestri II Papæ. Conquestus enim, Papas ementito Constantini Magni dono, & Caroli Calvi de re aliena prodigalitate, *maximam partem Imperii Apostolatus suo junxisse*; ipsemet S. Petro per Sylvestrum offert Octo Comitatus, *Pisaurum, Fanum, Senogalliam, Anconam, Fossabrum, Callium, Hesium, & Ausinum*, nec eos tamen omni Cæsareo juri exemptos, sed *ad incrementum ut Apostolatus, ita & Imperii.* Tabulas illas Ottonis III ab Baronii Gretzeri & aliorum incurfibus aliàs vindicavimus. Neque de Sylvestri Papæ consilio est quod dubitet, qui noverit quàm Otto illi fuerit ut magistro quondam suo addictus, quamq; Sylvester ille curiæ Romanæ iniquitati infestus fuerit. Baronius ad annum 999 n. 2: *Illud omnino possumus affirmare, nullum hæcenus in Petri sedem fuisse promotum, qui eandem Sedem suis scriptis ita prosciderit, ut Gerbertus.* Is autem est idem ille Sylvester. Nec audet Baronius profiteri, damnasse Sylvestrum, mutato cum infula animo, quæ  
Gerber-

Gerbertus laudaverat : qualem se gessit ex Ænea factus Pius II. Sed & ex ijs quæ ad annum 1002 narrat Baronius de Hugone Hetrurix Marchione & Duce Urbis Romæ, haud obscure liquet, magistratum illum Ducalem ab Ottone isthoc Cæsare non à Pontifice Hugoni demandatum. Certe n. 3. disertis Petri Damiani verbis asseritur, Marchiam Camerini cum Spoletano Ducatu ex Imperatoris arbitrio dependisse. Unde consequens utique est, illa ab Magno Ottone donata juris iterum Cæsarij facta esse.

Qui Ottoni III successit, HENRICI SANCTI alias Tabulis ad annum 1014 refert Baronius, ex quatuor exemplaribus hinc inde mutatus, ipso met fatente, nullaque addita temporis nota. Ut facile appareat, autographas nec in Vaticano reperiri, & apographa fluxæ admodum fidei esse. Alias de ijs plura diximus. Nunc satis est monuisse: disertis verbis, planè ut in Ottonianis illis prioribus, cautum & ibi esse summo Cæsarum imperio, nec in Italia quidquam porrò donari præter ea quæ in Ottonis Magni sunt tabulis, nisi quod addat auctor:

auctor: omnem illam terram, qua inter Narniam, Interamnem vel Spoletum ex regni nostri parte habuimus. Nec vero vel memorari meretur: Episcopatum Bambergensem, Fuldense<sup>s</sup> monasterium, atque omnia monasteria curtes & villas quas in ultramontanis partibus S. Petrus habere dignoscitur, Papæ transcribi. Non enim hoc quoque Cæsareis summis juribus quidquam derogat. Eoque inter Leonem IX & Henricum Nigrum anno 1053 instituta permutatione, pro Germanicis istis Papæ Beneventum quidem cessit, ut diserte habet Leo Ostiensis in Chronico Cassinense l. 2. c. 47. & 48: haud dubie tamen, ut nec hoc tum Imperii omnibus juribus fuerit subductum. Ubi obiter notanda est Gretzeri hallucinatio commissa in Appendice ad c. 2. Commentarii, de *Munificentia Principum in Sedem Apostolicam*, quam Arnoldo suo Brixienti subjunxit: ubi de strictus Bremensis à Carolo S. Petro factam oblationem, ad Papalia bona ille refert. Quasi vero omnia quæ Apostolorum Principi consecrata sunt, ad Petrum Romanorum pertineant, nec alibi terrarum dicatæ illi Apostolo

R

sacrae

sacræ ædes inveniantur bonis suis instructæ. Sane & Bremæ quæ est Basilica illi dedicata ab eo nomen sortita est.

Subsequuta multò postea est MATHILDIS Comitissæ, uncti profecto per Tusciam & Lombardiam confinia Principatus, donatio. Quod munus licet hodie κατ' ἐξοχήν S. Petri Patrimonium vulgo audiat, vehementer tamen controversi est juris. Imo non satis constant muneris illius limites. Carolus Sigonius l. 9. *de Regno Italia* donatam affirmat ditionem Lombardiam & Tusciæ. Leo Ostiensis l. 3. c. 48, Baronio laudatus ad annum 1077, narrat Liguriam & Tusciam in dono fuisse. Blondi *dec. 2. l. 4.* verba sunt hæc: *Mathildam Martinus Polonus, & alii ipsum secuti scriptores multi, tradunt Hetruria partem, hinc à Piscia agri Senensis finium tortente, inde à S. Quirino dicti agri etiam finium opido, ad inferum mare quam Patrimonium S. Petri appellant, Pontifici & Romana Ecclesie donasse. Hostiarius, qui de omnibus quæ apud Pontificem eius temporis gesta sunt, & ad superfluitatem multa scripsit, nullius loci meminit.*

Quic-



Quicquid sit : *primum* id certum est, jam olim de donationis illius fide inter Cæsarem Papasque acriter fuisse controversum : eoque tuto vix aliquid certi definire est. Arnoldus Lybencensis scriptor *συγγραμματα* l. 3. c. 10, agens de Friderico I Cæsare & Lucio Papa: *Tractabant inter se dominus Papa & Imperator de patrimonio Mathildis matrone nobilissima, quod Imperator in possessione habebat, dicens ab eadem Imperio collatum. Et è converso dominus Papa Sedi Apostolica ab ea donatum affirmabat. Cumque in argumentum probandi, testamenti ex utraque parte privilegia porrigerentur, nullo sine causa terminata est.* Et verò confitetur ipsemet Baronius, *testamentum Mathildis illud quod vivo Henrico Cæsare anno 1097 conditum est, jam olim perisse: vult tamen in ejus locum aliud testamentum susceptum Paschali sedente Papa, à Mathilde anno 1102, quod ad illum annum exhibet Baronius, & ad calcem Domnizonis Tengnagelii. Cujus fidem proinde Cæsar vocavit in dubium, etiam ipse simili aliquo testamento instructus.*

*Secundo, sero admodum in possessionem*

muneris illius Papæ admissi sunt. Obijt enim quidem Mathildis 1115: at Baronius ipsemet est dubius, num illico tunc Papæ hereditatem illam creverint. Urspergensis verò diserte prodit: mortua Mathilde, *directos ab Italia nuncios, ad defunctæ pradiorum terras amplissimas hereditario jure possidendas, Casarem invitasse.* Et sane fecit id sequente anno Henricus V Cæsar. Potuisset & debuisset in eadem jura succedere Lotharius Cæsar: sed ille pro sese & genero suo de terræ illius possessione cum Innocentio II Papa maluit pacisci, in eas conditiones quas recitat Baronius ad annum 1133. Devenit post nescio quibus legibus ad Guelphum Ducem Henrici Superbi fratrem. At Fridericus Cæsar nequam passus est, in Pontificum jus, plus satis potentium, opes adeo ingentes recidere. Radevicus l. 2. cap. x. de Friderico: *REDITUS quoq; IMPERIALES, que dicuntur domus Mathildis, à Duce Guelphone, seu ab aliis distractos & dispersos, congregavit: quos postmodum eidem nobilissimo Principi adunatos & melioratos liberali restitutione noscitur reddidisse. Quorum pradiorum magnitudinem,*  
*eiusq;*

eiusque terra copiosam opulentiam, qui ripas  
Eridani pervagati sunt non ignorant. Guntherus  
l. 9 ita hoc cecinit:

Præterea reditus, cunctis de finibus illis,

5 Quos famosa prius possederat illa Mathildis,  
Pluribus invasos Rex in SV A jura retraxit.

Inde collectos, & tanquam corpus in unum  
Partibus ex multis quadam gravitate reductos,

10 Nescio quid prisce se juris habere volenti,

Ac velut heredi, cumulado munere Princeps

Concessit Catulo: qui Regis avunculus, illo

Tempore Dux validus, felicia castra Nepotis

Milite non paucis mentisq; vigore juvabat.

15 Non multo post inter alia totam terram Comitissa  
Mathildis Hadrianus quidem Papa per legatos  
suos repetijt à Friderico Cæsare, ut liquet ex  
Radevico l. 2. cap. 34. (Guntherus ait:

Restituatur ei Comitissa terra Mathildis)

20 Sed cum Cæsar rem omnem sese vel iudicio vel  
arbitrio delectorum submissurum profiteretur,  
idque renueret iratus Adrianus, omnia  
nutu Ire suo cupiens, ut loquitur Guntherus,  
morte hujus mox subsecura & diuturno

exorto Paparum schismate, in ipsiusmet Cæsaris  
 possessione post Guelphi ducis obitum terra  
 illa omnis perstitit : præsertim accedente Ale-  
 xandri III Papæ in quindecim annos & legi-  
 timum causæ iudicium assensu : quo tempore 5  
 pax inter Papam & Cæsarem Venetijs coa-  
 luit. Quod liquet ex ijs quæ de vetustis mo-  
 numentis narrat Baronius ad annum 1277  
 n. 55. Lucio Papæ eandem Mathildis heredi-  
 tatem repetenti quid opposuerit Fridericus 10  
 idem fortissimus Cæsar, jam tum ex Arnol-  
 do Lybecense audivimus. Non Fridericus verò  
 tantum tenuit terram illam, sed & filius suc-  
 cessorque Henricus Cæsar. Qui teste Sigonio l.  
 15. Philippum fratrem Tusciæ & Terræ Mathil- 15  
 dis Ducem creavit. Henrico defuncto Phi-  
 lippus, ut gratiam Papæ mereretur, cessit tan-  
 dem possessione illa omni, præter Montem  
 Flasconis ; causa tamen ipsa citra dubium in  
 lite manente, jure an injuria possessio illa ad 20  
 Papas pertineret. Simulac Otto IV Cæ-  
 sar Roma digressus anno 1209, *summis adhibi-  
 tis jureconsultis jura Regni diligenter inquisivis-  
 set* ( ut loquitur Sigonius l. 16, ) *Et quedam  
 oppida*

oppida à Pontifice, alia vero in Campania à Fri-  
 derico, modo vacante Imperio, occupata com-  
 perisset, quæ ad Imperium sive Regnum perti-  
 nere putaret, nulla Pontificis ac sacramenti  
 5 habita ratione, militibus protenus immixtis  
 recepit. Ea inter oppida fuere & illa quæ Ma-  
 thildis quondam tenuerat. Circumspecte  
 adeo sese gessisse Ottonem, & nihil non egis-  
 se ex consilio legalium hominum, sacramento  
 10 in id adstrictorum, ut docerent jura ad digni-  
 tatem Imperialem spectantia, idque quoniam  
 jurejurando promississet Cæsar, jura Imperii  
 dispersa pro possibilitate sua revocare, locuples  
 testis etiam est, pene ex ipso illo ævo Mat-  
 15 thæus Parisius, magna prudentia & usu re-  
 rum prævalens scriptor Anglicus. Post Ot-  
 tonem igitur demum Fridericus II, à Papis  
 inductus, reddidit Mathildica: non multò  
 tamen post verso consilio sibi & Imperio ite-  
 20 rum vindicavit. Quæ omnia utique liqui-  
 dò docent, saltim ad illa usque tempora here-  
 ditatem illam Mathildicam à Cæsaribus potius  
 quam Papis possessam; nequaquam vero habi-  
 tum

tum ea ætate, quasi illa jure ad Pontifices pertineret.

*Tertio.* etiamsi Mathildis sua Papis donaverit fortassis : id utique tamen vacat dubio , etiam sic summis Imperii legibus minime potuisse illa subduci : quippe quum Mathildis omnia illis legibus fuerint obnoxia , & res cum suis oneribus transeant ad alios. Nec vero huic obstat, quod hereditas illa fuerit *allodium Mathildis* : quo titulo ab Innocentio II nuncupatur in tabulis , quibus eam Lothario Cæsari transcribit. Nam & allodialia legibus Imperii subjecta sunt. Revera autem non nisi in *beneficio* tenuit sua Mathildis. Hinc ipsemet Onuphrius in vita Gregorii septimi : *Mathildis Bonifacii, maximi per Italiam principis, filia & heres, Imperatoris Henrici III vim timens, Longobardie Tuscia & Liguria aliquot urbes jure hereditario ad se pertinentes Gregorio Papa & S. R. E. donavit.* Hinc odii inter Imperatorem & Pontificem seminarium primo exortum ; cum Imperator donationem illam in Imperii, cujus Mathildis erat **BENEFICIARIA**, prejudicium appro-

approbare nulla ratione voluisset, imò ea omnia occupare, tanquam ad se devoluta, tentaret.

ATQUE HÆ sunt nobiles illæ donationes, quibus ad Papam Imperii bona devenerunt. Quarum nullam ita esse comparatam, ut summo Imperii Principatui per eam sit aliquid derogatum, liquido jam patet omnibus. Quin Tabulas nullas produxeris, in quibus non sit disertè juribus summis Cæsareis cautum. Neque enim isthac ætate auditum cui fuit illud hodiernum Curia Romanæ iniquum *πολυπύλλον*: *Donationes, quæ Ecclesie Romana factæ sunt, esse absolutas, etiamsi donator conditionem adiecerit: cæteris vero Ecclesiis factas, non aliter quam si id donator voluerit.* Et verò omnia veteris illius ævi monumenta insipientibus non potest esse obscurum, illa Paparum bona non minus fere atque alia Episcoporum, oneribus Imperii fuisse obnoxia, & Cæsaribus eorumque Legatis in Italiam profectis perinde ut alia omnia patuisse. Hinc cum Tiburtinam urbem Pontificii juris Adriano Papæ restitueret Fridericus Cæsar, scriptis ad Tiburtinos literis, quas ex Actis Adri-

S

ani

ani Baronius ad annum 1155 n. 19 publicavit, hæc verba inseruit: *Hadriano Papa civitatem dimisimus Tiburtinam, salvo tamen super omnia JURE IMPERIALI.* Item: *scientes à juramento fidelitatis, quod nuper fecistis, vos absolutos, salvo in omnibus JURE IMPERIALI.* Cui formulæ assensit utique Adrianus: non facturus, si Petri vocatū patrimonium ab omni Cæsarium jure credidisset liberum: quod hodie multis est persuasum. Imo cum in Pontificum urbibus magnam exercerent Regiæ auctoritatis vim Cæsares, haud legas ramen à quoquam ea in re Cæsaribus contradictum. Princeps Adrianus ille quartus per legatos cum Fridrico Cæsare exostulavit, cum ille majorum vestigiis insisteret in exigendo fodro, quod appellant, sive ijs que ad fiscum regalem spectabant: ceu vocem hanc interpretatur Otto Frisingensis l. 2. cap. 12. Nempe militem in hybernis alens Cæsar, nuncios pro colligendo fodro per totam Tusciam, & maritima atque Campaniam direxit, ut loquitur Radevicus l. 2. c. 10. Horum insolentiam, & castellanorum suorum gravamen incusavit  
 Papa,



Papa, teste eod. cap. 20. Guntherus ita hoc expressit l. 9:

*Hac quoque causa recēs aderat, quod Regia Missi*

*Querere jura viri, dum per castella locosque*

5 *Pontificis summi, mandata fidelius equo*

*Publica conficiunt, nimia feritate timendi*

*Insolito miseros urgebant pondere cives.*

Mentem Papæ clarius expresserunt legati; qui inter alia hæc proposuerunt: Nuncios ad

10 *Urbem, ignorante Apostolico, ab Imperatore non esse mittendos, cum omnis magistratus inibi*

*B. Petri sit cum universis regalibus: De dominicalibus Apostolici fodrum non esse colligendum, nisi tempore suscipienda corona. Unde*

15 *apparet, ipsum Papam non esse professum, nihil fisco regio se debere. Verum hæc etiam ipsumet Episcopo Babenbergensi, Principi prudentissimo, durissima tunc visa sunt. Et de*

20 *priore postulato ipse Fridericus Cæsar ex tempore ita est locutus: Legatos ab Imperatore ad*

*Urbem non esse mittendos affirmat, cum omnis magistratus inibi B. Petri sit cum universis Regali-*

*bus. Hac res fateor magna est & gravis, graviorique & maturiori egens consilio. Nam cum*

*divina ordinatione ego Romanus Imperator dicar & sim, speciem tantum dominantis effingo, & inane utique porto nomen ac sine re, si Urbis Roma de manu nostra potestas fuerit excussa. De ultimo nihil actum est: ut & prius postulatum ceu nimis absurdum effectu caruit. Et sane sicuti reliqua multa ita & Roma Papis data est; singulatim hanc magis quam alia Papis esse obnoxiam redditam, adversatur utique omnibus donationum tabulis. Eoq; paulo ante ipsimet Legati Pontificii hisce verbis salutaverunt Augustæ Vindelicorum Fridericum Cæsarem: Salutant autem vos venerabiles fratres nostri, clerici autem VESTRI, Universi Cardinales, tanquam DOMINUM & Imperatorem URBIS & Orbis. Quod discrete notavit Radevicus l. i. c. 22: ut ut illum hoc nomine perstringat Baronius ad annum 1158. Sed & cum Fridericus ille Cæsar, tum qui eum sunt secuti Henricus VI, Otto IV, Fridericus II strenue jura sua summa Cæsarea in Ecclesiæ quoq; Romanæ patrimonium & Urbem ipsam exercuerunt: quod infinitis exemplis facillimum est ostensu.*

Quid

Quid quod, saltem ad Gregorium usq; VII  
 Papam, in ipsos Pontifices vim Imperii gravissi-  
 me Cæsares ab Ottone usque exercuerint? Hinc  
 lanede Gregorio illo Onuphrius: *Huic cum*  
 5 *omnes Latina Ecclesia tum præcipue Romana*  
*acceptum referre debet, quod libera sit & ab Im-*  
*peratorum manu eruta, cum antea tanquam*  
*vilis ancilla non ab Imperatoribus modo sed à*  
*quovis Principe Romani Imperatoris præsidis*  
 10 *sulto, premeretur. Et vero.*

*Ex illo fluere & retro collapsa referrì*  
 Cæsarum hætenus recepta & omni orbi pro-  
 bata jura. Nisi quod Fridericus primus, ex-  
 orto in Romana Ecclesia schismate, judicium  
 15 causæ ad se tanquam Urbis dominum revo-  
 cans, fugientem Cæsarum auctoritatem non-  
 nihil stiterit, irrito licet tandem conatu. Quum  
 nihilominus tamen territorium omne Pon-  
 tificum legibus Imperii manserit obnoxium,  
 20 ceu multis demonstravimus, manifestum  
 est quod jam tum diximus; saltem ad hæc  
 usque tempora omne illud Ecclesiæ Roma-  
 næ patrimonium intra limites Imperii consti-  
 tisse: neque adeo quidquam esse causæ, quare  
 S 3 nos

nos quidem hoc loco de Ecclesiæ illius & Imperii finibus dividendis sumus solliciti.

## CAPUT XI.

*Regni Italici fines ad Fridericum usque II integros mansisse, nisi quod per injuriam partem eius decerpserit Neapolitanum Regnum:*

*Simul vero Venetorum urbi libertatem suam relictam.*

URBEM Romam cum reliquiis quibusdam veteris Imperii Romani, aliaque nonnulla, utut Ottonis Magni aliorumque Cæsarum dono Romanis Pontificibus cesserint, mansisse in ditioe Imperii Germanici, idque continuata ad Fridericum usque II possessione, (secus quam hodie Romana Curia profitetur) cum alibi latius tum proxime breviter, clare tamen, docuimus. Jam tum quoque, Italici regni nomine illud omne, quod Langobardicum ante audiebat, dudum venisse, idque Ottonis Magni armis Germanico Imperio adjectum, ostendimus. Ne qua tamen defuisse Imperii nostri commodo videamur, seorsim Italici quoque illius regni fines, quem-

quemadmodum ad eadem illa usque Friderici  
 II tempora sese habuerint, nonnihil explicatius  
 describemus.

Igitur VENETAM urbem ipsam intra Adri-  
 5 aticas aqvas subsistentem, nos quidem inge-  
 nue fatemur, nunquam Germanici juris esse  
 factam. Illam foedere æterno inter Carolum  
 Magnum & Constantinopolitanos Cæsares  
 inito, Orientali illi Imperio redditam, certe à  
 10 legibus Imperii Occidentalis absolutam, jam  
 tum fide Annalium Francicorum professi su-  
 mus. Ex eo ad Ottonis Magni usque tempora,  
 nemo sive Cæsarum Occidentalium sive Regum  
 Italiae, in urbem illam quidquam sibi potesta-  
 15 tis arrogavit. Certe in monumentis nulla  
 ejus vestigia apparent. Neque verò sine  
 injuria libertati isti opponuntur, illa Sigonii  
 ex l. 4. de Regno Italiae de Carolo Crasso,  
 quod *foedus inter Venetos atq; Italicos sibi sub-*  
 20 *jectos in quinquennium renovaverit:* aut, quod  
 Wido Cæsar anno 894 Petro Venetiarum  
 Duci, Hugo Italiae Rex Urso Duci anno 927  
 vetus privilegium *de tuta justaq; rerum suarum*  
*in regno Italico possessione Venetis firmaverint:*  
 deni-

deniq; Berengarii II pactum anno 950 cum Venetis initum de finibus. Pugnans hæc potius pro libertate Urbis quam quod eam impugnet; dum diserte Urbem illam eximunt, ab Italicis Cæsari subjectis & Regno Italiæ. Quanquam, privilegia illa id doceant, in Regno Italiæ bona quædam Venetorum civium fuisse jam tum sita, in continente scilicet: quæ Regni legibus obnoxia fuisse non negamus.

In ea itaque libertate, (si non majore,) reperit Otto Magnus Venetam urbem, in qua Caroli Magni consensu collocata est. Sed nec ille nec sequentium Cæsarum ullus vi Urbem istam adigit in leges Imperii: nec Urbs ipsa sponte sese dedidit. Ne attentata quidem à Cæsaribus nostris libertatis illius signa reperias in vetustis annalibus: sed Duces quidem *Amicorum Imperii*, ipsas autem Venetias *Regni* titulo à Cæsaribus condecoratas. Affert Nicolaus Grassus in suis ad Donati Janotti de Republ. Veneta aureum sane libellum annotatis, Henrici V Cæsaris Tabulas anno MCXI Veronæ exaratas: quæ clarissime docent illa quæ modo diximus, simulque  
osten-

ostendunt, continentis terræ omnia Venetorum bona Italici tum fuisse adeoque Imperatorii juris, eximiis licet privilegiis munita, & quænam insulæ Venetiarum nomine tum venerint, illiusque libertatis fuerint participes. Videtur proinde haud abs re fore, ut saltim partem illam Tabularum heic recitemus, quæ nostro instituto subservit. *In nomine sanctæ & individua Trinitatis, Henricus, Divina favente clementia, Quintus, Romanorum Imperator Augustus. Quoniam stabilem Christianorum Principum charitatem operari plurimè bona ad multorum utilitatem, evidenter novimus, & virorum sapientes, & disertos Rectores regnorum suorum, notos habere semper & amicos curavimus: Ordolphum Faletrum Dci donis Christianum & clarum Ducem Veneticorum, quem luce sapientia & totius honestatis ubertate prædicabiliter pollere manifestum est, habere notum & amicum ad decus Imperii nostri stabilitate perpetua decrevimus. Ad cuius rei perpetuam confirmationem hoc, quod ipse Dux vir sapiens & honestus fieri exaudibiliter postulavit à nobis, consilio nostrorum Principum*

T

cipum

cipum digna postulatione impetravit. Hae igitur  
 ratione tanta dilectionis uniti, nostram utrinque  
 caritem rationabiliter observavimus, & in multis  
 magnisque negotiis, publicis ac privatis, ejus  
 sinceram dilectionem, & praecellentem  
 sapientiam, Imperio nostro & nobis nostrisque  
 fidelibus utile existere probavimus. Et quia ipsius  
 rei evidentia, & sapientum judicio sapiens ac  
 discretus ipse Dux Venetici REGNI rector ex-  
 istit, & egregia voluntas & pura dilectionis  
 exhibitio, quam semper erga nos habuit & no-  
 strum Imperium, eum nobis in omnibus com-  
 mendabilem exhibuit, dignus eius & honestus  
 interventus apud nostram Imperatoriam Maje-  
 statem locum charissimi AMICI & viri sapien-  
 tissimi venerabiliter obtinuit. Igitur ob since-  
 ram & venerabilem eius dilectionem, vera cha-  
 ritatis vinculis astrictam, quicquid ipse Dux  
 & Venetici Ducatus Ecclesia & Populus, re-  
 tro per triginta annos, Imperii nostri potestate,  
 (secundum quod in precepto nostri patris, & no-  
 strorum predecessorum, Regum & Imperato-  
 rum, continetur, & pacto Othonis Imperatoris  
 legitur) juste & legaliter habuit & tenuit, per  
 hanc



hanc nostram Imperialem paginam renovamus, atque confirmamus. Hujus autem rei inter-  
 nuntii inter nos & prædictum Ducem, nostrum  
 charissimū AMICUM, viri nobiles extiterunt,  
 Vitalis Faletrus, eius consobrinus Morocenus,  
 & Stephanus dilectus eiusdem Ducis Capellanus  
 & Cancellarius, atq; Urso Justinianus vir illu-  
 stris: non quod istorum gratia vel cuiuslibet al-  
 terius hoc faceremus, sed solummodo dulci cha-  
 ritate Ducis charissimi nostri, cui indissolubili-  
 ter uniti sumus, prout dictum est. Hoc egimus  
 ita quidem, ut pars parti nil malignum, aut in-  
 justum, sed semper quod rectum est, in omnibus  
 rationibus rebusque facere præsumat: & si,  
 quod absit, aliqua malitia vel læsio inter partes  
 commissa fuit, per huius fœderis decreta tegatur,  
 ac facta satisfactione à rebelli & transgres-  
 soria parte, ad pactum observandum hac series  
 fœderis inviolabiliter semper maneat per cuncta  
 annorum curricula, remota contradictione vel  
 impugnatione, tam nostra quam nostrorum suc-  
 cessorum omnium. Quia injustum videtur, ut  
 aliquis vel his vel aliis æquis sanctionibus re-  
 pugnetur. Et ut maxime ac specialiter

*notentur vicini populi, tam ex nostro Imperio, quàm ex prædicto Ducatu Venetia, à quibus omnimodo hanc pactiois institutionem observandam esse decrevimus, hi sunt ex nostro scilicet jure. Papienses, Mediolanenses, Cremonenses, Lucenses, Pisani, Genuenses, Placentini, Ferrarienses, Ravennates, Comaclenses, Florentini, Ariminenses, Pisaurienses, Cense-natenses, Fanenses, Senogallienses, Anconenses, Humanenses, Fermenses, Eporienses, Veronen-<sup>10</sup>ses, Monteficenses, Gaultenses, Vincentenses, Paduenses, Tarvisienses, Cenetenses, Forojulien-ses, Pistorienses, & cuncti de nostro Italico regno, sive qui modo sunt sive qui imposterum futuri sunt. Ex prædicto vero Ducatu Venetia sunt: Ri-<sup>15</sup>voaltus, & Matamaucenses, Cluienses, Palesthinenses, Caputargolenses, Brintellenses, Lauretenses, Babienses, Murianenses, Majorbienses, Trocellenses, Amianenses, Burianenses, Constantienses, Equilienses, Caprolenses, Civi-<sup>20</sup>tatinenses; Finenses, Gradenses, & cuncta generalitas populi Venetia, sive qui modo sive qui futuri sunt. Confirmamus itaque, Veneticorum fines à nemine nostrorum inquietari in-*  
*vadi*

vadi vel minorari debere; sed libere & absque  
 ullo impulsu, quæ retro ab annis possedere trigin-  
 ta, deinceps possideant. Proprietates vero, & præ-  
 dia, quæ habere videntur tam ipse Dux, quam  
 5 suus Patriarcha, nec non & Episcopi, Abba-  
 tes, & Ecclesia sancta Dei, & reliquus populus  
 Venetia sibi subjectus, infra potestatem Imperii  
 nostri, sive in campis, sive in domibus, pratis,  
 sylvis, vineis, paludibus, salitis, sationibus, pis-  
 10 cationibus, quiete possideant, absque cujusquam  
 insultantis machinatione, aut lesione, sive sini-  
 stra quapiam tergiversatione: ita ut nemo con-  
 trarietatem eis facere præsumat, nec etiam  
 venationem, aut populationem, sine eorum li-  
 15 centia exerceat, neque violentiam ibi residenti-  
 bus inferat. Pene in extremis earundem ta-  
 bularum hæc habentur. Et hoc stetit de ca-  
 pulo, quod Rivalentenses, Olivolenses, Meta-  
 maucenses, Albinenses, Torcellenses, Amianen-  
 20 ses fecerunt retro ab annis triginta: habeant licen-  
 tiam faciendi secundum antiquam consuetudi-  
 nem, sive per flumina, sive per mare. Equi-  
 leenses vero capulare debent in ripa sancti Ze-  
 nonis, usq; in fossam sancti Metamauci & Gen-  
 tionis

tionis, secundum consuetudinem; & omnem arborem vehere cum carro aut ad collum, quantum sibi placuerit; & habeant licentiam pecudes in ipsis finibus pascere vel pabulari. De finibus Civitatis Nova dicimus, ut terminatio, que à tempore Liutprandi Regis facta est inter Paulucionem Ducem & Marcellum magistrum militum, deinceps manere debeat: id est, de plave majore usque in plavem siccam, peculiū quoque & gregem cum securitate pascere. 10  
 Capriani vero in sylva Foroiuliana, ubi semper capula verunt, capulare debeant; similiter Gradenses secundum antiquam consuetudinem in sylvis Foroiulii capulum faciant. Confirmamus etiam Lauretum, ut quantum aqua salsa continet, eius subiaceat potestati. 15  
 Et nullus Princeps vel pauper aliquē Veneticorum distringere, aut legem facere de aliqua Veneta substantia, aut ad placitum ducere, nisi in presentia illorum Ducis, aut fodrum tollere de illorum terris, que in nostro regno sunt, aut bannum mittere, tam de habitantibus in Venetia quam de illorum hominibus ubicunq; habitantibus, iustitiam 20  
 tiam

*tiam aliquam accipere præsumat, nisi in præsen-  
tia Dominorum suorum.*

Haectenus Tabulæ. Ubi inter alia obser-  
vatu dignum & hoc occurrit, Gradensem  
insulam Venedico juri adscribi: quam ta-  
men Carolo Magno paruisse olim, certum est  
& notatum à nobis jam ad Epistolas Leonis  
III Papæ. Et verò ab illo usque tempore com-  
plures à sese insulas occupatas ipsi Veneti fa-  
tentur. Non aliter autem de Venetorum urbe  
sensisse ipsum etiam Fridericum I Cæsarem in-  
dicat vel illud, quod cum Papa Alexandro III  
ea in urbe, tanquam extra Imperii sui fines,  
pacem inierit, adversus illam hostili nihilo  
tentato. Nec enim est quod nos moretur fa-  
bula de Ottone Friderici filio à Venetis capto:  
cui addere aliam solent de Alexandro Papa Cæ-  
sari venerabundo proterve illudente. Etenim  
nihil horum habent omnes illius ævi scripto-  
res: eoque à Jacobo Spigelio *in notis ad Gun-  
therum*, Christoph. Lehmanno *l. 5. Chr. Spi-  
renf. cap. 58*, Andrea Dinnero aliisque nostrati-  
um, ab ipso Baronio ad annum 1171, imo quod  
caput dixeris, ab ipso met Urbano II Pontifi-  
fice

fice literatissimo ac sapientissimo, quod & Caramueli *n. 364. Pacis licite* est notatum, contempta Venetorum ob id indignatione, jam dudum inter commenta damnatae fidei omnia ista 5  
hæc numerata sunt.

NIHIL proinde superest dubii, quin Urbs quidem ipsamet Venetiarum extra fines Imperii Germanici habenda sit. Præter insulas tamen illas Venetas, quas modo audivimus in Tabulis istis enarratas, nec in Adriatico sinu, nec in Tyrrheno mari, Italiae quidem vicinæ, insulae ullæ fuerunt, quæ non pertinuerint ad jus sive Imperii veteris sive Italici Regni, atque adeo non simul fuerint juris Imperii novi Germanici. Et vero nullæ in utroque mari viciniore insulae memorantur alterius ditionis. Ex adverso jam audivimus, Romano Pontifici maritima multa utriusque littoris donata cum proximis insulis: Corsicam item & Sardiniam in donis numeraram. 10  
Quin imò certum est, cessantibus Papis binas hæc insulas sibi vindicare, in utramque ab ipsis Cæsaribus manum injectam. Quemadmodum Fridericus I, in utramque insulam regiae 15  
admi-

administrationis ergo legatos destinaverit, frustratus tamen à Pisanis & Genuensibus, quorum curæ legatos illos commiserat, Sardinia ab utraque urbe in proprios usus occupata, narrat Radevicus *l. 2. cap. 9.* Fridericum II Cæsarem filium suum Enzium, rebus gestis clarum, Sardinia Regem constituisse, notissimum est. Siciliam quidem itidem ab Ottone Magno & Henrico II in Tabulis legitur donatam, sed adjecta discreta illa clausulâ: *si Deus nostris illam tradiderit manibus.* Nunquam autem venit in Cæsarum Germanicorum potestatem. Nec apparet, quei aliquid juris in insulam potuerit ijs competere, quum pacto illo æterno inter Carolum Magnum & Nicephorum Calabria simul & hæc insula in perpetuum jus Constantinopolitanis cecisset: nec postea novo juri occasio fuisset data. Par est ratio insularum mediterranei maris aliarum.

At in continente ipsa nihil non, si Italiae extrema excipias de quibus postea, jam tum Magno Ottoni paruit. Henrico quarto Cæsare jura Regia per bella civilia cæperunt  
 U  
 qui.

quidem multum imminui, & ex eo ad libertatem, Urbes cum primis nonnullæ Longobardicæ, adspirare, Friderici tamen I felicibus armis, ad pristinum obsequium omnia pene reducta sunt. Unius Radevici verbis ex *l. 2. cap. 5. & 6* hoc loco narrabimus, quid de juri-  
 bus Regiis in Comitibus Roncaliensibus ultro omnes Italiæ Episcopi Principes & Urbes fuerint anno 1158 professi. Deinde super justitia Regni & de Regalibus, qua longo jam tempore, seu temeritate pervadentiū, seu neglectu Regum, Imperio deperierant, studiose differens, (Cæsar) cum nullā possent invenire defensionem excusationis, tam Episcopi, quā Primates & Civitates, uno ore, uno assensu, in manus Principis Regalia reddere. Primique resignantium Mediolanenses extiterent. Requisiteque de hoc ipso jure quid esset, adjudicaverunt Ducatus, marchias, comitatus, consulatus, monetas, thelonea, fodrum, vectigalia, portus, pedatica, molendina, piscarias, portus, omnemque utilitatem ex decursu fluminum provenientem. Nec de terra tantum, verum etiam de suis propriis capitibus census annui redditionem. Hisq; omnibus in fiscum ad-  
 nu-



numeratis, tanta circa pristinos possessores (Cæsar) usus est liberalitate: quicumq; donatione Regū aliquid horum se possidere instrumentis legitimis edocere poterat, is etiam nunc Imperiali beneficio & Regni nomine id ipsum perpetuo possideret. Ex his tamen qui nullo jure, sed sola presumptione de regalibus se intromiserant, XXX milia talentorum, plus minusve, redditibus publicis per singulos annos accessere. Præterea & hoc sibi ab omnibus adjudicatum atque cognitum est: in singulis civitatibus potestates, consules, ceterosve magistratus assensu populi per ipsum creari debere, qui fideles simul & prudentes, & Principi honorem, & civibus patriæque debitam justiciam nossent conservare. De his autem omnibus, fideliter & sine fraude recipiendis & observandis, ab omnibus civitatibus, & sacramenta præstita; & vades pro libitu Imperatoris exhibiti sunt.

20 Hæc omnia Radevicus. Ubi observandum, ipsos quoque Episcopos Italicos tum agnovisse Regiam in se & sua auctoritatem, non minus atque alios. Qua de re ne dubitemus faciunt verba etiam Ottonis Murenæ

coævi scriptoris à Baronio adducta. Cum enim, Regalia à delectis iudicibus indicata esse, narra-  
 set, pergit: *Hoc sic peracto, Mediolanensis ARCHIEPISCOPUS una cum Consulibus Medio-*  
*lani, omnes alii presentes Lombardia EPISCO-*  
*PI, Comites, Marchiones, Duces, ceteriq, Ita-*  
*lia Principes, & omnium Lombardia civita-*  
*tum Consules ibi adstantes, publice, in colloquio*  
*ipso surgentes, in manu ipsius Imperatoris omnia,*  
*qua prædicti iudices jura Regalia esse dixerant,*  
*refutaverunt, & ei fidem de ipsis omnibus fece-*  
*runt.* Et vero hæc occasio fuit Hadriano Papæ,  
 denuo (per summam tamen injuriam) incande-  
 scendi. Guntherus l. 9. ita narrat de Hadriano:

*Præcipue postquam sua jura recognita fisco*  
*Assensus procerum per cunctas comperit Urbes;*  
*Indoluit factò: quantumq, videbat honoris*  
*Accessisse viro (Cæsari) tantum Pater ipse pu-*  
*Decessisse sibi.* (putabat 20

Radevicus disertel. 2. c. 15 de eodem: *Occasio-*  
*nem quarens, cum audisset quod Regalia Prin-*  
*cipi tam ab Episcopis & Abbatibus, quam à*  
*Civibus & Proceribus recognita fuere, lite-*

*ras in fronte quidem leniores, diligentius vero  
 consideratas acriore comminatione plenas, de hoc  
 negotio dirigit. Extat in Appendice Radevici  
 à Naucloero invenra Hadriani ad Cæsarem  
 Epistola, & hujus responsum. In Epistola  
 Papæ hæc leguntur: Quid dicam de fidelitate  
 B. Petro & nobis à te promissa & jurata? quo-  
 modo eam observes, cum ab iis qui dii sunt & fi-  
 10 lii Excelsi omnes, Episcopis videlicet, homagium  
 requirens fidelitatem exigis, & manus eorum  
 sacratas manibus tuis innectis. Cæsar ita re-  
 scripsit: Ab iis autem qui Dii sunt per ado-  
 15 ptionem & Regalia nostra tenent, cur homa-  
 gium & regalia sacramenta non exigamus? cum  
 ille noster & vester institutor ab homine rege  
 nihil accipiens, sed omnia bona omnibus confe-  
 20 rens, pro se & Petro censum Cæsari persolvit, &  
 exemplum vobis dedit, ut ita faciatis. Doceat  
 vos dicens: quia mitis sum & humilis corde.  
 Aut igitur Regalia nostra dimittant: aut si hæc  
 utilia judicaverint, que Dei Deo que Cæsaris  
 Cæsari persolvant. Epistolas subsequuta mox  
 est in eandem sententiam Pontificia Legatio,  
 & Cæsaris extemporanea responsio. Nam Le-  
 U 3 gati*

gati quidem inter alia proposuerunt : *Episcopos Italia solum sacramentum fidelitatis sine hominio facere debere domino Imperatori: Neque nuncios Imperatoris in palatiis Episcoporum recipiendos.* Respondit verò Imperator: *Episcoporum Italia ego quidem non affecto hominum: si tamen eos de nostris regalibus nihil delectat habere. Qui si gratanter audierint à Romano Prasule: quid Tibi & Regi? Consequenter quoque eos ab Imperatore non pigeat audire: quid Tibi & possessioni? Nuncios nostros non esse recipiendos in palatiis Episcoporum asserit, Concedo; si forte aliquis Episcoporum habet in suo proprio solo, non de nostro palatium. Si autem in nostro solo & allodio sint palatia Episcoporum, cum profecto omne quod edificatur solo cedat, nostra sunt & palatia.* Injuria ergo esset, si quis Nuncios nostros à Regis palatis prohiberet. Narrat hæc omnia Radevicus, & ut fide digna repetit ex illo Baronius ad annum 1159. Frustra vero fuit Hadrianus. Nam & illum mors abripuit: & Episcopi Italiæ in homagio Cæsari præstando saltim ad Frederici

derici II fata perrexerunt. Quæ obiter duxi  
 heic notanda : ut appareat , cum isthac tempe-  
 state Episcoporum quoque sacra bona in Cæsa-  
 rum fuerint jurisdictione , multo magis omnia  
 5 alia eidem paruisse. - Et vero unice observari &  
 hoc meretur : etsi in epistola conqueratur Papa  
 non de *homagio* tantum , sed & de *fidelitatis* sa-  
 cramento , Legatos tamen concedere , fas esse ut  
*fidelitatem* jurent Cæsaribus Episcopi.

10 Non multo post quidem Urbes Italiae  
 complures , primum Hadriani inde Alexan-  
 dri Pontificum instinctu , facta conjurati-  
 one in libertatem sese asserere studuerunt , bellis  
 cum Cæsare Friderico gestis multo acerrimis ;  
 15 tandem tamen anno 1183 Constantiæ pace pu-  
 blica restituta , ita aliquid Urbibus indultum ,  
 ut auctoritati Regiæ per conscriptas tabulas  
 sancte simul in futurum cautum sit. Reperi-  
 untur passim Tabulæ illæ de *Pace Constantiæ*  
 20 vulgo dictæ , & nonnihil sunt prolixiores :  
 coque non est quur eas hic inseramus. Me-  
 rito tamen magni faciendæ , ut quæ doceant  
 regia omnia jura , statumque adeo publicum  
 regni

regni Italici, qualia isthæc in posterum habere se debebant.

INFELICIOR Regni illius fortuna fuit in defendendis finibus Italiæ citerioris. Vexabant Apuliam & Calabriam finitimaque loca Sarraceni pariter & Græci: quos cum Normanni nonnulli ex Gallia Normannica oriundi, qui isthuc terrarum forte appulerant, & prudentia & dexteritate singulari feliciter retudissent, ab ipso Cæsare datæ sunt illis ibi sedes, in Regni præsidium. Diserte Wippo in vita Conradi Salici: *Facta pace inter Romanos & Teutonicos, Imperator in Apuliam processit: & Beneventanum & Capuam ac reliquas civitates illius regionis, si ve vi si ve voluntaria dedit, sibi subjugavit: & Normannos qui de patria sua, nescio qua necessitate compulsi, in Apuliam confluxerant, ibi habitare licentiam dedit, & ad defendendos terminos Regni adversus Græcorum versutias, eos Principibus suis coadunavit.* Hermannus Contractus id jam Henrico Sancto Cæsare factum narrat ad annum 1022: *Henricus Imperator Campaniam petens, Trojam, Neapolim, Capuam,*

Et ceteras civitates in deditiōem accepit, Et  
 Nordmannis quibusdam, qui tempore eius illo  
 confluerant, quoddam, ut ferunt, in illis parti-  
 bus territorium concessit; sicque ipse per Romanam  
 victor rediit in Italiam. Datum erat jam  
 ante Romano Pontifici in terras illas juris ali-  
 quid: Normanni autem isti jam novo numero  
 aucti, Roberto Guiscardo duce, & hæc Im-  
 perii occidentalis & alia quæ hæctenus Con-  
 10 stantinopolitani juris fuerant, excussâ omni  
 Cæsarum Pontificumq; reverentiâ, in suam di-  
 tionem redegere. Bertholdus Constantiensis  
 Appendice ad Hermannum Contractum ad  
 annum 1053: Nordmannorum gens à tempori-  
 15 bus prioris Henrici Imperatoris in partes Cala-  
 brie, Samnie, Campanieque confluit. Et quia  
 indigenis, contra Græcorum Et Sarracenorum  
 incursiones audacter preliando, auxiliabatur,  
 primo gratanter accipitur. Postea vero pluri-  
 20 bus eorum ad uberem terram concurrentibus,  
 viribus adaucti, ipsos indigites Et res eorum vio-  
 lenter possedere. Ut plenius ita asperius ipse  
 Contractus ad eundem annum: Ea gens à  
 temporibus prioris Henrici Imperatoris in  
 X Cala-

Calabria Samnia Campanique partes paulatim, ex Gallici Oceani oris adventicia, confluebat. Et quum bellicosior Italicis gentibus videbatur, primò gratanter accepta, crebro indigenis, contra Græcorum & Sarracenorum incursiones audacter paliando, auxiliabatur. Postea vero pluribus eorum ad uberem terram accurrentibus, viribus adaucti ipsos indigenas bello premere, injustum dominatum invadere, heredibus legitimis castella, pradia, villas, domus, uxores etiam vi auferre, res Ecclesiarum diripere, postremò divina & humana omnia, prout viribus plus poterant, jura confundere; nec jam Pontifici, nec ipsi Imperatori, nisi tantum verbotenus, cedere.

Hæc Contractus. Operæ fuerit pretium audire hic de ipso etiam Roberto Guiscardo differentem Ottonem Frisingensem l. 1. de gestis Friderici cap. 11. Robertus iste ex mediocri stirpe in Normannia, ex eorum militum ordine quos Vanassores vulgo ibi dicere solent, in plaga quam Constantiam indigena dicunt, editus. Cum Rogerio fratre, tam patri famis tempore morem (ut ajunt) gerens, quam ob locorum sterili-



rilitatis molestiam à natali solo progressus, multo  
 tempore multas provincias, oportuniorem ad in-  
 habitandum terram quarens, oberravit. Unde  
 & ab oberrandi circuitu, patria lingua Guistardus,  
 5 tanquam oberrator, vel girator, appellatus  
 est. Cum ergo non paucis, ut dictum est, diebus  
 multarum regionum girator existeret, à citeri-  
 ori Italia, quæ modo Apulia seu Calabria dici-  
 tur, tandem excipitur. Quam dum à Lango-  
 10 bardis possessam inertis plebis in habitatione, tan-  
 quam industria defensionis vacuam inveniret,  
 remissis in Galliam nunciis, exposita q̄ locorum  
 idoneitate ac gentis inertia, ad expugnationem  
 earum provinciarum consocios invitavit. Et  
 15 ne multis detinear, virtute, dolo, arte, ignavi po-  
 puli victor existens, Campania, Apulia, Cala-  
 bria, Sicilia ad ultimum possessor inventus est.  
 Reliquit autem Rogerio fratri ex parte sui Co-  
 mitatum Sicilia tenendum. Ipse vero Ducatum  
 20 Apulia cum Calabria sibi retinuit.

His initiis ortum in Italia Neapolitanum,  
 quod hodie vocatur Regnum : qua ratione Re-  
 gno Italico omne quod in Calabriam usq; inferi-  
 orem, (inde enim Græcorum ditio incipiebat)

à Campaniæ finibus protenditur, decessit, Etsi enim iniqui illi inuasores cum Romanis Pontificibus tandem pepigerint, atque ita illis saltem aliquatenus fuerit satisfactum, Cæsarium tamen dispar fortuna fuit; præsertim 5 ex quo factionem illam Pontifices Cæsaribus opposuere in usum suum. Exercitum, sed nebulonum potius quam militum, primus contra illos jam sacris diris devotos duxit, qui primus etiam Romanorum Pontificum, mi- 10 nus laudabili sane ad posteritatem exemplo, bellum movit, Leo IX Papa anno 1053: *cum illi, verba sunt Contracti, pacem petentes subjectionem servitiumq; ipsi promitterent, Et quæ prius injuste sibi usurpantes invaserant, ejus be- 15 neficio gratiaq; retinere velle se dicerent.* Verum ille ingenti strage victus, coactus insuper est hostem victorem communioni Ecclesiæ restituere. Sexto anno post, quod recusavit Leo, acceptavit Nicolaus II, prout docet Baronius ad 20 annum 1059; *divino id factum consilio* judicans, rectius si *utili* dixisset. Sequuti Nicolai exemplum Pontificum alii. Imo Anacletus Innocentio II oppositus Papa, non dubitavit Regio titulo &

& diademate Rogerium ornare : qua de re idem Baronius legendus ad annum 1130. n. 52. At recte quidem S. Bernhardus censuit epist. 119: *omnis qui in Sicilia se Regem facit, contradicit Cæsari*: ipsemet tamen Innocentius anno 1139 dignitatem illam, Cæsare inconsulto, confirmavit Rogerio. Movit aliquid, in gratiam tamen Romanæ Ecclesiæ potius fortasse quam Imperii, contra Normannos illos Cæsar Lotharius, & minitatus multa est Fridericus I. Frustra vero omnia.

Imo Friderici filius Henricus VI Cæsar, ducta anno 1189 Constantiâ, novi illius regni possessionem quasi in dotem consecutus est. Nec tamen vel sic in ditionem Imperii terræ per vim subductæ redierunt : etsi, certis legibus & illas & universum Siciliæ regnum Imperio unire studuerit Henricus ille Cæsar. Ea de re, in Collectione magni Chronici Belgici quam Pistorius edidit, Joannes nescio quis monachus ita disserit. *Imperator Henricus videns Regnum Alemannia & Imperium Romanum propter frequentes mutationes Imperatorum multa mala perpeffum, priusquam vota*

X 3

Prin-

*Principum in persona Imperatoris possent con-*  
*venire, ordinavit: ut amplius electio non fieret,*  
*sed per solam sanguinis successionem Imperium*  
*conferretur, ita ut qui propinquior Imperatori*  
*esset Imperator fieret. Ut autem Henricus à 5*  
*filio suo Friderico, quem de Constantia uxore*  
*sua habuit, sumeret exordium, REGNUM*  
*SICILIÆ & CALABRIÆ, & Duca-*  
*tum Apulia, & Principatum Capua, qua filius*  
*eius ab avis heres acceperat, Romano Imperio 10*  
*univit, ut perpetuò terrarum istarum unus do-*  
*minus esset. De studio Henrici hereditariam suc-*  
*cessionem Cæsarum revocandi in usum, me-*  
*minit non nihil: & Gobelinus Persona in Cos-*  
*modromio, addens irritum redditum nego- 15*  
*tium quod Saxonici Principes adversati fue-*  
*rint: de unione autem Siciliae cum Imperio*  
*filet. Non est tamen vero absimile & hoc.*  
*Certe nisi ab initio hereditaria quasi obtinisset*  
*successio Cæsarum Regumque nostrorum, non 20*  
*tot regna in unum reipubl. corpus coaluissent:*  
*nec inutile fuisset Henrico, eâ quasi permutatio-*  
*ne in familiam suam jus hereditarium Cæsareæ*  
*dignitatis transferre.*

Quicquid vero hujus sit, id constat: ab Henrici usque III Cæsaris ætate terras illas nobilissimas in ditione fuisse Normannorum magis quam Cæsarum; hos tamen perpetua contradictione Imperii jura integra tunc servasse, nemo meritò negaverit.

## CAPUT XII.

*Burgundia & Arelatense Regnum, per injuriam  
10 in terris Germanico Imperio debitis enatum,  
eidem rursus perpetui fœderis lege sociatum,  
esse; idque qua ratione sit  
factum.*

DE Italia & Cæsarea dignitate quemadmo-  
15 dum ad Germanos devenerit, propagatâ  
ad Fridericum usque II possessione, satis est  
dictum. Venimus ad id quod reliquum fuit  
quondam Lotharii Cæsaris. Ejus filius Ca-  
rolus Provinciæ sive Galliæ Narbonensis cis  
20 Rhodanum egit Regem. Si aliis credimus, ces-  
serunt eidem & Burgundiæ minoris non-  
nulla. Verum Carolo mortuo hæc quidem  
Lotharius Lotharingiæ rex, illam vero Ludo-  
vicus Cæsar, superstites fratres quasi hereditario  
jure

jure creverunt. Jam tum audivimus *cap. VII*, quemadmodum Burgundica illa, quasi portiones Lotharingici regni, initio Ludovicus Germanicus & Calvus patruī diviserint inter se, inde vero omnia ad Ludovicum Ludovici Germanici <sup>5</sup> filium devenerint.

Ludovico Cæsare Lotharii filio mortuo, ut Italiam cum Cæsarea dignitate, ita & Provinciam solus Calvus, fratri Ludovico Germanico majori natu præcipiens, per injuriam occupavit; sed <sup>10</sup> ita, ut novum ibi regnum vanâ inflatus ambitione conderet. Unus apud illum omnia pene aliquandiu potuerat Judithæ uxoris frater, Bosso aut Boso dictus: hunc Provinciæ regem creavit. Ea de re Regino ad annum 877: *Carolus senior Ro-* <sup>15</sup> *man secundo profectus est, ubi jam pridem Imperatoris nomen à Prasule Sedis Apostolica Joanne ingenti pretio emerat. Ab Urbe Roma in Longobardiam reversus, Bosoni Hirringardam, filiam Germanichildis Reginae & Ludovici* <sup>20</sup> *Imperatoris in matrimonium jungit. Dedit in super eidem Bosoni Provinciam, & corona in vertice capitis imposita eum Regem appellari jussit. Ut more prisorum Imperatorum Regibus*

gibus videretur dominari. Æmylius narrat, Bosonem ad regium nomen amplexandum ab uxore Hermengardē majoribus Augustis tumida, quod negaret jucundam sibi vitam fore nisi virum Regem amplecteretur, fuisse incitatum. Addit: Calvus quoque Augustus, ut non Duces modo sed & Reges crearet, eisque jura dicere, uxoris fratrem Provincia Regem appellat, quæ Hermengarda illius uxoris patri avo-  
 10 que Augustis paruisset: ita facilius & sanctiore jure minorique invidia Provinciam ad Francorum imperium redituram. Haud negaverim, tale aliquod consilium animo Calvi sedisse, observans illum quidem fastum in  
 15 Calvo ab Annalibus etiam Fuldensibus ad annum 876 notatum: Karolus Rex de Italia in Galliam rediens, ut majorem suæ mentis elationem ostenderet, ablato Regis nomine, se Imperatorem & Augustum omnium Regum cis mare  
 20 consistentium, appellari præcepit.

Hæc sunt prima initia novi illius Regni, quod ARELATENSE à regia primaria sede solet nuncupari. Bosonem tamen nihilominus non alio quam Comitis titulo frequenter scri-

ptores illius temporis appellitant, quasi regii nominis invasorem eum habentes. Ille vero altiora etiam tentare non dubitavit, uxorii forte juris prætextu. Nam & cum Papa Joanne Italiam intravit regni illius occupandi causa anno 878, ut habent Annales, spe licet frustratus; & sequente anno Ludovico Balbo defuncto Burgundiæ se regem dixit. Ea de re sic Æmylius: *Erant nobiles inimicitia inter Bossonem & Theodericum, quod 10* *uterq; Eduensium Comitatum suum esse diceret: eoq; usq; contentiones exarsere, ut Bosso à Pontifice Lugdunensium Regis insignibus ornaretur sacrareturque, ac Rex non Provincia modo sed & Burgundiæ declararetur, ipse primum 15* *deinde Ludovicus eius filius. Et Richardus Theoderici filius item se Regem Burgundiæ dicitabat, quod Edua quam sibi vindicabat Burgundiæ caput esset. Paulò post de filiis Ludovici Balbi: Bossonem eiusq; filium Ludovicum Pro- 20* *vincia finibus continere se cogunt. De hoc novo Bossonis conatu operæ fuerit pretium audire etiam differentem Reginonem scriptorem pene οὐ γαρρον. Anno dominica incarnatio-*  
*nis*



tionis DCCCLXXIX. Boso de quo paulo superius mentionem fecimus, audita morte Ludovici, (Balbi scil.) à Provincia egreditur, totamque Burgundiam occupare nititur. Deniq; nonnullos  
 5 Episcopos, partim minis, partim suasionibus, in societatis fœdera colligit, & Lugdunum ingressus, ab Auriliano ejusdem Urbis metropolitano, & aliis Pontificibus in regem super præfatum Burgundia regnum inungitur, pro nihilo ducens ad-  
 10 lescentes filios Ludovici, & velut degeneres (Filii nothi nempe erant Ludovici Balbi) despiciens, eo quod jussu Caroli eorum genetrix spreta atque repudiata fuerit. Que res attulit illi magis continuum odium ac periculorum dispendium,  
 15 quam glorie & dignitatis emolumentum. Si quidem jam dicti adolescentes Ludovicus & Carolomannus, industria ac studio Hugonis Abbatis & aliorum procerum in regnum sublimati, & eundem Bosonem diebus vite sue omni in-  
 20 stantia sunt persecuti. Nec solum illi, verum etiam alii reges Francorum, per succedentia tempora adeo graviter nomen eius tulerunt atque exosum habuerunt, ut inrecuperabili eius dejectione & mortis exitio, non modo Principes ac Duces, sed etiam eorum satellites sacramentis

*Et execrationibus obligarentur. Fuit autem tam perspicacis ingenii, ut cum à multis, ut dictum est, regibus & regnis assidue insectatus sit, à nullo tamen aut capi aut circumveniri aliquando potuerit: tanta moderationis, ut cum sibi faventes proscriptionibus damnarentur, bonisq; omnibus privarentur, nunquam insidiis suorum militum fuerit petitus, neque fraude proditus cum utrumque hostes sepe sperassent.*

Hæc omnia Regino. Discere vero hinc <sup>10</sup> est, Bosonem invasisse etiam nonnulla quæ Carolo Calvo ex Lotharingiæ regno obvenerant, & deinde filiorum Ludovici Balbi cessione Ludovico Ludovici Germanici filio debebantur: ut Lugdunum & Viennam. Et vero hinc <sup>15</sup> sine dubio hostem quoque nactus est Boso Ludovicum illum Regem nostrum, qui cum anno 880 bello persecutus est, ut tamen ille Vienna urbe se tutaretur, quod est in Annalibus Fuldentibus. Iidem Annales ad annum 887. <sup>20</sup> Mortuo Bosone, parvulus erat ei filius de filia Ludovici Italici Regis. Quem Imperator Carolus Crassus ad Rhenum villa Chiricheim veniens obviam, honorifice suscepit ad HOMINEM, sibiq;

*sibiq; adoptivum filium eum conjunxit.* Itaque Ludovicus Bosonis filius reconciliatus procul dubio Regi nostro Crasso, & regnum ejus feudi legibus juris Germanici factum est. Neque verò vel ab Arnolpho successore quidquam in illum inclementer actum. Imo de illius matre diserte Annales ad annum 890: *Ibi ad eum filia Ludovici Italici Regis, vidua Bosonis tyranni, magnis cum muneribus veniens, honorifice suscepta ac ad propriam remissa est.* Num tamen præter Provinciæ regnum aliquid Burgundiæ Ludovico illi Bosonis filio obtigerit, haud certò dixeris, in alto monumentorum antiquiorum silentio. Verisimilius est, sponte reddita, vel certe erepta, si non omnia saltim pleraq; per novum Burgundiæ regnum: quo de nunc etiam aliquid dicendum est.

CUM anno 887, à suis per summum nefas desertus, omni dignitate excidisset Carolus Crassus Imperator, paulòque pòst obiisset, præbita est occasio solvendi prope omnis Francorum Imperii. Regino prudenter ad annum 888: *Post Caroli mortem regna quæ eius ditioni paruerant, velut legitimo destituta herede,*

*in partes à sua compage resolvuntur, etiam non naturalem dominum præstolantur, sed unumquodq, suis visceribus regem sibi creare disponit. Quæ causa magnos bellorum motus excitavit: non quia Principes Francorum deessent, qui nobilitate, fortitudine, & sapientia regnis imperare possent: sed quia inter ipsos æqualitas generositatis, dignitatis ac potentia discordiam augebant, nemine tantum ceteros præcellente, ut eius dominio reliqui se submittere dignarentur. Multos enim idoneos Principes ad regni gubernacula moderanda Francia genuisset, nisi fortuna eos emulatione virtutis in perniciem mutuam armasset. Cum hisce subjunxisset Regino, quemadmodum Italiam Berengarius & Guido, Galliam Odo regia auctoritate occupaverint, pergit in hunc modum. Per id tempus Rudolphus filius Chunradi, minoris Burgundiæ Comitis, nepos Hugonis Abbatis (de quo supra meminimus) provinciam inter Juram & Alpes Penninas occupat, & apud sanctum Mauritiuum, accitis secum quibusdam primoribus & nonnullis sacerdotibus, coronam sibi imposuit, Regemq, se appellari iussit.*

*Post*

Post hac mittit legatos per universum regnum  
 Lotharii, & suasionibus pollicitationibusq; Epi-  
 scoporum ac nobilium virorum mentes in sui fa-  
 vorem demulcet. Quod cum indicatum esset  
 5 Arnolfo, illico cum exercitu super eum irruit.  
 Ille per arctissima itinera fuga dilapsus, in tutissi-  
 mis rupium locis salutis presidium quasi vit.  
 Omnibusq; diebus vita sua Arnolfus & Zuendi-  
 boldus filius eundem Rudolphum persecuti sunt,  
 10 nec tamen eum ledere potuerunt, quia, ut supra  
 expressum est, loca inaccessabilia, qua semitis  
 tantum pervia sunt, insequentium confertas  
 acies procul ab ingressu repellebat. Idem Re-  
 gino ad annum 894 de Arnolpho ex Italia cum  
 15 exercitu revertente: Inde conversus per Alpes  
 Penninas, Galliam intravit, & S. usq; Mau-  
 ritium pervenit, Rudolfo quem quarebat no-  
 cere non potuit, quia Montione consedens in tu-  
 tissimis locis se absconderat. Regionem inter  
 20 Juram & montem Jovis exercitus graviter at-  
 trivit. Paulo post: Soluta conventu Wor-  
 maciensi cum Loraham idem Princeps Arnolfus  
 venisset, Ludovico filio Bosonis, matre Hir-  
 mingarde interveniente, quasdam civitates cum  
 adia-

adiacentibus pagis, quas Rudolfus tenebat, dedit. Sed hoc ei in vacuum cessit, quia eas nullo modo de potestate Rudolphi eripere potuit. Hæc ita Regino.

Annales autem Fuldenses ad annum 888 scribunt: Rex Arnolfus contra Rudolfum Elisaciam progreditur, unde ad eum misso Alemannico exercitu, ipse per Franciam Bavorariam reversus est. Rudolfus enim, inito consilio cum primoribus Alemannorum, sponte sua ad Regem urbem Ratisbonam usque pervenit, multaq; inter illos convenienter adunata, ipse autem Rex cum pace dimissus sicuti venit ad sua remeavit. Hermannus etiam Contractus ad eundem annum: Arnolfus Italiam Burgundiamq; suo regno sibiicit. Franciscus quoque Guillimanus recens quidem tamen accuratus veterum rerum scrutator & scriptor l. 3. Originum Hapsburgicarum. p. 99 scribit, nescio quo auctore: Anno 896 ad Arnoltum Cæsarem ex Italia reversum & Ratisbonæ regni conventum agitantem Rudolfum quoq; accessisse. Eo quoq; inquit, cum Rudolfus tetendisset, ejus quod invaserat Burgundia regni confirmationem deniq; impetra-

*petrauit.* Claret autem, quæ in Annalibus ad annum 888 memorantur, à Guillimanno in annum 896 rejecta: omnia vero à Reginone multum dissentire. Num Reginonis aut aliæ illæ narrationes vero magis sint consentaneæ, difficile est dictu, utpote quum uterque Regino & Annalium scriptor illis plane temporibus vixerint.

Id certum est, Rudolphi isthoc novo regno detractum haud parum Germanicis quoq; iis, quæ cum divisione illa solenni inter Ludovicum & Carolum fratres anno 870 jam in possessionem Germaniæ venerant, tum cessione Ludovici Balbi filiorum ei debebantur: adeoque jure merito vel delendum illud regnum fuisse, vel in Germaniæ obsequio retinendum. Recte enim de Rudolfo illo Guillimannus pag. 95: *Rudolfus rex Burgundie apud B. Mauriti coronatus continuo in Lotharingiam, Elsatiam, Sequanos misit, qui reliquos proceres ad partes sollicitarent, & traducerent. Et facile Elsatios & Sequanos perpulit, Luitfrido Comiti Altenburgensi, & fratri Hugoni subiectos aut amicos, tuendosq; nepoti (erat sc. Rudolfus*

dolfus Luitiridi ex Ermentruda nepos ) omnes  
 opes contulerant, aut rursus Imperatoris acerbi-  
 tate iniquos & offensos. Lotharingios Arnulfus  
 retinuit, filio Zuendibaldo duce constituto. De-  
 nique brevi tempore regnum Rudolfus ab Rho- 5  
 dano & Arari ad Rhenum & Ursam perduxit,  
 adeoq; firmavit, ut contra utriusq;, Arnulfi &  
 Zuendibaldi, incursiones copias & arma forti-  
 ter servaverit, & ad posteros feliciter transmi-  
 serit.

Sive in gratiam Arnolphi receptus tandem 10  
 fit Rudolfus, sive non: post ejus obitum,  
 cum nemo esset qui jura Germaniæ fortiter  
 tueretur, invalidis per Hungarorum excursiones  
 & bella civilia Regum nostrorum rebus, haud  
 dubie Imperii quoq; reverentiam Burgundici 15  
 illi exuerunt. Princeps Henricus Auceps an-  
 no circiter 929, ut numerat Sigebertus, lan-  
 ceam clavis Dominicis sacram creditam au-  
 sus est Rudolfo Burgundo alteri extorquere:  
 nihil tamen præterea tentavit. Alter hic pa- 20  
 tri suo anno 912 successit: quem Anilylus alii-  
 que nonnulli præstantes scriptores, cum ejus-  
 dem nominis & ætatis ex Burgundiæ duce  
 anno



anno 923 Francorum rege contra Carolum Sim-  
plicem constituto, perperam eundem faciunt.  
De Burgundo autem illo ita Frodoardus ad an-  
num 922: *Berengario Langobardorum Impera-*  
5 *to, regno ab, optimatibus suis deturbato, Ru-*  
*dolfus Cisalpina Gallia Rex ab ipsis in regnum*  
*admittitur.* Id prolixius persecutus Luitpran-  
dus l. 2. cap. 16 appellat hunc *Regem Burgundio-*  
*num superbissimum.*

Huic per Italicorum Principum rebellionem  
10 substitutus quarto post anno in Italia regno Hu-  
go, ut a recuperando illo regno Burgundum  
averteret, cessit quicquid hactenus in Provin-  
cia Arelatensi tenuerat. Nam in Provincia  
quidem illa Arelatensi successerat Bosoni pa-  
15 tri, idque consensu Regum nostrorum, Lu-  
dovicus filius: verum is cum Italia regnum  
affectaret, a Berengario captus & excecatus  
est. Neque satis constat, num & ille Regio ti-  
tulo fuerit usus: nec enim eum hoc nomine  
20 sive Luitprandus l. 2. c. 16 sive Annalium scri-  
ptor, sive quis veterum alius, temere digna-  
tus est. Hujus autem hereditatem videtur  
crevisse Hugo hic quem Berthæ filium appel-  
lant

lant patris nomine dissimulato. Luitprando  
 l. 3. cap. 3 is audit: *potentissimus & sapientis-*  
*simus Provincialium Comes*; & videtur esse ipse  
 ille qui Frodoardo in Chronico ad annum 924  
 est Hugo Viennensis. Æmylio dicitur *Arela-*  
*tensis Rex* perperam tamen, nisi quod Are-  
 laten tenuerit. De hoc itaque Hugone Luit-  
 prandus cap. 13. l. 3: *His temporibus Italian-*  
*ses in Burgundiam ad Rudolfum mittunt, ut*  
*adveniat.* Quod Hugo Rex ut cognovit, 10  
*nunciis ad eundem directis omnem terram, quam*  
*in Gallia ante Regni susceptionem tenuit, Ru-*  
*dolfo dedit: atq; ab eo iusjurandum, ne aliquan-*  
*do in Italiam veniret, accepit.* Similiter Æmy-  
 lius: *Hugo ut Rudolfum, quem mox mutatis 15*  
*animis revocari ab adversa factione comper-*  
*tum habebat, ab illis consiliis penitus adverteret,*  
*cum bello imparem se opibusque sciebat, icto fœ-*  
*dere quicquid ipse in Gallia urbium finiumque*  
*obtinebat, ei tradidit, iurejurando adactò, in Ita- 20*  
*liam deinceps non ducturum se.* Eodem de  
 negotio videtur agere Frodoardus ad annum  
 828: paulo tamen diversa tradit. Hugo Rex  
 habens colloquium cum Rudolfo, dedit Heriberto  
 Comi-

Comiti Provinciam Viennensem vice filii sui  
 Odonis. Forte in filiorum aliquem Rudolphi  
 facta est translatio, ut tamen ejus nondum  
 adulti vices interim obiret Heribertus. Guilli-  
 mannus l. 4. Orig. Habsburgicar. pag. 108  
 hæc habet: Rex Burgundus, damnata gentis  
 Italicæ mobilitate, in patrium se regnum rece-  
 pit, & cum Guidone Arelatensi Comite quem  
 Itali Regem nominarant, transfegit, Arelatensis  
 10 regni titulum primis Burgundia Regibus celebra-  
 tum & quicquid Guido in Provincia habuerat,  
 ab eo accepit: cæterum Italia regnum ejuravit.  
 In quibus per *μνημονίων ἀπόρρητα* Guidonis  
 nomen pro Hugonis adductum esse, nemo  
 15 non videt. Id certum est, hæc ratione Regni  
 Arelatensis dignitatem cum Burgundico con-  
 junctam, & in unum quasi corpus duo re-  
 gna illa coijisse: cujus fines ex eo, à monte Jura  
 quem D. Claudii montem vulgo appellant, Rhe-  
 20 no Arari & Rhodano, usq; ad Alpes & mare  
 Lugusticum pertinere: quod ipsum & Joannes  
 Bodinus l. 1. de republ. pag. 128 ingenue professus  
 est.

Etsi vero utroque illo Rudolpho Rege  
 Z 3 pene

pene avulsa fuerit à Germaniæ corpore Bur-  
gundicum hoc regnum, exinde tamen sensim,  
ad officium rediit, initio facto circa an-  
num quadragesimum post nongentesimum.  
*Rudolfus Jurensis ac Cisalpina Gallia rex obiit: 5*  
*cui filius parvus Conradus in regno succedit:*  
scribit ad annum 937 Frodoardus. Etate  
hujus Conradi abusus, cum regnum ejus ut &  
Lotharingiam invadere niteretur Ludovicus  
Transmarinus Gallicus, Otto noster Magnus  
Rex, qui rerum ea tempestate feliciter potie-  
batur, prævertendum ratus, cum optimo jure  
posset, & Regem & Regnum illud suam in  
potestatem redegit. Witikindus Corbejenfis  
l. 2: *Rex Otto de die in diem proficiens, patrio 15*  
*regno nequaquam est contentus, sed abiens Bur-*  
*gundiam, Regem cum Regno in suam accepit*  
*potestatem.* Albertus Stadenfis iisdem prope  
verbis usus, notat illud contigisse anno 141.  
Sed Frodoardus, etate rei gestæ suppar, re-  
fert idipsum ad annum præcedentem quadra-  
gesimum. Verba ejus sunt: *Otto Rex Hen-*  
*rico fratri suo regnum Lothariense committit:*  
*tumque cum diversarum gentium, quas secum*  
*addu-*

adduxerat multitudine, post Ludovicum Fran-  
cum Regem in Burgundiam proficiscitur, ha-  
bens secum Conradum filium Rudolphi Regis Ju-  
rensis: quem jamdudum dolo captum, sibiq; ad-  
5 ductum, retinebat: castraque metatus super Se-  
quanam (forte Saxonam) obsides ab Hugone  
nigro accepit. Permissus quidem regnare Con-  
radus: sine dubio tamen haud alio quam fidu-  
ciario jure. Etli enim more suo Annales istius  
10 ævi minus explicate rem tantam narrent, po-  
tentiam tamen, quæ tunc erat, Imperii Germa-  
nici simulque imbecillitatem Conradi, & rece-  
ptos isthoc ævo regnandi mores, accurate ser-  
tantibus, non potest non idem videri. Si ve-  
15 rum est quod traditur à nonnullis, in Allobro-  
gibus Sabaudia Comitatum Beraldo Saxoni  
ab Ottone III beneficiaria lege concessum,  
testimonio id fuerit magnæ in Regno illo au-  
toritatis Cæsareæ; utpote quum Allobro-  
20 ges sine dubio ad Regnum illud tum pertinue-  
rint. Sed incerta id ipsum fide traditur, fa-  
bulæ similis quam historia. Et sane alii ve-  
nilius Morienam à Rudolpho Rege da-  
tam

tam Beraldo, Sabaudiam vero longè demum post Amadaeo concessam memorant.

Jam ex eo itaque fuit in clientela Germaniæ Regum illud Burgundiæ regnum. Per Rudolphum id nominis tertium propius nobis conjunctum, pars factum est reipublicæ. Hermanni Contracti antiquus codex ad annum 994: *Conrado rege Burgundia mortuo Rudolfus filius ejus ignavus successit.* Hic ille est, qui ipsummet utile (ut ita loquar) Burgundiæ illius dominium, cum esset *etwas*, primum Henrico II, iterum Conrado II Regibus nostris liberrima donatione concessit. De priore Dithmarus Mesburgensis Episcopus ætate suppar l. 8: *Jam loquar Imperatoris nostri (Henrici II) prosperitatem. Avunculus namq; suus Burgundionum Rex Rudolfus coronam suimet & sceptrum, cum uxore sua, privignis & optimatibus universis sibi concessit, reiteraturq; sacramendi confirmatio: Actumque est istud Moguncia.* Jam tum l. 7 notayerat Dithmarus nonnihil de illo Rudolphi dono pag. 92. ubi agit de Cæsaris cum uore & privignis Rudolphi conventu. *Impera-*

perator sapiente usus consilio, hoc voluit cum  
 his id sibi firmitus subdere, quod longe prius Rex  
 prae dictus ei sacramento post mortem suam san-  
 cierat. Omnem namq; Burgundiae regionis pri-  
 matum per manus ab a vinculo suimet accepit,  
 5 Et de maximis rebus sine ejus consilio non fie-  
 dis securitatem firmavit. Et prioris & se-  
 cundae donationis meminit in hunc mo-  
 dum Wippo in vita Conradi Saliqui : Ru-  
 dolfus Rex Burgundiae dum in senectute sua  
 10 regnum molliter tractaret, maximam invi-  
 diam apud Principes regni sui comparans, se-  
 cundum Henricum Imperatorem, filium sororis  
 suae, in regnum invitavit, eumq; post vitam suam  
 Regem Burgundiae designavit, Et Principes Re-  
 15 gni jurare sibi fecit. Ad quam rem commodan-  
 dam Imperator Henricus infinitam pecuniam  
 saepe Et saepissime consumpsit : sed defuncto Im-  
 peratore Henrico Rudolfus Rex promissa sua  
 irrita fieri voluit. Chonradus autem Rex ma-  
 20 gis augere quam minuere Regnum intentus, an-  
 tecessoris sui labores metere volens, Basileam  
 sibi subjugarvit, ut animadverteret an Rex Ru-  
 dolfus promissa attenderet. Quos postea Gisela  
 Aa regina

*regina, filia sororis ipsius regis Rudolphi, bene pacificavit. Paulo ante vero, Basileam urbem ad Burgundiam pertinere dixerat. Non multo post, ubi egisset de congressu Cæsaris cum Rudolfo in civitate Basilea, scribit: Confirmata inter eos pace, Gisela Imperatrice hac omnia mediante, Regnoque Burgundie Imperatori tradito, eodem pacto quemadmodum prius antecessori suo Henrico Imperatori datum fuerat, Rex Rudolfus iterum donis ampliatus reversus est Burgundiam. Otto Frisingensis aliique non ipsum Conradum sed ejus filium Henricum, qui nobis eo nomine post factus fuit Rex tertius, heredem à Rudolfo scriptum referunt. Ille l. 6. c. 30: Ea tempestate Rudolfus Burgundie seu Gallie Lugdunensis rex, moriens Henrico filio Regis Conradi, nepoti suo, Regnum cum diademate aliisque insignibus subtestamento reliquit. Sed idem ille Wippo alibi diserte scribit: Regnum Burgundie Conrado Imperatori, & filio ejus Henrico Regi à Rudolfo rege confirmatum est: ipsumque Conradum anno 1033, Henricum vero filium, concessu patris, anno*



anno demum 1038 Regem Burgundiæ coronatum esse narrat.

Quicquid hujus sit, id certum: mortuo Rudolfo Regnum illud (nisi duo malis Regna dicere) Germanico Imperio accessisse, idque anno 1032. Hinc Sigebertus: *Rex Rudolfus Regnum Burgundie Conrado Imperatori tradidit: quod à tempore Arnulfi Imperatoris (i. e. ab obitu Crassi) per annos plusquam centum*  
*triginta gentis suæ Reges tenuerat: sicque Burgundia iterum redacta est in provinciam.* Illam eandem Burgundici regni cum Imperio conjunctionem latè describit l. 3 Paulus etiam Amylius, Gallicarum rerum fide & eloquentia præstans scriptor, & quidem ita, ut unum atque alterum ex illa narratione huc adferre, præteritum operæ fuerit. Non parum, ait ille, virium Germani proceres accessurum rebus suis ducebant, Burgundionum regno sibi contributo, quod, (excluso Ducatu, qui Franco regi sine controversia parebat) si quis veterem memoriam repetat, Sequanos, Allobrogumq; ac Arelatensium regias urbes complecteretur, ac ab extremis Germanorum finibus ad mediterraneum

neum mare pertineret ; opportunum Gallia, Hispania, Italia, Africæq; rebus consiliisq; expediendis, ac conatibus capiendis, ut Augustum nomen Germania finibus ac angustiâ clausum, prodire in totius orbis terrarum lucem ac pristinam majestatem tandem possit. Idem Æmylius, cum narrasset, quemadmodum Conradus Cæsar, pullo Odone Campano, in Burgundiæ possessionem venisset, subjungit: Urbium illarum proceres, in quibus & Lugdunensis Pontifex numeratur, dicto audientes sunt, præsidia arcibus recipiunt, & ut fidem suam oppignorent, obsides dant. Paulo post addit: Pax inter Francos & Germanos, fraternumq; nomen inviolatum permansit, regniq; Francici jura Imperio, & Imperii Francico regno sancta exstiterunt. Ex quibus Æmylii verbis apparet, cum quantum momentum situm fuerit in illius regni possessione, & quam illud late patuerit, tum nihil amplius in illud juris Francorum Reges tunc temporis sibi arrogasse, atque adeo citra omnem controversiam Germaniæ illud optimo jure accessisse.

Ex eo igitur promoti sunt admodum Imperii fines

finis: Ab Urſa ſcilicet in Helvetiis, & Rheni  
 ripa ac Jura monte, ad Rhodanum uſque  
 Mare mediterraneum & Alpes: ita ut Lugdu-  
 num etiam, Valentia, Vienna, Avenio, Arelate,  
 5 Maſſilia, aliæque præclaræ urbes Lugdunenſis  
 & Narbonenſis Gallia, in nomen & ditionem  
 Imperii Germanici pervenerint.

Non poſſum non addere quæ de Burgun-  
 dia Comitatu, qui tunc maximam Burgundici  
 10 Regni integri partem abſorpsit, & Arelatenſi  
 regno, Guntherus *l. 5 Ligurini* cecinit, quo-  
 niam eleganter faciem univerſæ illius terræ  
 quaſi ob oculos ponunt. Quanquam ille,  
 ut ſolet, paraphraſtem ibi egerit eorum quæ ab  
 15 Ottone Friſingene *l. 2. de vita Friderici c. 29.*  
 diſſeruntur.

*Hæc adeo tellus à ſedibus incipit illis,  
 Quâ Baſilea ſuos vicino flumine muros  
 Alluit, & Rhenum venientem læta ſalutat:  
 20 Innumerosq; tenens populos, hinc Gallica rura  
 Mordet, at hinc rigidis ſcopuloſa rupib; Alpibus  
 Arctatur, tractuque pari protenditur, uſque  
 Qua rapidus primas Rhodanus maris inſluit  
 undas,  
 Quaque caput Regni ſedesque fuiſſe, vetuſti*

Fertur, Arelatum priscorum curia regum.  
 Teque sibi jungens a quo Provincia jure,  
 Nomen apud veteres Regni titulumq̄ gerebat.  
 Cujus Arelatum sedes, & finis ab illa  
 Parte ferebatur: donec suprema voluntas  
 Regis Rudolphi regnis accedere nostris  
 Jussit, & antiqui detraxit nomen honoris:  
 Ut jam non regnum, sed sit bona portio regni.  
 Has ibi metropoles, & primi nominis urbes,  
 Chrysopolim placidam, Lugdunum, sive Vien- 10  
 nam,

Quaeque tuos spumante mari Provincia fines  
 Claudit Arelatum, validis obnoxia ventis:  
 Chrysopolim Dubius, reliquas prae labitur amnis  
 Maximus Allobrogum Rhodanus dominatur 15  
 aquarum.

## CAPUT XIII.

Cesarum & Imperii in Burgundicum & Arela-  
 tense Regnum auctoritatem, cum primis ubi est  
 per Fridericum I sibi restituta, ad fatale 20  
 Imperii interregnum usq̄, integrans  
 mansisse.

**D**E ijs qui Conradi Saliqui Cæsareæ electioni  
 interfuerunt Principibus, ex omnibus Im-  
 perii

perii provinciis congregatis differens Wippo, hisce inter alia verbis utitur: *Burgundia nondum Romano Imperio ita ut nunc acclivis erat. Quod autem subjecta est modo, trium Regum gloria adscribitur.* Secundus Henricus Imperator primum eam subicere intendit, & bene in hoc studio perseveravit. Deinde Conradus Imperator animoso impetu Francos (Odonem sc. Campanum) hostiliter ex ea eiecit, belloque eam subjugavit. Ad extremum Rex Henricus tertius, pius, pacificus, lumen justitiae, bello & pace eandem Burgundiam temperavit cum magnificentia. Ubi que divina providentia tam pacis quam belli consiliis, conciliis, & conventibus, quibus interdum ipse interfuit, peregit, alias commemorabo. Id quod promittit Wippo, num praestiterit incertum. Tantum enim carmen aliquod sive *Tetralogus* ut appellavit, in laudem Henrici tertii, nomine illius haecenus prodijt in lucem, idque unius Henrici Canisii cura in secundo tomo Antiquarum lectionum. In illo vero nihil legas quod huc pertineat, praeter illa:

*Prætere a tibi, Rex, mandat Burgundia: surge  
Atque veni. Noviter subjecta vacillant*

*Inter-*

*Interdum, domino per tempora multa remoto.  
 Quamvis nunc pacem teneat Burgundia per  
 Auctorem pacis tamen in te cernere querit, te,  
 Semper & in Regis sua lumina pascere vultu.*

Cæterum non etiam est hujus instituti, res per  
 Burgundiam gestas enarrare. Satis nobis est illud  
 modo adductum Wipponis testimonium, de  
 Henrici III Cæsaris in Burgundiam *magnifico*, ut  
 ipse loquitur, imperio. Et verò ab hoc demum  
 Henrico nonnulli & Morienæ & Albonū, in Are-  
 latensi solo siti, Comitatus institutos referunt:<sup>10</sup>  
 quod Regiæ auctoritatis haud leve est monu-  
 mentum. Episcopatum regni illius, perinde ut  
 alibi, collationem ab eodem Henrico tum pe-  
 pendisse, luculenter apparet, vel ex uno Halinardi  
 Archiepiscopi Lugdunensis exemplo, de quo<sup>15</sup>  
 Albericus in Chronico ad annum 1046. *Abbas  
 Halinardus S. Benigni Divionensis factus est  
 Archiepiscopus Lugdunensis: & quia civitas  
 Lugdunensis tunc erat sub Imperatore, dominus  
 Halinardus Curiam Imperatoris adiit pro re-<sup>20</sup>  
 galibus suis accipiendis. Imperator jam erat  
 in procinctu Romani itineris, & voluit ut Ar-  
 chiepiscopus secundum morem, juraret ei fide-  
 tatem:*

tatem: Ille dixit se esse monachum, nec debere facere iuramentum. Dictum est, ut vel ad minus se offerret ad iuramentum: respondit, se non debere simulationem facere. Tandem, mediantebus Episcopis, Theodorico, antequam moretur Metensi, Brunone Tullensi, Richardo Virdunensi; Imperator pro sua religione iuramentum ei quitavit, deinde Romam abiit.

In Henrici IV historiis comparet quidem memoria exercitæ per Burgundiæ regnum Cæsareæ potestatis, rarior tamen: absq; dubio præ multitudine civilium bellorum.

Henrico V Saubdiæ Comitatus originem suam acceptum refert: quod ipsum hoc loco silentio haud prætereundum duxi. Ea de re ita loquitur in Originibus Sabaudie Ducum Lambertus vander Burch. Amadeus ejus nominis secundus Maurienna Comes Segusiavorumq; Marchio (Otto Frisingensis Taurinorum vocat Marchionem) decora juvena, corpore ingens, animi immodicus, dignus Humberto patre, cui successit, filius, primus ab Henrico quinto Imperatore, quod optima fortissimaq; variis bellis illius opera fuerat usus, Sabau-  
B b
dia

dia (qua Imperii Germanici, inquit Bodinus, provincia, & Imperii feudum antea fuit) creatur Comes, ea lege, titulum hunc cæteris omnibus, quibus præfulgebat, uti præferret, utque clientelari feudali ve imposteriorum jure Imperium Romanum Sabaudia respiceret. Beauvoisi quoque ab eodem illo Imperatore dominio donatur. Dependebat quidem (ut obiter hoc dicam) à Burgundia olim regno solum Sabaudicum; sed Burgundiâ in Romanorum tandem Imperatorum concedente potestatem, per magistratus ab Imperatoribus missos administrari Sabaudia cœpit: qui cum superbe ac avare imperarent, bonique publici nullam haberent curam, Henricus tandem Imperator Amadeum hunc provincie illi, cum Comitis (uti diximus) titulo præfecit.

Ab eodem Henrico sive Lothario Conradum Zeringensem Burgundiæ Comitem & Ducem constitutum, idq; quoniam Reinholdus, cui post mortem Wilhelmi hereditario jure illa ditio obtigerat, curias Principis h. e. comitia à Cæsare indicta, adire neglexisset, refert Otto Frisingensis l. 2. in vita Friderici cap. 29. Qui tamen simul narrat, Conradum occupasse



passe quidem sibi vicina loca ( Tiguro  
 ut reor proxima : illa enim urbe Berthol-  
 fum patrem ejus donaverat Henricus IV  
 Cæsar , teste eodem Ottone l. i. cap. 8. )  
 5 Reinholdum tamen minime cessisse, sed bello  
 utrinque excitato, eximiam Comitatus par-  
 tem sibi retinuisse, non attenta Cæsarum sen-  
 tentia. De illo negotio ita canit Guntherus l. v.

10 *Proximus agnatus Comitatus (Guilhelmi) Rei-  
 naldus & heres*

*Legitimus, tanta nactus moderamina summa,  
 Jure suo nimium & claro sanguine fretus,*

*Teutonicos reges edictaque saepe vocatus*

*Sprevit, & Allabroges aliis sub Regibus esse*

15 *Indignum reputans, nimium memor ille ve-  
 tusta*

*LIBERTATIS erat, Regemque superbus  
 agebat.*

20 *Donec ob innumeros fastus, sententia tandem*

*Ultrices in eum depromsit Regia vires,*

*Ereptamq; viro, regni sub judice, terram,*

*Nomine Chunrado fisci concessit habendam.*

*Ut quasi proscripto Regni spretore rebeli,*

*Proximus extincto succederet ille nepoti.*

*Qui mox concessos armato milite fines*

*Irrumpens, regale sibi defendere donum,  
Et valida sancire manu tentabat: at ille  
A patribus suscepta suis retinere laborans,  
Plurima conseruit aduerso praelia casu.*

Hæc Guntherus. Ubi notandum obiter, illud quod dicit de *vetusta libertate*. Respicit nimirum ille ad tempora Rudolphi ignavi Regis, quando Comites Burgundiæ vix comiter Reges suos venerabantur. De Wilhelmi Comitis aliorumq; Burgundiæ procerum protervia, & socordia Rudolphi illius Regis, quæ jam tum Henrico II Cæsare notavit Dithmarus Mersburgensis Episcopus *lib. 7. Chronicor.* illa digna sunt quæ hic recitemus: *Nullus, inquit de Rudolpho rege, ut audio est qui sic præsit in regno. Nomen tantum & coronam habet, & Episcopatus his dat, qui à Principibus his eliguntur: ad suam verò utilitatem pauca tenens, ex impensis Antistitum vivit, & hos vel alios in aliquo extrinsecus laborantes eripere nequit. Unde hi manibus complicatis cunctis primatibus velut Regi suo seruiunt & sic pace fruuntur. Ob hoc solum talis rector inter eos dominatur, ut eo liberius malignorum furor invicem vagetur, &*

*ne*

ne lex nova alterius Regis ibi adveniat quæ inolitam consuetudinem rumpat. Wilhelmus Comes miles est Regis in nomine, & dominus terræ. Et in his partibus nullus vocatur Comes, nisi is qui Ducis honorem possidet. Et ne illius potestas in hac regione paulo minus minueretur, consilio & ductu Imperatoris majestati, sicut prædixi, (memoraverat autem facinus aliquod sane horrendum) reluctatur. Ad hujus igitur Wilhelmi exemplum, videtur Reinoldus sprete majestate Regum Germaniæ, ex arbitrio rebus præfuisse, atque ita Imperium ingentem jacturam fecisse auctoritatis suæ.

Et vero illâ præpotentum Comitum rebellionem, & Provinciam & optimam Burgundiam partem Imperio subtractam aliquandiu esse, donec Fridericus I Cæsar, ducta in matrimonium Beatrice ipsiusmet Reinoldi filia & unica herede, collapsam rempublicam præclare crexit, diserte testantur qui vitam magni illius Cæsaris descriperunt, Otto, Radevicus, Guntherus. Otto l. 2. c. 29: *Beatricem Imperator in matrimonio sortitus, non solum*

Burgundiam sed & Provinciam, Imperio  
**JAMDIU ALIENATAS**, sub uxoris  
 titulo familiariter possidere cepit. Radevicus  
 l. 1. cap. 11 agens de Comitibus Imperii, quæ  
 anno 1157 Vesontione instituerat fortissimus ille 5  
 Cæsarum nostrorum Fridericus, ita loquitur:  
 His ita gestis, Fridericus ad ordinanda Imperii  
 negocia in Regno Burgundiæ animum intendit.  
 Cumq; Burgundiæ aliquando per se fortes Reges  
 habuisset, & per eos suis gentibus præcepta dare 10  
 solita fuisset, **EX APPETITU LI-**  
**BERTATIS**, quæ, ut dicitur, res inesti-  
 mabilis est, jamdudum insolentiam & desuetu-  
 dinem induerat obsequendi. Ea itaq; terra, quæ  
 non nisi multo labore & bellico sudore subigenda 15  
 putabatur, ita Deo ordinante paruit, quod (nisi  
 alia in Regno disponenda Imperatorem retra-  
 xissent) familiariter & cum paucis usque **ARE-**  
**LATUM, SEDEM REGNI BUR-**  
**GUNDIÆ**, properare potuisset. Denique 20  
 (quod modo viventium excidit memoriam ho-  
 minum aliquando contigisse) **STEPHA-**  
**NUS Viennensis Archiepiscopus & Archi-**  
**cancellarius de Burgundiæ, & ERACLIUS**  
 Archi-

Archiepiscopus & Primas Lugdunensis, &  
 ODO Valentinus Episcopus, & GAUFRE-  
 DUS Avinionensis, & SILVIO magnus  
 Princeps & prapotens de Claria, tunc ad cu-  
 riam venientes FRIDERICO FIDELI-  
 TATEM FECERUNT ATQUE HO-  
 MINIUM, & beneficia sua de manu il-  
 lius reverenter susceperunt. Arelatensis autem  
 Episcopus, & alii omnes Archiepiscopi, Episcopi,  
 10 Primates & Nobiles venissent, idemq; fecissent,  
 nisi mora Principem adeundi compendio sua bre-  
 vitatis prestitisset impedimentum: missis tamen  
 per honestos valde & industrios nuntios literis,  
 OMNIMODAM SUBJECTIONEM ET  
 15 DEBITAM FIDELITATEM IMPERIO  
 ROMANO compromiserunt. Brevius idem  
 quod Radevicus persecutus est Guntherus l. 6.

Interea magnos proceres Burgundia dives  
 Pontificesq; suis excitos Sedibus, ultro  
 20 Regis in occursum commoverat. Omnia late  
 Oppida, seu validis munita turribus Urbes,  
 Excipiunt illum valvis reverenter apertis.  
 Quaeque RELICTA SIBI jam libertate ve-  
 tusta

Gaude-

*Gaudebat tellus, venientem milite paucō  
Agnoscit DOMINUM supplex REGEM-  
QUE fatetur.*

Hæc tres illi σύγγραμματα. Superfunt verò etiamnum tabulæ variæ Cæsaris illius, ordinatæ ab ipso per Burgundiam reipublicæ luculenta testimonia. Ad Viennensem Archiepiscopatum pertinentes recenset Johannes de Bosco Cœlestinus cænobita Lugdunensis in *Viennensibus Antiquitatibus*, quæ Floriacensis Bibliothecæ eodem auctore publicatæ lævo xysto continentur. Quarum duæ cum primis nobiles sunt de Archicancellariatu Regni Burgundici Viennensi Archiepiscopo commisso, alteræ anno 1151 alteræ anno 1176 exaratae. In prioribus legitur: *Videlicet, ut in Regno Burgundia Sacri Palatii nostri Archicancellarius & summus Notariorum semper existas, & post te successores tui.* In posterioribus: *Viennensis Ecclesia, sicut inter ceteras Ecclesias & Metropolitana sedes Regni Burgundia gloria & honore quasi clariore sidere refulget, ita peculiaris gratia prærogativa apud Imperialem celsitudinem meruit præeminere, ut metropolitanus ejus*  
inter

inter ceteros Archiflamines principalem locum ac dignitatem obtineat, & quia Princeps consilii nostri & Archicancellarius in regno Burgundiae & primus in aula Regali, & in administratione reipublica ceteris excellentiori dignitate praeponatur &c. Similiter Guilielmus Paradisus *Histor. Lugdunens.* l. 2. cap. 35 producit tabulas ejusdem Friderici, quibus investivit Eracium Archiepiscopum de Regalibus Ecclesiae Lugdunensis, & de omnibus quae in Lugdunensi Episcopatu ad Imperium pertinent: civitatem Lugdunensem & totum Episcopatum liberum facit ab omni extranea potestate; SALVA per omnia IMPERIALI JUSTITIA. Datum Arbosi Cal. XIV. Decemb. indict. V. anno Dominicae incarnationis M.C.LVII. De eodem Friderico l. 4. *Burg. Hist.* c. 7 scribit Andreas Chesneus: Vidi plures chartas hujus Imperatoris pro Ecclesiis, Viennensi, Lugdunensi, Bellicensi, aliisque in Burgundia constitutis; quae fidem faciunt eum in regno Burgundiae pro supremo Principe agnitum fuisse.

De Ottone IV Cæsare Jacobus Spigelius ad l. s. Guntheri : Otto eius nominis

*nis Imperator IV se Arelatensem Regem appellavit, & possedit.* Prius illud haud memini alibi à me lectum. Posterius certum est vel ex eo, quod sigillatim Regno illo qui summa cum auctoritate præesset *Marschalli* titulo, constituerit Gervasium Tilbericensem dictum, Henrici II Angliæ Regis nepotem. Hujus sane sui muneris meminit ipsemet Gervasius libro cui titulus *Otium Imperiale* : hæc-  
 nus quidem quod sciam nondum typis edito, <sup>10</sup>  
 sed qui ms. in bibliotheca Academiae Juliæ & teste Vossio, Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti reperitur. Theodoro Niemio Gervasius ille *l. 2. de schismate cap. 19* audit: *Ora-  
 tor Arelatensis & Ottonis IV Cancellarius.* Si <sup>15</sup>  
 Arelatense autem Regnum ita fuit in potestate Ottonis, multo id magis verosimile est de Burgundici regni provinciis aliis.

Sunt qui tradant, ab hoc Ottone datum Petro Sabaudo clientelare dominium in Taurinos, Veragros, Salussios, Vaulxiosque. <sup>20</sup>  
 Sed fugit illos ratio : ut recte notavit in Petri illius historia Lambertus Vander Burch. Verius est, quod Lambertus idem narrat  
 de



de Thoma Sabaudia<sup>e</sup> tertio Comite : Illum  
*adversus Pontificem Romanum, in Friderici*  
*eius nominis Imperatoris secundi gratiam, bel-*  
*lum invitum reluctanterq; suscepisse.* Quod est  
 5 inigne testimonium Imperii in Sabaudum à  
 Friderico illo Cæsare exerciti.

Eidem Cæsari Raimundum Comitem To-  
 losanum anno 1235 de Marchia Provincia homi-  
 nium fecisse, testis est Andreas Chesneus l. 4.  
 10 Burg cap. 9. Ab eodem Cæsare Raimundum Be-  
 rengarium Provincia<sup>e</sup> Comitem in equestrem  
 ordinem fuisse ascitum, notavit in Chronico suo  
 Gotfredus S. Pantaleonis monachus Agrippi-  
 nensis. Inter tabulas Viennenses quas Joannes  
 15 de Bosco collegit, non unæ exstant hujus Cæ-  
 saris; interq; eas cum primis nobiles sunt anno  
 1214 exaratae, quibus Viennensi Archiepiscopo  
 ejusque successoribus *sacri palatii Archican-*  
*cellariatus* confirmatur. Provincia<sup>e</sup> Comita-  
 20 tum *de Imperio esse*, Comitem Provincia<sup>e</sup>  
*Imperatoris fidelem* fuisse, eodem tempore  
 discrete tradidit Matthæus Paris in Henrico III  
 Angliæ Rege. Ipsemet Ludovicus Sanctus  
 Gallia<sup>e</sup> rex, *Arelatensis Ecclesia sita est in Im-*  
 Cc 2 perio;

*perio*, scripsit anno 1259 in charta quadam de castro Balecricensi; & conventionis cum Raimundo Tolosæ Comite initæ tabulis passus est inferi: *Terram quæ est in Imperio citra Rhodanum*: ceu videre est apud Cutel. *Historia Tolosana l. i. cap. 4.* Petrus Sabaudus, cum Richardo Anglo, tanquam Imperatori, Sabaudia Mauriennæq; intuitu fidem suam obstrinxisset, in Taurinos, Veragros, Salussios, Vaulxiosq; plenum merumq; pro se posterisq; suisq; imperium<sup>10</sup> ab eo obtinuit, teste Lamberto Van-der Burchio.

Sed frustra sum in colligendis ejusmodi historiis. Abunde enim vel ex hisce paucis constat, post restitutam Imperii per Burgundiam & Arelatense regnum à Friderico id nominis primo Cæsare reverentiam, fines integros mansisse usque ad Rudolphum Habspurgicum. Quod nunc quidem demonstrasse satis est pro instituto. <sup>15</sup> <sup>20</sup>

## CAPUT XIV.

*Regnum Dania binis per intervalla vicibus Imperio Germanico fuisse obnoxium, sed libertatem recuperasse.*

**R** Ecce Otto Frisingensis l. 6. Chronici c. 35, cum fecisset verba de Francorum Imperii, inter Ludovici Pij filios, tres in partes divisione, subjungit: *Ex hinc diviso regno, Regna modo (i. e. sua ætate) duo Orientale ac Occidentale inveniuntur: quorum alterum (Orientale) partem Ludovici ac Lotharii, sedemq; Regni Francorum palatium Aquisgrani, ac Imperium Urbis Romæ habet: aliud vero (Occidentale) quod adhuc Francorum, eo quod istud Romanorum vocatur, appellatur, partem Caroli tenet.* Id quemadmodum factum sit, quave aliquamdiu fortuna propagati illi ampli fines sint Imperii Germanici, sive novi hujus Romani, hætenus. Quoniam vero ne intra illos quidem limites continere se potuit Imperii illius majestas, nobis quoque ad alia pergendum venit: quamvis pleraque illorum minus firmâ possessione Reges Cæsaresq; nostri tenuerint.

Illa inter primo loco DANIA in obsequium flexit, proferente jam Henrico I Aucupe, Danicis incursionibus & rapinis irritato, ultra Eidoram veterem Saxoniae limitem, vim Imperii. Isthac de re Adamus Bremensis, cap. 40. *Henricus Rex cum exercitu ingressus Daniam, Worm Regem primo impetu adeo perterruit, ut imperata se facere manderet, & pacem supplex deposceret. Sic Henricus victor apud Schliasvich, qua nunc Heideba dicitur, regni terminos ponens, ibi & Marchionem statuit, & Saxonum coloniam habitare precepit. Paulo aliter Dithmarus l. i. Insuper Nortmannos & Danos armis sibi obtemperantes fecit, & ab errore pristino revocatos cum Rege eorum Cnutone, hos Christi jugum portare edocuit. Superat quidem ætate Adamum Dithmarus: quia tamen ille longe est isto in rebus Septentrionalibus narrandis accuratior, nec Danicæ historiæ Cnutonem quendam Regem sed Worm eo tempore agnoscunt, Adamo potius fidentum est. Victoriâ istâ Henricus in ipsa Italia inclaruit. Hinc Luitprandus l. 3. c. 5. *Primus etiam hic Danos subjugavit, sibiq; servire coëgit,**

ac per hoc nomen suum multis nationibus celebre  
 fecit. Repetit idem c. 13. Henrici apud Italos no-  
 men tunc maxime clarebat, quod Danos nulli  
 antea subjectos solus ipse debellaret, ac tributa-  
 5 rios faceret. Witekindus l. 1. eam rem ita narrat:  
 Cum omnes in circuitu nationes subiecisset, Da-  
 nos, qui navali latrocinio Fresones incurfabant,  
 cum exercitu adiit vicitq<sub>2</sub>, & tributarios fa-  
 ciens regem eorum nomine Nubam baptismum  
 10 percipere fecit. Mendum esse in nomine Regio  
 non est dubium. De limitaneo autem magistra-  
 tu trans Eidoram constituto nihil etiam habet  
 Witikindus. Nec tamen est quod de Adami  
 fide dubitemus, qui sancte affirmat sibi hæc  
 15 à Danico Episcopo quodam prodita. Erat  
 verò jam tum oppidum illud ad Sliam no-  
 bile emporium. Rembertus in *vita S. Anscharii*  
 c. 12. scribit, sua ætate h. e. Ludovico Ludo-  
 vici Pii filio regnante, ex omni parte conven-  
 20 tum ibi fieri negotiatumq<sub>2</sub>. Notat Cypræus in  
 Annalib. Sleswicensib. l. 1. c. 7, ab Henrico arcem  
 extructam, cuius vestigia non longe ab æde  
 Heidebujensi supersint, ut ea de re dubitare ne-  
 mo possit, vulgo Oldenburgum vocari. Ex qui-  
 bus

quibus liquet : hac Henrici victoria promotis Regni limitibus , accessisse & nobile illud emporium & vicinum agrum usque ad Sleswicum : ita tamen , ut ipsa illa urbs pro termino Regni utriusque esset : quod ultra est Daniæ relicto. Et verò jam audivimus discrete ita limites definientem Adamum : qui idem repetit , ut mox audiemus , *cap. 50.* Quem secutus Helmoldus *c. 9* itidem scribit : *Fines Danorum qui olim fuerunt apud Sleswic, 10 transgressus Otto.*

Henrico defuncto, cum Dani legatos Ottonis & Marchionem trucidassent, Otto ille Magnus instructo exercitu omnem istam Cimbricam Chersonesum non tantum pervasit, sed & regem Haraldum adegit, cum Christianam religionem admittere, tum Regnum recipere in feudum. Hoc de Ottone non habet, quod mireris, Witikindus. Itaque juvat iterum audire Adamum Bremensem *c. 50* differentem. *20*  
*Otto, ait ille, Rex postquam omnia ferme regna que post mortem Caroli defecerant, suo Imperio subjugarat, in Danos arma corripuit, quos ante pater ejus bello compressit. Enimvero tunc rebellare*

bellare moliti apud Heidebam, legatos Othonis cum Marchione trucidarunt, omnem Saxonum coloniam funditus exstinguentes. Ad quam rem ulciscendam Rex cum exercitu invasit Daniam, transgressus terminos Danorum apud Schliasvich olim positos, ferro & igne totam vastavit regionem, usque ad mare novissimum, quod à Danis Nortmannos dirimit, & usque in presentem diem à victoria Regis Otten Sund dicitur. Cui regredienti Haroldus ap. Sliasvich occurrens, bellum intulit: in quo utrisque viriliter certantibus, Saxones victoria potiti, Danos ad naves cedere coegerunt. Tandem conditionibus ad pacem inclinatis, Haroldus Ottoni subiicitur,

51 **REGNUMQUE AB EO SUSCIPIENS** Christianitatem in Dania recipere spondit. Nec mora, ipse Haroldus cum uxore sua Gunhild & filio parvulo baptizatus est: quem filium Rex noster à sacro fonte susceptum Suen Otto vocavit. Eo tempore Dania cis marina, quam Jutland incolæ appellant, in tres divisa Episcopatus, Hamburgensi Episcopatu fuit subjecta. Servantur in Bremensi Ecclesia precepta Regis; quæ significant, regem Othonem in sua ditione regnum

Dd,

Dani-

*Danicum tenuisse, adeo ut etiam ille Episcopat-  
 tus donaverit.* Haftenus Adamus ; quem  
 Helmoldus , Albertus Abba Stadensis , Cran-  
 tzius & alii solent dissimulato nomine descri-  
 bere. Alibi *cap. 208* scribit : Jutiam ab Ot-  
 tone tributo subjectam , & in tres Episcopa-  
 tus divisam. Illi vero quod ait Adamus ,  
 Episcopatus Jutiæ ab Ottone definitos , testi-  
 monium luculentum præbet diploma illud  
 Ottonis I, quod inter Lindenbrogiana *p. 150*<sup>10</sup>  
 ut & alterum Ottonis III, quod *p. 153* conti-  
 netur: quæ paulo post adducemus.

Non meminit hujus victoriæ , ceu ante  
 dixi , Witekindus ( nam Cypræus ineptit , quan-  
 do *l. 1. c. 8 pag. 5* ab Odone in Gallia contra  
 Danos gesta cum hisce confundit ) sub finem<sup>15</sup>  
 tamen *l. 3* testatur , inter laudes Ottoni Cæsari  
 defuncto à populo dictas jaçtatum & hoc: quod  
 cum alios *superbos hostes*, tum *Danos subjuga-*  
*set*: & de Wigmanno rebelle scribit , illum ad  
 Haroldum confugisse belli redintegrandi con-<sup>20</sup>  
 tra Ottonem causa. Ditmarus quoque silen-  
 tio victoriam illam præterit , Ottonem tamen  
 appellat *Dacia* h. e. *Daniæ salutem*.



Saxo Danus patriæ historiæ scriptor sic factis disertus l. X bellum illud Ottonis cum Haraldo narrat quidem, sed & causâ ejus dissimulata, & eventu falsâ narratione plane corrupto. Sed (ait de Haraldo) eo superveniente, *Cesar Jutiam, utpote regio ductu vacuum, nullo resistente permensus, eum Limici sinus (Lymfiord) objectu tunc temporis Wendalam aquis claudentis, ulterius excurrere vetaretur,*  
 10 *conjectâ in undas lanceâ non solum iter ad Eidoram reflexit, verum & similimum fuga reditum habuit. Siquidem hastam, cujus usum habebat, maritimos in fluctus relinquendi monumenti gratia jaculatus, suum freto vocabulum indidit.*  
 15 *Verum ut impetu gravis, ita exitu vanus apparuit. Haraldus quippe ardentissimo cursu abscedentes hostium reliquias insecutus, Epponem extremi agminis ducem cum iis quos reperit trucidavit. Hæc ille. Verum, ut alias*  
 20 *passim ita & heic prodit iniquum in Germanos animum, fidem omnem habens insuper, & per ficta mendacia ac fabulas ineptorum poetarum fortissimæ genti suæ laudem aliquam conquirere, magno & veritatis dispendio &*  
 Dd 2 famæ

famae suae dedecore, nihil pensi habens. Hinc Henrici Aucupis de Wormo Rege victoriam & Marchionatum Sleswicensem ab illo constitutum silentio tegit: causam moti ab Ottone belli dissimulat: imo impudenter audet victo-  
 5 riam Haraldo adscribere. Verum Henrici quidem res Italico etiam teste locupletissimo Luitprando jam probavimus. Ottonis autem victoriam vel illa produnt quae mox subjungit ipsemet sui oblitus Saxo. Hacquinum scil.  
 10 Norwegum, *auditis quae Caesar apud Jutiam gesserat, plus opis ac fiducia ex Saxonis armis quam suis viribus capientem, tributum Haraldo negasse. Haraldum vero rebus cum Imperatore compositis, consortium catholicae religionis*  
 15 *amplexum.* Nec profecto vel Hacquinus vel Haraldus ita res suas composuissent, si Otto turpi fuga ex Jutia se recipiens extremum suorum agmen Haraldo trucidandum exposuisset. Imo quae Otto aeternum nomen potuisset freto  
 20 Jutico indere, si dignitatem suam fuga ejusmodi maculasset? Enimvero Ottonianae victoriae luculenta testimonia sunt haec ipsa Saxoni narrata, non Haraldinae.

Cypræus *l. i. c. 8* quatuor mille Danos prælio  
 ad Slesvicum commisso cæsos, memorat longè  
 verosimiliore fide. At quod idem vult Cranzium  
 secutus, Marchionatum Slesvvicensem passum  
 esse Ottonem antiquari, & Eidoram veterem  
 5 limitem Regni restitutum, id cum omni caret  
 ex illo ævo ad fidem idoneo testimonio, tum  
 à vero esse alienum, mox patebit. Cæterum  
 omnem Jutiam, sive Cimbricam Chersonesum,  
 in ditionem Germanici Imperii venisse Ottonis  
 10 Magni auspiciis, propagatamque aliquan-  
 diu eam dignitatem, longe clarissimum ar-  
 gumentum exhibent, quas ante laudavi Ta-  
 bulæ. Eoque operæ fuerit pretium utrasque  
 15 heic integras legere. Priores ipsiusmet Otto-  
 nis Magni, novendecim circiter annis post  
 devictum Haraldum (hunc enim baptizatum  
 ferunt anno 946) exaratae, ita sese habent.  
 In nomine sanctæ & individuae Trinitatis Otto  
 20 divina favente clementia Imp. Aug. Quum  
 Imperatoria dignitatis officium esse constet, ut er-  
 ga divini cultum officii per vigili cura insistant,  
 & quidquid augmentum sanctæ Christianæ re-  
 ligioni adhibere potuerit, inde sinenter in hoc

*studeant: idcirco nos interventu dilecti Archie-*  
*piscopi nostri Adaldagi, pro prosperitate & inco-*  
*lunitate Imperii nostri, quidquid proprietatis in*  
*marca vel regno Danorum ad Ecclesias in hono-*  
*rem Dei constructas, videlicet SLIESWICEN-*  
*SEM, RIPENSEM, ARUSENSEM, vel ad-*  
*huc pertinere videtur, vel in futurum adquire-*  
*tur, ab omni censu vel servitio nostri juris absol-*  
*vimus. Et ut Episcopis prescriptarum Ecclesia-*  
*rum, absq; ulla Comitis vel alicujus FISCO NO-*  
*STRI exactoris infestatione, serviant & suc-*  
*cumbant, volumus & firmiter jubemus. Servos*  
*verò & colonos in eisdem proprietatibus habitan-*  
*tes, nulli nisi eisdem Episcopis servituros ab omni*  
*etiam nostri juris servitio absolvimus, & sub*  
*nullius banno vel disciplina illos, nisi sub illarum*  
*Ecclesiarum Advocatis esse volumus. Et ut hoc*  
*auctoritatis nostrae praeceptum firmum & incon-*  
*vulsam permaneat, hanc chartam conscribi, an-*  
*nuliq; nostri impressione sigillari jussimus, quam*  
*& manu propria subtus firmavimus. Data VI*  
*Kalend. Julii. Anno Dominicae incarnationis D.*  
*CCCCLXV Indictione IIX Anno Domini Otto-*  
*nis Imperii IV, Regni autem XXX. Actum Ma-*  
*gadeburch in Dei nomine, Amen.*

In

Alteræ hæ sunt. In nomine sanctæ & indivi-  
 duæ Trinitatis Otto Dei clementia Rex. Omni-  
 um fidelium nostrorum, tam presentium quam  
 futurorum pia devotioni pateat, quomodo nos ob-  
 5 petitionem & interventum dilecti nostri Adal-  
 dagi, Bremensis Ecclesiæ videlicet venerabilis  
 Archiepiscopi, ac pro statu & incolumitate regni  
 nostri, quidquid proprietatis in regno Danorum,  
 ad Ecclesias in honorem Dei constructas, videli-  
 10 cet SLIESWICENSEM, RIPENSEM,  
 ARUSENSEM, OTTONESWIGENSEM,  
 vel adhuc pertinere videtur, vel in futurum ad-  
 quiratur, ab omni censu vel servitio nostri juris  
 absolvimus. Et ut Episcopis præscriptarum Eccle-  
 15 siarum, absq̄ ulla Comitum, vel alicujus fisci nostri  
 exactoris infestatione, serviant & succumbant,  
 volumus & firmiter jubemus. Insuper conce-  
 dimus prædictarum Ecclesiarum Episcopis, ut  
 potestatem habeant emendi agros, possessiones, &  
 20 prædia in omnibus regni nostri partibus, ubicun-  
 que velint aut possint. Servos vero & colonos  
 in eorum proprietatibus habitantes, nulli nisi  
 iisdem Episcopis servituros, ab omni etiam no-  
 stri juris servitio absolvimus, & sub nullius ban-  
 no vel

no vel disciplina illos, nisi sub illarum Ecclesi-  
 arum Advocatis esse volumus. Ad hoc etiam  
 omnes fideles nostri dignoscant, quod nos Folg-  
 berti ..... Ecclesie Episcopi ..... sive  
 qualicumque paratu euntibus in nostri regni fi-  
 nibus, theloneum prorsus perdonavimus. Et ut  
 hoc nostrae auctoritatis praeceptum firmum atque  
 inconvulsam permaneat, hanc cartam conscri-  
 bi, annulique impressione signari iussimus; quam  
 & manu propria ..... firmavimus. Data XV<sup>10</sup>  
 Kal. Aprilis, Anno Dominicae incarnationis  
 DCCC. LXXXIIX. Indictione I. Anno autem  
 III Ottonis regnantis V. Actum Wildeshusen  
 in Dei nomine feliciter, Amen.

Haec Tabulae illae. De Ottone II ita<sup>15</sup>  
 scribit Dithmarus l. 3. p. 28. Imperator prima ex-  
 peditione Buschuth civitatem cepit, Danos sibi  
 REBELLES petens ad Silesvig properavit.  
 Ibi etiam hostes suos foveam, quae ad defensio-  
 nem patriae parata est, & portam quae Wi-<sup>20</sup>  
 glesdor vocatur, armis praecipari videns, con-  
 silio Bernhardi Ducis & avi meimet Henrici  
 Comitis, omnes has munitiones viriliter exu-  
 perat.

Per autem est verosimile, non multò pòt  
 excussam iterum à Danis Germaniæ reveren-  
 tiam esse: cum primis ubi Sueno Rex regno avi-  
 to restitutus eò potentia excrevit, ut classe An-  
 5 gliam sibi subjicere non dubitaret. Quin ar-  
 bitror, Henricum Sueonum Regem, qui Sue-  
 none pulso Daniam occupaverat, jam tale  
 aliquid molitum: ut cujus auspiciis valida illa  
 piratarum manus Saxoniam & Frisiam affli-  
 10 xerit; de qua re verba facit Ditmarus *l. 4. pag.*  
*40. Adamus cap. 40.* Hunc tamen ab Ottone III  
 prælio superatum, idem Adamus testatur *cap.*  
*79.* Certe provinciam illam, utpote peninsu-  
 lam atque ita hostium appulsibus nauticis expo-  
 15 sitam, classe valente Dano, quâ Germaniæ Re-  
 ges nunquam instructi fuere, difficillimum fuit  
 retinere,

Canuto tamen primùm Suenonis filio, jam  
 non per Daniam duntaxat sed & Angliam longe  
 20 potentissimo, Imperii parta hætenus jura cessit  
 Cunradus Cæsar id nominis secundus, filio suo  
 Henrico Canuti filia in uxorem ducta. Qua  
 de re disertis verbis ita testatur Adamus *cap.*  
*91 de Cæsare isto differens. Cum rege etiam*

Ee

Dano-

*Danorum sive Anglorum, mediante Archiepiscopo ( Bremensi scil. qui Unwanus dicebatur ) pacem fecit ; cuius & filiam filio suo deposcens uxorem, dedit ei civitatem Schliasvich, cum Marchia qua trans Eidoram est, in fœdus, amicitia. Et ex eo tempore fuit Regum Dania. Unde discimus: per Ottonem Magnum non fuisse sublatum Marchionatum, sed Conrado demum Cæsare priscos limites Daniæ redditos. Quâ occasione haud dubie omni etiam reliquo per Ottonem in Daniam parto juri renunciatum est. Hac de causa Henrici IV ætate in hæc verba locutus est idem Adamus cap. 208: *Hanc Daniam à nostris Nordalbingis flumen Egdora dirimit. Diuturni verò illius Germanorum in terras illas domini luculentum testimonium præbet vetusta Saxonum iis in locis & perpetua habitatio. Nec enim firmas adeo sedes posuissent ibi Saxones, si in plenam Danorum ditionem Marchia ipsa jam tum Ottone Cæsare rediisset. Sane Helmoldo jam tum audit Sleswicum, civitas Saxonum Transalbianorum opulentissima.**

Verum extincti dudum Marchionatus  
argu-



argumentum fortè petas ab eo : quod Saxone  
 teste, post prælium Haraldi cum Ottone Cæ-  
 sare, Thyra Wormonis conjux sive vidua,  
 Haraldi mater, vallo admirandi operis à Sliā ad  
 5 Threnam amnem, qua Hollingstedum,  
 adjacet, ducto, intra munimentum hoc Da-  
 nicum urbem Sleswicum retraxit. Utique  
 enim pro signo hoc habendum Danico juri red-  
 diti Sleswici. Sed ut non fraudaverim foeminam  
 10 animosi facinoris laude, Saxoni tamen cre-  
 dere non possum, tam demum opus illud ex-  
 tructum. Verosimilius est, factum illud  
 esse, quum Henrico Aucupe defuncto rebel-  
 lantes Dani Marchiam destruxere. Tunc sa-  
 15 ne rerum adhuc potiebatur Rex Wormo  
 sed oculis captus : cujus proinde vices uxor  
 masculino animo subivit. Haraldo autem Re-  
 ge si opus fuisset conditum, laus illa non  
 Thyrae matri sed filio Haraldo cessisset. Ab  
 20 Ottone igitur dirutum ex parte dixeris Da-  
 norum illud Hexamilium, totâ insuper Jutiâ  
 subactâ. Obiter advertendum est, perperam  
 à Cypræo *cap. 10* & aliis credi, idem hoc opus  
 jam à Godfredo Rege ætate Caroli Magni  
 Ec 2 ince-

inceptum. Gotfredi enim illud ipsam Eidoræ  
 amnis septentrionalem ripam munivit, ut di-  
 serte retulit Aimoinus & Annalium Francorum  
 auctor ad annum 808. Verum hoc obiter: Re-  
 deundum ex diverticulo in viam. 5

Post Conradi Cæsaris tempora in Danos  
 nihil tentatum legas usque ad Lotharium Cæ-  
 sarem, circa annum 1130. Ea tempestate Ma-  
 gnus Nicolai Regis Daniæ filius patrualem  
 Canutum, pridem Sleswicensium Ducem 10  
 constitutum, quem Lotharius Sclavorum quoq;  
 Regem creaverat, perfide ac summo scelere  
 interemerat. Itaque in vindictam excitus  
 Lotharius Magnum in gratiam recepit, *si Roma-  
 ni Imperii MILITE Mageret. Qui* (verba 15  
 sunt ipsiusmet Saxonis) *cupide conditione usus*  
*SUPPLEX* Lotharium veneratus est. Sed  
*insidias parabat obsequio. Imperatore siqui-  
 dem Eidoram remenso, Adolfum extremos ab*  
*eo curare jussum Magnus per insidias adortus,* 20  
*non solum copiis spoliavit sed etiam arma defor-  
 miter abiecit antem nando fugam capeffere coëgit.*  
 Cæterum illâ perfidiæ notâ immeritò for-  
 tassis

tassis affectus à Saxone Magnus est. Enimvero videtur huic scriptori, superbo Germaniæ hosti, fuisse persuasum, subjectionis Imperio juratæ culpam posse à Regibus suis subsecuta perfidia quadam se amoliri. Sane quod de Adolfo cæso narrat, non illâ Lotharii expeditione contigit sed post demum, cum ille Erici tutelam contra Magnum suscepisset: quod diserte memorat Helmoldus *cap. 52* & Albertus Staden-  
 10 ad annum 1133 *pag. 159*. Ad hoc idem Staden-  
 sis ad annum 1134 scribit: *Lotharius Imperator Colonia natalem Domini celebravit, Pascha vero Halverstade, ejusq; curia affuit Rex Danorum Magnus; quem pacifice suscepit, ac cum*  
 15 **HONORE** ad propria remisit. Quod profecto haud facile fecisset Lotharius, si perfide adeo fuisset ausus Magnus majestatem ejus lædere. Fingit vero in illa narratione Saxo etiam hoc: tantas fuisse *Nicolai Dani copias, ut Imperator cum eo manum conferere formidaret.*  
 20 Quis credat enim, si illa vis fuit Nicolao, supplicem illum fidelitatem Cæsari jurasse? ille vero non minus ac filius Magnus Cæsari factus fuit supplex. Sed & aliud plane nostri  
 Ee 3. scripto.

Scriptores loquuntur. Helmoldus l. i. cap. 5: Magnus virtute Teutonici militis territus, apud Casarem immenso auro & HOMINIO impunitatem indeptus est. Albertus Stadensis: Cæde Canuti audita, Lotharius Imperator uxorq; 5 ejus Rikenza contristati sunt: venitq; cum gravi exercitu prope civitatem Slesvich ad vallum Deneverch, ulturus mortem Canuti. Territi igitur Reges Pater & Filius, venerunt SUPPLICITER ad presentiam Imperatoris, datoq; 10 sibi immenso auro, justitiam faciendam de interfectione Canuti promittunt.

Major solito Cæsaris Friderici I in Daniam fuit auctoritas. Ipsemet Cæsar quod huc pertinet ita memorat, in Epistola ad Ottonem Frisingensem patrum suum. Post primam unctionem 15 Aquisgrani & acceptam coronam Teutonici Regni, generalem curiam Merseburg in Pentecoste celebravimus: ubi Rex Danorum Petrus ad curiam nostram vocatus venit, & HOMINIO ac 20 FIDELITATE nobis facta, coronam Regni de manu nostra suscepit. Plenius rem omnem narrat Otto l. 2. de rebus gestis Friderici cap. V: Erat illo tempore in Regno Danorum inter duos consanguineos, Petrum scilicet qui & Suenus, & Gu-

noto-

notonem de regno gravis controversia. Quos rex  
 ad se venire **PRÆCIPENS**, curiam magnam  
 in civitate Saxonia Martinopoli, qua & Merse-  
 burg, cum multa Principum frequentia, habuit.  
 5 Eo prefati juvenes venientes, ejus se **MANDA-**  
**TO HUMILITER SUPPOSUERUNT**, eo-  
 rumq; ad ultimum causa, judicio seu consilio pri-  
 matum, sic decisa fuisse dicitur. Gunoto relictis  
 sibi quibusdam provinciis, regium nomen per  
 10 **PORRECTUM** gladium abdicaret: (Est enim  
 consuetudo Curia, ut regna per gladium, provin-  
 cia per vexillum à Principe tradantur vel reci-  
 piantur) Petrus vero **ACCEPTO AB IPSIUS**  
**MANU REGNO**, fidelitate & hominio ei se  
 15 obligaret. Ita corona regni per manum Principis  
 sibi imposita, in die sancta Pentecostes ipse corona-  
 tus gladium Regis sub corona incedentis porta-  
 vit. Gualdemarus etiam, qui ejusdem sanguinis  
 particeps fuit Ducatum quendam Dania accepit.  
 20 Rem eandem hisce verbis cecinit l. 1 Ligurisi  
 Guntherus.

Huc etiam geminos, Petrum simul atq; Guidonē  
 Danorum proceres; quos inter sanguine junctos  
 Moverat ejusdem Regni dissensio litem,  
 Evocat, ac tali causam ratione diremptam

Ter-

Terminat; ut quadam provincia tota Guidoni  
Cederet, at Regnum cum nomine Petrus ha-  
beret.

Ergo ubi vexillo *PARTEM* quam diximus  
ille

Hic autem gladio *REGNUM SUSCEPIT*  
ab ipso:

(Hunc etenim longo servatum tempore morem  
Curia nostra tenet) posito diademate Petrus,  
Regali dextra tulit alti Principis (i. e. Cæsa-  
ris) ensem.

Præcessit q<sup>ue</sup> sacra brevius diadema coronam.  
Breviter Albertus Stadenſis ad annum 1152: Fridericus  
Pentecoste Mersburg celebravit, ubi Regi  
Danorum Suenoni regnum confirmavit, & Ca-  
nutum parte regni & possessionibus suis propriis  
contentum esse fecit. Canutus est is quem Guido-  
nis nomine perperam Guntherus & Otto Guno-  
nem appellat. Bella illa civilia Danica Helmoldus  
cap. 68, 74. & 85 latius enarrat: omnium ple-  
nissime Saxo Danicus, sed hanc de Regno Daniæ  
per Fridericum collato historiam maligne, more  
suo. Cum enim omnes tradant, evocatum ad Cu-  
riam à Cæsare Petrum sive Suenonem Canu-  
tumque, Saxo contra, tantum ad colloquium  
invita-

invitatum, veteris amicitiae & commilitii moni-  
 tum Suenonem, promisso honoris incremento,  
 dolosa charitatis simulatione. Nec Suenonem  
 alia de causa comparuisse Mersburgi, quam ut  
 sola se Germanis famam cognitum etiam spectan-  
 dum subiiceret, presentemq; fama sua mirato-  
 ribus exhiberet. Quis dubitet autem, Cæsari  
 ipsi & tot alijs rei gestæ coævis scriptoribus  
 potius fidendum, quam Saxoni huic falsimo-  
 niæ toties convicto? In clientelarem militi-  
 am Cæsari Suenonem se dedisse, negare non au-  
 det Saxo. Sed addit: *Reversus in Regnum Sueno,*  
*deq; amulo comitem nactus, remissis e vestigio lite-*  
*ris, fidem Cæsaris aperta fraudis exprobratione*  
*damnavit, in ita q; cum eo pactiones OSSE QVII*  
*NEGATIONE* subvertit; in eas se conditiones  
 fallaciter adductum affirmans, in quas Dani-  
 corum adhuc Regum nemo concesserit. Hæc num  
 ita gesta sint nec ne, relinquo in medio. Si fecit  
 hoc Sueno, nihil præter solitum egit: ut quem, ceu  
 hominem perfidia plusquam Punica, ipsemet  
 Saxo detestetur. Quo ipso teste licet etiam hoc  
 refellere, quod Danicorum Regum nemo ante  
 Suenonem in clientelare obsequium Cæsarium

Ff

con-

concefferit. At verifimilius est, reverenter magis cultum à Suenone Cæsarem: cum ex aula reversus spreto Danico ritu Germanicum amplexus sit, cultuq; Saxonico assumpto & in omnem militiam suam pertracto, uxorem etiam ex Saxonia duxerit, & regno pulsus restitui meruerit per Henricum Leonem. Quæ omnia ipsemet Saxo fatetur.

Verum quicquid egerit Sueno, haud est quare in magno id ponamus discrimine. Qui Suenoni victo & occiso successit anno 1158 Waldemarus I illico quid officii sui esset memor, eidem Friderico Cæsari obsequium detulit. Degebat tunc Cæsar Augustæ Vindelicorum, in Italiam moturus, jamque stans in prociectu. Ea de re ita Radevicus l. i. cap. 24. *Eodem loco, hisdemq; diebus, nuncii Regis Dacia nuper electi Principis adeunt presentiam, postulantes quatenus INVESTITURAM DE REGNO suo Regi mittere, ac electionem de ipso factam ratihabitione confirmare dignaretur. Exaudivit eos Imperator, prebito & accepto ab iis sacramento jurisjurandi, post reditum suum de Italia infra dies quadraginta Regem*



gem ad Curiam venturum, & Regni administrationem de manu Principis, debita FIDELITATIS interposita securitate, suscepturum.  
Guntherus l. 7.

Jamq; precatores aderant à Rege Dacorum,  
Electo nuper populiq; favore creato,  
Principis arbitrio sceptrorum jura petentes.  
Annuit hoc pacto Rex, ut post bella reversum  
Ante quater denos properaret Regulus illum  
Cautus adire dies, Regnum sumpturus ab ipso,  
Obsequiisq; fidem jurando rite daturus.

Anno demum 1163 in Germaniam reverso Cæsare, Waldemarus ille investitus est. Abbas Stadensis: Anno Domini M. C. LXIII. Imperator tam Rolandum quam Octavianum vocat ad iudicium, curiam indicens Bisuntia. Venit Imperator, venit Rex Dacia Waldemarus, in cuius comitatu Dux Borius erat, quem ipse postea submersit, quia regnum affectavit. Ibi Waldemarus duo Regna Dacia & Suecia ab Imperatore suscepit.

Saxo Metis id contigisse fatetur etiam ipse: sed & heic multa admiscet fidei plane absumilia. Primum enim non erubuit Fridericum Cæsarem doli & perfidiæ incusare,  
Ff 2 quasi

quasi Waldemarum domo pellexerit, tantum  
 schismatis Pontificii sedandi prætectu, & fa-  
 cta spe totius Slaviæ præfecturæ; à jam pertra-  
 cto ad sese deniq; præter expectationem po-  
 stulaverit, ut in Imperii clientelam Regnum  
 traderet. At verò jampridem ultro id se fa-  
 cturum Waldemarus promiserat, & jam tene-  
 batur investituræ capiendæ ergò Curia redu-  
 cis ex Italia Friderici se sistere: ceu modò au-  
 divimus. Ipsemet porro Saxo satis prodit, Wal-  
 demarum isthoc animo ad Cæsarem ivisse:  
 scribens Esbernium quendam, hisce verbis ad  
 Regem suum proficiscentem ad Cæsarem usum:  
*Videri quod liberam gentis suæ cervicem, nul-  
 lisq; barbarorum ( hoc nomine Saxo Germa-  
 nos traducit ) obsequiis assuetam per fidam &  
 ignobilem servitutem miserabili Teutonicorum  
 iugo subigere cupiat. Quid autem stultius, ad  
 deditiōnem perdurare, summamq; libertatem  
 extrema servitute mutare: insuper Regno  
 precario quam potenter præesse malle: Itaq;  
 Cæsarem cum Daniam suæ ditionis effecerit,  
 miraturum, quod tam validam gentem ante  
 promissis superaverit, quam armis tentaverit.*  
 Ad

Ad illum sermonem incanduissè quidem Regem refert Saxo, nullo tamen verbo negasse id sibi esse consilium. Idem narrat, Regi adventanti illico moram & tarditatem à Cæsare exprobratam, *injuriosum esse quod ante non venerit, cum ob Regnum quod Romani Imperii beneficio gerat, sibi servitiorum debitor existeret.* Hæc indignè quidem tulisse Regem, scribit Saxo: ast satis æquo animo à Rege accepta indicat illa mox subsequuta infeudatio. Nec enim speciem veri habet quod addit Saxo, de omni Slavia Waldemaro promissa, quasi illo demum beneficio animum Regis Cæsar mercatus sit: ut capite altero sequente ostendimus. Denique verò addit Saxo de feudo illo quo Dania fuit Imperio tum obstricta: *Cæterum ei non Curiam communi Principum more petere; non in Romani Imperii præsidium coartas ductare, solaq; specie non re Cæsari parere, concessum: Filio vero post eum proxime regnaturauro liberum fore, paternas conditiones adjicere, ne ad omnem Danorem gentem hereditarium maneret obsequium.* Illa neque affirmare neque negare mihi promptum est. Nisi quod

dubium me nonnihil reddit repetita per Fridericum à filio Canuto investitura, & cum fastidiretur Cæsaris subsecuta indignatio, Et Canuto enim facile fuisset Cæsari petenti homagium, bona cum excusatione id negare, & Cæsari nullæ fuissent justæ propterea quidem indignandi causæ.

De Canuto autem illo Waldemari filio & successore, adhuc sub tutoribus vivente, narrat ipsemet Saxo l. 16. *crebris illum Cæsaris legationibus CURIAM ADIRE, paternæque amicitiaë successionem EXPETERE JUS-SUM, quam modestissime rescripsisse, excusationis verbis à regnandi novitate quesitis. Cui cum Cæsar crepturum se Regnum aliq; daturum plenam minarum epistolam respondiisset, solum hoc rescribere contentum fuisse: querendum Cæsari esse, priusquam sibi Regnum adimat, qui Daniam in ejus beneficio reponere cupiat.* Missum deinde à Cæsare Sigfridum Thuringum sororium Canuti, ab Archiepiscopo Absalone, penes quem tum administratio nis regiaë summa erat, hoc tulisse responsi: *Canuto Cæsariq; æquum regnandi jus esse, nec minore*

minore cum libertate hunc Danici Regni quam illum Romani Imperii gubernacula continere; proinde abiret, Imperatoriq; suo perferret, Danorum Regem ne minimam quidem obsequii partem dignitati ejus ac nomini delaturum. A Cæsare ultionem meditante, inductum mox Bogislaum Pomeranum classe Daniam petere, victum autem ab Absalone, coactum sese & sua in clientelarem subjectionem Daniæ Regis tradere. Meminit hujus negati à Canuto homagii & Arnoldus l. 3. cap. 2. Historiæ Sclavorum: Jam inter Imperatorem & ipsum (Canutum scilicet) discordia erat; quia Imperator ab ipso hominium exigebat, quod ei Rex negabat. Idem cum narrasset cladem Bogislai Pomerani, addit cap. 7: Hæc autem non sine indignatione Imperatoris facta sunt, qui se dicebat dupliciter à Canuto Rege injuriatum, & quod ab eo coronari noluerit, & quod Slavos Imperio subditos suo dominio per tributum & hominium subdidit,

Verum misera tempora mox rempublicam exceperunt, ut Dani quidem ausi fuerint aliquandiu & Slaviam & Nordalbingicam Saxon-

Saxoniam redigere in ditionem suam, nemo autem Cæsarum ex eo usque jus aliquod in Dani-  
am prætenderit, multò minus armis vindicave-  
rit. Ac proinde, per annos quadringentos se-  
ptuaginta amplius, Dania nexu clientelari so-  
luta pristinam suæ majestatis libertatem con-  
stanter tenuit, & Imperii Germanici legibus  
subducta est. Antea vero non solo errore quodam  
Regum, sed populi quoque Danici consensu,  
præstitum esse homagium, indicio satis mani-  
festo est: cum quod Regibus homagium  
præstantibus populus non fuerit refragatus,  
tum quod subjectionem illam detrectans Ca-  
nutus populi aliquem dissensum non attulerit  
in excusationem: & tamen in patrimonio  
Regum pleno nunquam fuerat Dania, eoque nec  
fas fuit regibus de reipublicæ summa populo in-  
consulto disponere.

Obiter coarguendus venit Albertus  
Stadensis in eo, quod Sueciæ quoque  
regnum VValdemarum I homagii jure  
à Cæsare Friderico accepisse refert. Nec  
enim ille simul Sueciæ Regem egit, & Cæsa-  
rum

rum nemo in Sueciam aliquid usque huc vel  
tentaverat. Eoque nihil juris in regnum illud  
vel VValdemarus pctere vel Cæsar dare potuit.

## CAPUT XV.

*Slesvicensem & Ducatum & Episcopatum  
jamdudum non Germanici sed Danici juris  
fuisse nec non esse hodieq;.*

**D**Aniam omnem jampridem nequaquam  
amplius Germanici esse Imperii partem, sed  
sui arbitrii rempublicam, proxime ostendi-  
mus. Nee arbitror quenquam facile inveniri, id  
qui hodie in dubium vocet. At ne sic quidem  
labore instituto defuncti, aut satis firmiter limi-  
tes Germaniæ Daniæque definiisse fortassis vi-  
demur. Sunt enim qui existiment, non inte-  
grum quidem Daniæ Regnum, partem tamen  
ejus aliquam, Ducatum nempe & Episcopa-  
tum Slesvicensem, Germanico juri deberi.  
Qui mihi videntur non alio magis eam in sen-  
tentiam adducti argumento, quam quod ter-  
ram illam incolant Germanicæ linguæ homines,  
quodq; jamdiu non alii quam sanguinis Germa-

Gg

nici

nici Principes Holsatiam & Slesvvicensem ducatum rexerint.

Et sane seculo superiore, Episcopatus ille Slesvvicensis in ipsas Tabulas Ordinum Imperii Germanici, eas quæ anno vicesimo primo in Comitibus sunt conscriptæ, ac omnium creditæ fuerunt accuratissimæ, est redactus; eoque quum Gotscalcus Episcopus fisco Imperii pro ut erat jussus haud satisfacisset, per sententiam Spirensis Judicii Regalibus, quæ appellantur, beneficiis est privatus anno sexto post vicesimum. Cæterum ille ipse Episcopus illicò, Episcopatus sui bona omnia non Germanici sed Danici juris esse, literis ad Judicium illud Spirense exaratis probavit: quas Histor. Slesvvicens. l. 3. cap. v. pag. 423 Cypræus recitavit. Rex ipsemet Daniæ Tabulis illis nomen Episcopatus istius eximi, ut vitio insertum, cum posceret, ab Imperialis Fiscus Advocato mota Christiano III & Friderico II Regi lite, secundum Daniæ Regnum in ipso Spirensi foro judicatum est. Formula sententiæ cum aliis ad negotium hoc pertinentibus continetur libro primo decisione undecima



cima operis Decisionum sive Rerum in Camera Imperiali judicatarum, quod collegit ediditque Adrianus Gylmannns. Quum idem autem Advocatus Christiano III Regi de Ducaru quoque Slesyvicense controversiam moveret, Rex vero de injuria conquestus esset Carolo V Cæsari, jussus est Advocatus rem illam missam facere: prout loco jamjam laudato apud Gylmannum legere est.

Et vero jam à Conrado II Cæsare ad usque Eidoram amnem Regni Danici jus revocatum, adeoque antiquissimum illum litem rursus confirmatum esse, jam tum supra Adami Bremensis testimonio comprobavimus. Nec reperire est vel levissimum vestigium in omnibus secuti ævi monumentis, novi iterum limitis constituti. Econtra jam tum seculo Christiano duodecimo Helmoldus scripsit l. 2. c. 14: *Egdora est limes regni Danorum.* Helmoldi continuator, ut ita dicam, Arnoldus Lybecensis l. 4. c. 17. *Adolphus Comes cum multitudine gravi transiens Egdoram fluvium, omnem terram Regis vastavit usq; ad Slesv'vig.* Saxo Præfatione

Histor. Danicæ: *Jutia Teutonia finibus ad-*  
*movetur, à cuius complexu fluminis Eidoræ in-*  
*terrivatione discernitur.* Ejusdem Helmoldi  
 ipso illo citato loco hæc verba sunt: *Rex Da-*  
*norum misit legatos ad fortissimum Ducem Sa-*  
*xoniæ Henricum Leonem, rogans praberî sibi*  
*locum familiaris colloqui ad Egdoram.* Rem  
 illam latius persequitur Saxo l. 14 Histor.  
 Danicæ: notans congressos illos in ponte quo-  
 dam, quum & Rex nihil se indignum com-  
 mittere, & Dux sese Rege nulla parte minorem  
 ostendere vellet. Arnoldus l. 3. cap. 2 narrans  
 quemadmodum Fridericus Cæsar fecerit filio  
 suo sponsam Danicam adduci, scribit: *Ve-*  
*nerunt igitur ad Egdoram fluvium legati Im-*  
*peratoris cum quadringentis equis.* Idem l. 3.  
 c. 15. narrans, matrem Canuti Regis à novo  
 marito Thuringo exceptam: *occurrit ei, in-*  
*quit, Landgrafius ad Egdoram fluvium susci-*  
*piens eam de manu Regis & Episcoporum.* Quæ  
 utique manifesto indicant Imperii & Daniæ  
 limitem etiam tunc Eidoram habitum. Re-  
 rum omnium septentrionalium longe peri-  
 tissimus Crantzius, etsi sub initia superioris  
 Chri-

Christiani seculi floruerit, passim tamen Eidoram limitem agnoscit Danicæ & Saxonicæ nationis. Disertis id verbis profitetur Saxoniam l. 1. cap. 6. & l. v. cap. 27. Daniæ l. 7. cap. 5. & cap. 8. Idem lib. 1. cap. 22. Daniæ ita loquitur: *Hic lector attende manifestum antiquitatis testimonium, quia pugna vel duellum inter Uffonem Regis Daniæ Wermundi filium & Saxoniam Regem ad Eidoram commissum refertur, Holsatiam que ab illo flumine sumit principium, semper Saxoniam fuisse annumeratam, multo antenatum Christum tempore.* Verum huic quidem rei ut Saxonis fabulis tantum innixæ, per me siue præbeat quis siue adimat fidem. Post Crantzium autem & Chytræus rerum illarum peritia nihilo Crantzio inferior, Chronici Saxoniam l. 2. & 24 scripsit, *Danici juris & Imperii ditionem Eidora fluvio terminari, & ab Holsatia Imperii Romani provincia extrema dirimi.* Alia testimonia in causa pene non controversa addere nihil attinet.

Jam vero Ducatus ipsiusmet Slesvvicensis dignitas nunquam à Cæsarum aliquo cui quamvis est attributus sed à Daniæ Regibus, ad Germa-

226. DE FINIBUS IMP. GERMANICI  
nici sanguinis Duces ferius quoque demum  
pervenit. Princeps siquidem illum circa an-  
num 1118 à Nicolao Rege obtinuit Canutus  
Erici Regis filius, quem per insidias cæsum  
sanctum appellitant. Eundem fratri V Val-  
demaro concessit Canutus Rex. Anno 1222  
*Abel ducatum Jutia accepit*, ut loquitur Eri-  
cus Pomeranus Rex in suo chronico. Ille au-  
tem Jutiæ ducatus etiam Slesuvicensem com-  
plexus est. Cumque viveret tum adhuc pa-  
ter Abelis VValdemarus Rex, ab hoc utique  
ad Abelem devenit. Abelis filio VValdemaro  
Rex Christophorus anno 1253 *tradidit Duca-  
tum cum vexillo apud Koldingen*: ut fere lo-  
quitur Rex Ericus. Crantzius l. 7 Daniæ c. 22  
*refert: à Christophoro Rege patruo permissum  
esse VValdemaro administrare Ducatum Sle-  
suvicensem.* Successerunt Ericus filius & ne-  
potes duo Ericus & VValdemarus; quorum  
postremus Erico Regi hominum præstans  
fidelitatem juravit Ducatus sui nomine. In  
easdem leges successerunt Ericus VValdema-  
rus & Henricus. Henrico demum anno 1386  
defuncto ad Gerhardum Holfatiæ Comitem  
Principem

Principem Germanicum Ducatus ille devenit & tamen itidem beneficio Danici Regni. *Multis scilicet Regni Dania proceribus astantibus, & rem omnem verbo & opere commendantibus, tradito per manus Regis vexillo ille est investitus, teste Crantzio l. 7. Daniæ cap. 40. Idem à Margarita anno 1388 confirmatum esse in conventu Nieburgensi presentibus omnibus Regni pralatis & proceribus, testis idem Crantzius est, cap. 41. & l. x. Saxoniae cap. 9.*

Gerhardo à Ditmaris anno 1404 cæso, Margarita potentissima Regina & ejus successor Ericus Pomeranus Rex, omnem Ducatum filii Gerhardi Holfati ereptum Regno studuerunt vindicare : idque probante ipsomet Sigismundo Cæsare, in quem arbitrium judicem utraque pars compromiserat. Partem sententiæ Cæsareæ recitat Cypræus l. 2. c. 21. quam & hic legi ex usu erit, saltim ut eo clarus liqueat, in terras illas Imperio Germanico nihil esse juris. *Nos Sigismundus Rex prefatus arbiter, per dictas partes electus, vigore compromissi in nos facti, dicimus, decernimus, laudamus & arbitramur, & his scriptis pronunciamus :*

ciamus: Totam *Futiam Australem*, in qua situ-  
 ata sunt *Slesuwick* & *Gottorp*, & alia loca ad  
 ipsam *Futiam* pertinentia, una cum *sylva Da-*  
*nica*, & *insula Allen*, & *provincia Frisia*  
 vulgariter *Heerden* nominata, cum omnibus  
 iuribus & pertinentiis, pertinuisse & pertine-  
 re debere jure directi ac utilis domini, ad *Re-*  
*gem ac Regnum Dania*, ipsumque inducendum  
 fore, & induci debere in possessionem *Ducatus su-*  
*pradioti*, & terrarum cum suis pertinentiis, ut  
 supra, prenarratarum: & dictis *Henrico*  
*Adolpho* & *Gerhardo*, Comitibus prefatis,  
 in & super dicto *Ducatu* & terris suis cum per-  
 tinentiis, ut supra, nullum jus ratione *Feudi*  
 competisse, & adhuc competere. Et ita per  
 hanc nostram arbitralem sententiam, secun-  
 dum allegata & probata, in his scriptis defini-  
 mus & arbitramur pro jure, dictis partibus su-  
 per aliis hinc inde petitis ex causis animum no-  
 strum moventibus, utriusque parti actionem reser-  
 vantes. In quorum omnium & singulorum pre-  
 scriptorum fidem, presentes nostras literas fieri fe-  
 cimus, figillisque nostra *Majestatis* appensione mu-  
 niri.

*niri. Data lecta & exhibita est presens sententia & arbitrium Bude Anno 1424. 28. Junii.*

Summe quidem hæc sententia displicuit Holsatiæ Comitibus, eòque rem ad Pontificem Romanum detulerunt, & armis adversus Danos sua defendere conati sunt. Attamen in controversiam haud vocavere directum, ut loquantur, Daniæ in Ducatum illum ius: tantum deberi sibi ius utile idque feudi ratione prætenderunt, Regibus id negantibus. Proinde pace composita filijs Gerhardi feudi legibus Ducatus iterum anno 1446 concessus est. Libro xi cap. 31 Saxonie Crantzius ejus rei ita meminit: *Adolphus per ea tempora Dux Slesvicensis & Comes Holsatiæ, qui difficili ac diuturno bello pro eo Ducatu cum Danorum Rege dimicasset, iam Christophoro Bavaro in Regem assumpto Ducatum de manu Regis accepit in feudum, reditaq; sunt ei omnia que olim ad Ducatum pertinebant, quæq; longo tempore inquieta fuere à diebus casi patris eius: cum primum Margareta Regina, deinde Ericus Rex eius adoptione filius, multa inde per annos supra triginta*

Hb  
tulif-

tulissent, de quibus concertatio fuit usq; ad novissima eiusdem Erici Regis tempora. Limites autem Ducatus sunt ad pontem usq; Coldingen. Quae tum omnia sunt reddita Adolpho Duci iussu Regis novi Christophori. Persequitur eandem rem idem Crantzius l. 8. Dan. cap. 18 & 22, idq; longe uberius: sed nostro instituto haec satis sunt.

Adolpho anno 1459 sine liberis defuncto, Ducatus coronae Danicae (verba sunt Crantziij l. 11. Sax. c. 37) consolidatur: quod diu à Regibus per multos labores erat quasitum. Sed filii Regis Christiani eundem ducatum patre moriente denuo à Corona separatum, inter se, ut Holsatiam, per partes dividerunt. Ex ijs quae Chytræus l. 24 Saxoniae fol. 718 narrat, non vere rediisse tum Ducatum in corpus Regni, adeoque errore ductum Crantziium apparet quidem: attamen etiam sic liquet, nihil ejus Ducatus Germanicum Imperium sibi vindicasse. Inter Friderici I Regis filios quoque contentiones quidem & multae & diuturnae fuerunt de feudi hujus natura, hereditarium sit nec ne, masculinum an foemininum, liberum vel ser-  
vicio



vitio cuidam obnoxium: at de jure summi domini, Daniæ debiti, nunquam fuit dubitatum, ac proinde salva Daniæ auctoritate omnia tandem sunt composita. De qua lite merentur legi, quæ refert Chytræus l. 21. & 24 chronici Saxoniae, unde, ut in quàm multis Germanicis negotiis solet, deprompsit Thuanus quæ l. 39 de causa hac commemorat. Subsequuta est solennis infeudatio per Fridericum II Daniæ Regem anno 1580: & ad nostra usque tempora, nunquam reclamante Germania, sæpius repetita.

Nihili vero est argumentum illud quod petitur ab incolarum Slesvvicensis terræ lingua & moribus Germanicis. Nec enim limites Imperiorum regnorumque hinc dependent: ideoq; omnibus seculis passim terrarum diversæ linguæ variorumq; morum homines in unam tamen rempublicam cojerunt. Ipsum Imperium Germanicum per varias linguas, Germanicam, Gallicam, Italicam, Sclavonicam, alias, distinguitur. Sed & per est verosimile Saxonum coloniis habitari illas terras coepisse demum post institutum ibi ab Henrico

He 2      Aucu-

Aucupe Marchionatum, cumque Sclavorum incursionibus omnis illa regio tantum non in solitudinem redacta Canuti I Ducis auspiciis exulta est, quod ille Germanis cum primis faueret, populosam Saxoniam gentem ex eo in vacuos agros oppidaque commigrasse: quem in modum omnem vicinam Sclavoniam numerosis coloniis in linguam & mores suos commutavit.

## CAPUT XVI.

*Dania Reges Venedorum terras & Nordalbingicam Saxoniam aliquando occupasse quidem, sed cum possessione tum omni jure non multo post excidisse.*

**P**ossemus jam Daniam cum honore dimittere, nisi ipsa Germaniam fuisset aliquando molesta & fortassis possit iterum esse molesta juris cujusdam in Venedorum terras & Saxoniam Nordalbingicam pretextu. Nec vero vel hodie abstinent Daniæ Reges nomine Regio Venedorum, sive ut perperam vulgo loquimur, Vandalorum, quum rectius olim Slavorum Reges dicerentur. Nisi autem  
 vehe-

vehementer fallor, & ortum est nomen illud & nunc adeo more prisco retinetur, respectu regii cujusdam juris in illas Venedorum terras quæ Albim inter & Balthicum mare sitæ sunt. Nordalbingiæ titulus dudum quidem desit, olim tamen usurpatus & Nordalbingia ipsa in ditionem Danicam fuit redacta. Igitur anteaquam pergamus, videbimus, jure an injuria Daniæ utraque vel alterutra tellus hæc etiamnum competat aut olim competierit, initio à **NORDALBINGIA** factò.

Non movebimus autem illa, quæ ante Caroli Magni ævum acciderunt, utpote quum omnia illa incertâ ad nos fide pervenerint. Enimvero habet quidem multa ejusmodi Saxo Danicus: sed quæ ipsa narratione statim refelluntur. Tum vero, si quod res est velimus fateri, Danis non minus atque aliis Germaniæ populis, ante Christianæ religionis in sua gente exordia nulla domi gestarum rerum dubio carentia monumenta fuere. Eoque & Saxo in fabulosis poetarum Danicorum carminibus & paucis nonnullis rupium quarundam inscriptionibus, quæ tamen nihil habeant

Hh 3                      quod

quod multum sit memorabile, vetustarum & incredibilium narrationum suarum omne præsidium collocat.

Semotis igitur sive fabulis sive dubiæ fidei narrarionibus, secuti testimonium eorum qui à Caroli Magni ævo sive inter Danos sive apud nos res gestas memoraverunt, id secure possumus affirmare; saltim ad Friderici usque I Cæsaris & Waldemari primi Regis tempora, Nordalbingicam Saxoniam neque ultrò à Germanis traditam Daniæ neque bellialiquo jure ad illam devenisse. Nihil sane hujus legas: sed potius partem Daniæ, imo Daniam universam, in jus Germanicum isthac tempestate concessisse: ceu jam tum capite quartodecimo ostensum est. Friderici demum Cæsaris liberalitate datum esse aliquid juris Dano, non desunt fateor qui memorent. In Chronico quod Erici Regis nomine primùm Erpoldus Lindenbrogius, iterum Stephanus Joannis Stephanius publicaverunt, hæc habentur: *Anno Domini 1181 Rex Waldemarus occurrat Friderico Imperatori apud Thraven, ubi duas filias suas maritavit, unam filio Imperatoris.*

toris, aliam Comiti Sifrido. Ubi etiam obtinuit ab Imperatore dominium totius Nordalbingia, h. e. Omnium terrarum ad Aquilonarem partem Albia. Super quo habuit literas Imperiales cum bulla aurea, & literas Papales, videlicet Innocentii Papa tertii de confirmatione dictæ collationis pro iure perpetuo habenda. Sed has literas post mortem Regis Abel, quædam mulier Teutonica filia Diaboli in odium Danorum destruxit. |Hæc Ericus ille. At verò quum] ducentis amplius annis Waldemaro sit posterior, utique non nisi auditione hoc acceperit alicunde necessum est: nec meretur proinde hæc illius narratio inter idonea veritatis testimonia referri. Deceprum autem esse Regem argumento mihi certissimo est, quod Saxo omnia quæ in congressu illo Cæsaris Regisque accidere, ab Absalone Archiepiscopo, summo rerum omnium Danicarum tunc administro accepta, ad invidiam usque libro xiv. memoret quidem, de donata tamen Nordalbingia habeat nihil. Nec enim ad Nordalbingiam faciunt quæ de promisso Slaviæ dominio ibi commemorantur. Ex adverso narrant illius

ævi scriptores, Fridericum Cæsarem illo ipso plane tempore, pulso Henrico Leone Duce, Holfatiæ Comitem, cui pleraque Nordalbingiæ competebant, ex beneficiario Saxonix Ducis chentem vasallumque Imperij reddidisse, Lybæca oppido inclyto in numerum Imperij urbium recepta. Alios Saxonix illius Comites Racesburgensem, Dannebergensem, Luchoviensem, Suerinensem, Bernhardo novo Saxonix Duci hominio sese obstrinxisse diserte testatur scriptor *σὺγχρονος* Arnoldus Lybecensis l. 3 c. 1. Nordalbingiæ sane Dano concessæ ne quidem levissimum vestigium deprehendas.

Imo nihil observare est, quo probes, Waldemarum I Regem quidquam sibi in Saxoniam arrogasse. Illius successorem Canutum, tunc demum quando sororem ipsi remisit Cæsar Fridericus, (hoc est, circa annum 1188) moliri aliquid cœpisse, narrat idem quem modò laudavimus ex ævo illo testem Arnoldus Lybecensis. l. 3. Chron. Sclavor. cap. 20. Verba integra hæc sunt. *Eo autem tempore misit Imperator ad Canutum regem legatos honora-*

honoratos pro pecunia, quam pater illius *Walde-*  
*marus* cum sua filia ipsius filio socianda pollici-  
 tus fuerat, quam etiam idem *Canutus* partim  
 persolverat. Qui propter occasiones supra di-  
 ctas, qua inter *Impecatorem* & ipsum versa-  
 bantur, pecuniam persolvere timuit. Im-  
 perator vero non propter repudii occasi-  
 onem, sed propter pactiois immutationem,  
 regi sororem suam intactam cum tali appa-  
 ratu, quo eam acceperat, restituit. Quod  
*Canutus* graviter accipiens, manifestas ex illa  
 die inimicitias contra Imperatorem exercere  
 cepit, ita ut omnem terram *Wagirorum*, *Holsa-*  
*torum*, *Stormariorum*, & *Polaborum* usq; ad  
*Albim* sui juris esse diceret, & eam per *Slavos*,  
 quos sibi ostrinxerat, frequenter vastaret. Ma-  
 ter etiam ejus à *Ludovico Landgrafio* repudi-  
 ata, & ad terram nativitatis suae sine honore  
 reversa, conquesta est in multis se à marito inju-  
 riatam. Unde etiam magis instimulatus justam  
 se causam contra *Teutonicos* habere arbitratus  
 est. Haec *Arnoldus*. Pene eadem habet  
*Crantzius* l. 6. *Wandalia* cap. 27.

Ubi haec tandem subjungit. Quid juris præ-  
 tenderit Rex in terras memoratas *Annales* non  
 exponunt: nisi quod conjectura promptum est, re-

Fi

corda-

cordari illum eorum temporum quæ erant sub Canuto Obotritorum Rege, qui omnibus his terris præerat, cuius successionem Rex præferebat, ut esset Albis fluvius limes sue ditionis. Sed quum intercessissent tot anni, legitima transibat præscriptio. Principes vero non legibus sed armis provincias querunt. Non inanis cui videatur Crantzij isthæc conjectura: certe longe est verosimilior, quam illa Erici Regis, de donata VValdemaro Canuti patri Nordalbingia omni, fabula. Fallitur tamen & Crantzius, vel certe Canutus Rex per injuriam hoc quidem prætextu Nordalbingiam invasit. Ne quidem nunc dicam, Canuto nihil omnino hereditarij juris vel in Obotritos à Lothario Cæsare datum, ut paulo post apparebit: concessam Nordalbingiam profecto nusquam legas sed solum Obotritorum Regnum: quod diserte testatur Helmoldus lib. 1 cap. 50 & ipsemet Saxo l. 13. Nec Saxoniam ille Transalbinam possedit, utpote quæ jam tum magnam partem in ditione erat Adolphi Holfatiæ Comitis, adeoque Saxonix Ducum, in quorum Comes tum vivebat clientela: quod sole



sole clarius est vel ex ijs quæ narrat Helmoldus illo ipso citato capite. Wagriam tenuit quidem Canutus; sed erat illa tunc pars Obotritorum aut Venedici regni. Auctor quidam incertus Chronici Sclavorum quod Lindenbrogius edidit cap. 21 scribit; contendentibus de Regno Suenone Canuto & VValdemaro. Adolphum Holfatum *homagium* fecisse Canuto: at *homagii* voce non nisi commilitium intelligit, & Canutus ille non fuit filius S. Canuti sed VValdemarus.

Mihi verisimilius videtur, Canutum injuriam acceptam caussatum injuria compensare voluisse. Et vero fatendum est, postquam Dithmarsii sponte sua in Danorum ditionem perfide concessissent, hujus Canuti primum, mox fratre anno 1202 defuncto, proprijs auspicijs VValdemarum Secundum Regem omnem Nordalbingiam, debellasse. De illo fratri succedente ita etiam scribit Arnoldus l. 6. cap. 17: *His ordinatis Rex Waldemarus cum magna gloria & infinita multitudine venit Lybecam, ibiq; cum multa jucunditate REX Danorum & SLAVORVM*  
*li 2* *& NOR-*

& *NORDALBINGIÆ DOMINVS*  
*salutatur.* Itaque, si verum dicendum est,  
 non nisi illa gentium lege, qua bello solenni  
 capta jure victoribus cedere creduntur, &  
 Canutus & VValdemarus ille Nordalbingiam  
 quidem possederunt: aliud jus, aut alium juris  
 prætextum, deprehendere non est. Quin autem  
 pari igitur jure Nordalbingiam potuerint  
 amittere Dani, citra dubium est. Est autem  
 non multis post annis ipse ille victor VVal-  
 demarus omni iterum occupata per vim di-  
 tione isthac exutus.

Initium Sazonicæ libertati præbuit Regis  
 captivitas. Qua de re breviter ita Albertus  
 Stadenfis. *Anno Domini M. CC. XXIII,*  
*Rex Danorum in propria terra à Comite Hen-*  
*rico de Zuverin, cui duras, ut fertur, gratia sua*  
*recuperanda conditiones imposuit, inopinato*  
*casu in papilione propria capitur, & Danneburg*  
*gravi custodia coarctatur.* Item. *Anno Do-*  
*mini M CC XXV Rex Danorum XLV*  
*marcarum millibus se remedit, exceptis clen-*  
*diis circa tria millia marcarum aestimatis.* Ad  
 conditiones relaxatæ custodiæ cum primis per-  
 tinet

tinet quod narrat Crantzius l. 7 Wandal. c. 9: *Ferunt Danie Regem quum ante hos dies captus teneretur ab Henrico Comite de Zuerino, in sua relaxatione iurejurando firmasse, nunquam se Nordalbingiam repetiturum.* De eadem re ita memorat Hermannus de Lerbeke in chronico Comitum Schawenburgensium, auctor tamen. quod fatemur, minus securæ fidei. *Rex Dacie de captivitate liberatur, pro quadraginta quinque millibus marcarum, & terram Holsatia & omnes terras quas violenter possederat in integrum restituit: pro cuius fide tres filios & multos fideles sui regni obsides posuit.* Auctor incertus Chronici Slavorum ab Erpoldo Lindenbrogio editus: *Reges redempti sunt pro L millibus marcarum, & iuraverunt se amplius non venturos in terram Holsatie, & reliquerunt obsides potentes.* Vi hujus pacti jam suæ libertati reddita erat Saxonia illa. Cum non staret autem promissis Rex, biennio post (ut quidem habet Albertus Stadansis, alij enim referunt in annum 1226) memorabili prælio ad Bornhovedam cæsus omnem estimationem perdidit. Plenius Crantzius &

lli enarrant bellum illud, at breviter Albertus  
 d'annum 1227: *Rex Danorum à Bremensi Ar-*  
*chiepiscopo, Duce Saxonie Alberto, Comitibus*  
*Henrico de Zuverin & Adolpho de Schouven-*  
*burg, Slaviaq; Dominis, in Bornhoveda praelio*  
*levincitur. Rex per fugam elabitur, sed Do-*  
*minus de Lunenburg ab Henrico Comite capti-*  
*vatur.* Crantzius narrat, sequente anno redin-  
 egratum à Rege bellum sed infeliciter: quæ ta-  
 men contigisse memorat, illa Lerbekius refert in  
 annum vicesimum sextum, idque videtur verifi-  
 milius, quia etiam Albertus illo anno testatur  
 partes Transalbinas à Rege invafas: post prælium  
 autem illud ad Bornhovedam nihil tentatum  
 refert.

Quicquid hujus sit, usque adeo fractæ  
 prælio illo fuere Regiæ vires, ut omni Saxonie  
 Nordalbingicæ imo & Slaviæ (ut post audie-  
 mus) possessione exciderit, nec ex eo vel ipse  
 Valdemarus vel ejus successorum aliquis  
 Daniæ recuperare amissa unquam sit molitus.  
 Et vero in id videtur tandem pax iterum con-  
 stituta. Quanquam enim rudes illius ævi An-  
 naliū scriptores hæc & similia silentio præ-  
 tereant

tereant, attamen firmam perpetuamque inter Danum & Saxoniae illius Principes pacem mox initam, indicio vel illud mihi est, quod paulò post ipsemet Waldemarus oppugnanti Lybecam urbem Adolpho Holsato, hostium antehac præcipuo, suppetias tulerit, teste Crantzio cap. 12 l. 7 Wandalia. Cypræi verba sunt hæc pag. 5: cum scripsisset, inter Carolum Magnum & Danos conventum, *ut impo- posterum fines Dania & Saxonie Eidora terminarentur*: quod inquit, *postea ab Imperatore Friderico anno 1214 confirmatum, Papa Alexander IV ratum habuit anno 1257.* Vero per est simile, pace reddita terminos veteres Cæsarea auctoritate restitutos esse & pro seculi more Pontificis quoque Romani sanctam vim in majus perpetuæ pacis robur accessisse. Mendum autem sic fuerit in annorum numero, quando Friderici illa Cæsarea consensio intervenerit. Ut sit, certe cum Waldemarus Nordalbingiæ dominus audiverit, omnes tamen posteri titulos isthoc abstinerunt in amissi iuris, si quod fuit, confessionem.

Superioris tamen seculi anno vicesimo  
primo

primo tantum in affinis Cæsaris Caroli V aula  
 potuit Christianus id nominis secundus Rex, ut  
 nulla exigente necessitate, contra Imperii anti-  
 quissimum decus, Holsatiæ Ducatus sit iustus  
 in Daniæ obsequium se flectere. Ea de re ita scri-  
 bit Joannes Meursius l. 3 Histor. Danicæ pag. 231  
 aut 80 edition. Bativicæ: *Ita subjugata Suecia*  
*cum in Daniam redisset Christianus Rex, ad*  
*affinem Carolum V sumpta veste peregrina est*  
*profectus, ut deinceps feudum Holsati à se ac-*  
*ciperent. A quo perbenigne exceptus, cum non*  
*difficulter item postulata impetrasset, festinato*  
*domum reddit. Cypriæus l. 3 Histor. Slesvvi-*  
*cent. c. 5: Non multo post ad Imperatorem Ca-*  
*rolum V affinem profectionem suscepit. A quo*  
*summa pompa, splendore, ac magnificentia, quam*  
*honorificentissime exceptus, non vob, insuper ho-*  
*nore ac dignitate auctus ac ornatus fuit, collato*  
*nimirum ipsi pleno dominio, jure, ac potestate*  
*super feudum Holsatiæ: quod ipse nimirum im-*  
*posterum tanquam legitimus dominus illud con-*  
*ferre, & à se unice peti ac impetrari debeat. In-*  
*ter capita à Rege sequente anno Borsholmii*  
*patruo Friderico, tum Duci, proposita primum*  
istud

istud fuit, scribente Meursio, pag. 237: *Quod à Carolo Imperatore affine suo, Christianus singulari indulgentia PRIVILEGIUM accepisset, quo Ducatum Holsatiae aliosq; huic conjunctos, uti ipse Fridericus ac majores quoq; eius ab Episcopo Lybecensi instar beneficii petere consuevisent, ita eosdem in futurum à Christiano REGIBUS QVE SVCCESSVRIS ipse & haeredes eius deinceps petere iuberentur. Quae quantumvis hunc in modum se haberent, tamen, uti controversia qualiscunq; inter ipsum patruumq; qualicunq; causa orta per sequestros neutri partium obnoxios aut suspectos tolleretur, promptum BENEFICIO renunciare; ea lege, ut contrarias Fridericus literas petat impetretq;, quibus Carolus privilegium pridem indultum revocaret; seq; nec laturum agre nec prohibitorium esse.* Hæc Meursius. Bene vero, quod brevi hæc quidem fœda macula emendata sit. Etenim Christianus quidem ille Rex cum altero statim post anno regno pelleretur & archiva regni populatus privilegia abduceret, hoc quoque, uti ferunt, subduxit. Nec Fridericus jam Rex aut successores illud sibi in Holsatiam

fatiam jus arrogaverunt; sed hodie quidem non minus ipsi atq; agnatorum alij, titulo Ducarus illius, Cæsaribus sine controversia hominii sacramento obstringuntur.

Quum Ducatus autem illius pars sit Dithmarfia, obiter non tam perstringi quam rideri ~~maetur~~ putida & geographo indigna fabula, quam Petrus Bertius refert in Tabulis Geograph. ubi Dithmarsiam describit, fol. 289: *Dithmarsium nimirum Regum Dania Imperio subesse, & primogenitum Regis filium ibidem ex lege habitare, ut Gallia Principes in Delphinatu.* Quod recitasse jam refutasse est.

Sed de Saxonia illa Nordalbingica in Imperii ius asserta, forrasse plus satis. De Slavorum VENDORVM, aut ut vulgo minus recte Crantzius auctorem (hic enim videtur popularis erroris princeps auctor) secuti loquimur, VANDALORUM terris nunc etiam est dicendum, num illas bono titulo quondam tenuerint Dani vel hodieque in illas Regno Daniæ solidi quidquam iuris superfit.

Perdubium autem videtur, quæ demum sit causa Regii de Venedis assumpti nominis,

quo



quo iam aliquot seculis Dania usa est: si quidem non alij Venedi intelligantur quam illi, qui mari Balthico à Danicis insulis separantur, inter Albim & littora illius maris ad Vistulam usque fluvium protensi, Imperij Germanici cives: quod per est verosimile, cum in Scandinavia alijsque vicinis insulis Venedi nulli vixisse unquam memorentur.

Crantzius non satis quidem sibi hac in re constat, dubius ipse: Videtur tamen causas tres adferre, sola autem conjectura ductus, non certo subnixus argumento. L. I cap. x narrans, fide Saxonis, Venedorum illorum antiquissima cum Danis prælia, scribit. *Volitabat diu incerta victoria, quibus signis inclinaret, Demum Danis cecidit, oppresso in acie Rege Wandalorum Sturmicone. Concidente enim Rege fors quoque Regni concidisse videbatur. Venit iterum in ditionem Daniae Wandalia. Unde videri potest, permansisse in hodiernum eum Danorum regibus titulum, ut se Gothorum & Wandalorum Reges inscribant, quamvis nihil in Wandalia à multis diu seculis tenuerint. Sed est posterioribus seculis renovata*

*eius tituli caussa: quod suis locis non silebimus.*  
 Hæc prima itaque fuerit origo juris pariter illius & Regii tituli, si Crantzius audimus. Verum enimvero ante omnia observandum est, hanc quidem narrationem universam ex fabulis Saxonis Grammatici desumptam, eoque peresse incertam. Ne quidem verò Saxo ipse hinc arcessit originem Regii illius tituli: & fatetur pene iisdem damnis sæpenumero tum à Slavibus illis Daniam affectam. Sed & mox ostendemus, titulum illum cœpisse demum Canuti forte ultimis annis aut Waldemaro secundo Rege, adeoque ad illa fabulosa tempora nequaquam pertinere. Ut perinde hæc quidem Crantzius coniectura sit omnino inanis.

Altera longe verosimiliore est, atq; ideo plures sectatores invenit, à S. Canuto Obotritorum Rege per Lotharium II Cæsarem constituto petita. Quæ de re ille l. 3. Wandal. cap. 30. *Kanutus Obotritorum Rex apud omnes habebatur. Quæ res initium præstabat, (ut est promptum conjectura, ) nostri seculi Danorum Regibus ut se Danorum Wandalorumq; Reges efficerant in titulo: nam moriens Kanutus Re-*  
 gium

*quum titulum transmisit ad posteros. Idem c. 36*  
 de Erico Rege Hasensues per Iudibrium dicto,  
 S. Canuti fratre: *Is quum in Dania succe-*  
*deret Regi, fratris quoque jura ad se devoluta ar-*  
*bitratus, primus (ut arbitror) se in titulo prefe-*  
*rebat Regem Wandalorum. Unde sumpsisse*  
*posteros Reges conjectura est, ut se etiam Wan-*  
*dalorum Reges inscriberent. Hæc conjectura*  
 multis exinde arrisit, eoque illam & Cypræus  
 probat l. i. cap. 20 & Lyscander Danus Anti-  
 quitat. Danicar. serm. iix. pag. 91. Cæterum  
 Canutum quem sanctum appellant Obotri-  
 torum Regem esse creatum à Lothario Cæ-  
 sare, id quidem constat. At vel Regno Da-  
 niæ hinc aliquid juris in Venedos illos acces-  
 sisse, vel Reges Daniæ ab hac origine olim  
 suum illum Regium titulum petiisse, mihi,  
 fateor, persuaderi hæctenus non potuit. Ut  
 enim de posteriore dicam prius: si ea fuissent  
 olim in sententia Reges isti, statim post Ca-  
 nuti obitum nomen illud sibi assumpsissent:  
 nemo autem id fecit fortassis ante Walde-  
 marum II, ut nemo ante Canutum Walde-  
 mari illius fratrem, florentibus Imperii Germa-

Germanici rebus, ausus fuit vel tentare aliquod in Sclavos omnes dominium. Falsum profecto est quod dicebat Crantzius, S. Canutum illum ad posteros titulum Regium transmisisse, & fratrem ejus Ericum Daniæ Regem omnium primo *Regem Wandalorum* se jactasse. Recitat enim utique Cypræus *l. 1 cap. 28* tabulas Kanuti Regis, scriptas anno 1182 insertas tabulis Erici Regis Christophori I filii, in quibus Canutus *Rex Danorum* tantum audit; Ericus vero ille *Danorum Slavorumq; Rex*. Ut proinde saltem ad illud usque tempus Reges Daniæ titulo isthoc abstinuerit. Nec sanè reperias ejus tituli vestigia in ipsa Saxonis historia, quæ tamen nihil quod ad Danicam gloriam pertinet temere omittit, Danicas autem res persequitur usque ad obitum Bugislai Pomerani, hoc est annum 1188. Similiter nec in Helmoldi nec in Alberti Lybecensis scriptis titulus ille Daniæ Regibus tributus legitur, præterquam quod Waldemarum secundum se ita proclamari fecisse memoret Albertus: & tamen hi res illas Sclavicas satis curiose tradiderunt. Ad hoc Helmoldus disertè, quem

quem Albertus Stadenſis exſcripſit ad annum 1133, non *Slavorum*, ſed *Obotritorum*, Regem Canutum dictum, teſtatur l. i. c. 50. *Adiit*, inquit de Canuto, *Lotharium Imperatorem*, emitq; multa pecunia regnum *Obotritorum*, omnem ſcilicet poteſtatem, qua praeſtitus fuerat *Henricus*. Et poſuit Imperator coronam in caput ejus, ut eſſet **REX OBOTRITORUM**, recepitq; eum in hominium. Idem cap. 51 Circa tempus dierum illorum accidit, ut *Canutus REX OBOTRITORUM* veniret *Slesvich*, habiturus cum patruo ſuo *Nicolao* curiale colloquium. Cum autem populus veniſſet in concionem & Rex ſenior ſediſſet in throno indutus cultu regio, *Canutus* aſſedit ex oppoſito, geſtans & ipſe coronam **REGNI OBOTRITORUM**. Longe vero amplior eſt titulus ille **REX SLAVORUM**, nec *Daniae* Reges Regio *Obotritorum* titulo unquam audierunt: adeoque ſuum illud nomen à *S. Canuto* non acceperunt. Quid? quod *Saxo* l. 13 ſcribat, cum *Canutus* apud *Nicolaum Daniae* Regem male audiret quaſi regio nomine pateretur ſe coli, in excuſationem ſuam

suam hæc inter alia dixisse: *Rejice quæso nugarum auctores mendaciter obstrepentes, falsaque huius criminationis figmentum respue. Neque enim injurioso tibi nomine censeri sustineo. HERVM me mei non Regem appellant. Itaque cum à Slavibus DOMINVS salutaris consueverim, sinistri tanta comitatis interpretes aliena urbanitatis occasione in stimulationis materiam aucupantur. Ego vero NON REGNUM, ut aisti, vocabulo usurpo, sed temperata nominis dignitate fastuosum salutationis decus fugio: invidendum honoris fastigium sperno. Hæc si vera sunt, non lanè S. Canuti exemplo ad Regium illum de Slavibus nomen Daniæ usurpandum Reges olim sunt invitati: utpote qui Regio nomine abstinerit. Regium porro suum in Slavos jus nunquam Daniæ Reges Germanico Imperio iverunt tributum: Canuti autem dignitas illa omnis beneficiaria erat; ut mode audivimus differentem Helmoldum, & diserte quoque testatur Saxo l. 13: ac proinde jus hoc Daniæ Regum ab illo Canuti honore plane aliud quid est & diversi ordinis. Ad sese quoque à Canuto quidquam juris in Slaviæ  
 illam*

illam partem derivatum, Regum nemo præ se tulit: eoque statim à cæde Canuti teste Helmoldo l. 1. cap. 53 *successerunt in locum ejus Pribezlaus atq; Niclotus bipartito principatu, uno scilicet Wagirensium atq; Polaborum, altero Obotritorum provinciam gubernante.* In illos ipsos adeoque in omnem illam terram, post dominatum exercuit Henricus Leo, nemine Regum contradicente. Waldemaro Regi spem aliquam factam à Friderico I Cæsare Slaviæ beneficiaria lege ab Imperio consequendæ, refert quidem Saxo: at tametsi ille esset S. Canuti filius, paternum tamen aliquod jus ab illo prætextum Saxo non memorat. Unde & hoc colligere est, quicquid datum fuit Canuto, cum ipso illo statim desisse, neque adeo hereditarium aliquod jus illi concessum. Alioquin sane urisset hoc Waldemarus ejusq; filius Canutus: Saxo certe injuriam illam nequam dissimulasset, pro eo quo in Germanicos Cæsares fuit animo. Si ad Waldemarum autem Canuti unicum filium nihil devenit juris hereditarij in Slavos, multo minus ad Reges alios à Canuto quidquam ejus est profectum.

L I

Longe

Longe minus ad ipsum Daniæ Regnum potuit ejus aliquid pervenire: quum Lotharius Imperator non Regnum Daniæ, imo nec aliquem Daniæ Regem, beneficio isthoc affecerit, sed Canutum qui Dux tum erat Sleswicensis.

Tertia à Crantzio adducta caussa mihi omnium videtur verisimillima, subjugatio nempe Venedorum. Imo Crantzio ipsi videtur hæc præplacuisse. Itaque hanc alteri illi de S Canuto semper addit. Hinc illis ex libro 3 Wandaliæ à nobis productis subjungite vestigio cap. 30: *Sed & multis deinde bellis magna pars Wandaliæ littoralis parvit Regibus Danorum, ut inde quoq; titulum mutuati credantur.* cap. 36: *Sed quod ante dixi & suo tempore commemorabitur, etiam posterioribus seculis magnam Wandaliæ partem Danorum Reges suo imperio conjunxerunt. eam videlicet qua littora maris tangit. Sed nec ipsorum Danorum in Wandalos imperium stabile mansit.* Similiter l. 6 cap. 24 ubi narravisset, Obotritorum Regulos Niclotum & Burevium in Canuti Regis hominum deditos:  
*Hæc.*



*Hac, inquit, est altera causa cur Dania Reges titulum sibi desumant, ut se Wandalorum quoque Reges profiteantur. Nam primam ex Canuto Obotrisorum Rege sub Lothario ejus nominis novissimo recepere. Et verò ex eodem tempore ortus est in Dania ille Regius de Venedis sive Slavis titulus. Ita etiam demum liquet, & nullo Imperii Germanici beneficio illud nomen Danis partum, & haud inani illud fundamento innixum. Armis siquidem devicta Slavonia & in provinciam redacta nomen quoque Regium haud immerito ornavit, Germaniam etiam inconsultam. Sane initio Rugij jam à Waldemaro I Rege subacti erant. Canuti vero denique auspicijs Absalon Archiepiscopus Bogislaum Pomeranum ad tributa & hominum, Rugiorum more, Dano præstandum adegit. Quod utrumque Saxo late describit, libris duobus ultimis Historiæ suæ. Postremam victoriam hoc quasi epiphonemate persecutus: Ita Slavicarum rerum dominium assiduis Waldemari laboribus negatum, parvulo Canuti negotio contributum est, felici ejus militia*

*tia paternam supergrediente fortunam. Pome-*  
*ranum fraude circumventi Obotritorum bini*  
*Principes inter se discordes, eadem fortunâ,*  
*non multò post secuti sunt. Rex Danie Ca-*  
*nutus ait Crantzius l. 6 Wandal. cap. 24,*  
*qui Burevvinum in Rugia captum tenebat,*  
*arbiter factus inter dissidentes, ita litem diremit,*  
*ut Nicloto Rostockium cum terra Kissinorum,*  
*Burevvinum vero Ilovu & Magnopolis (ca est*  
*terra Obotritorum) proveniret, & VTERQUE*  
*DE MANU REGIS terram suam re-*  
*cognosceret. Eadem deinde armorum felici-*  
*tate per Nordalbingiam omnem excurrente,*  
*tandem & inclyta urbs Lybeca in jus Dano-*  
*rum concessit. Quæ postrema cum narra-*  
*set sub finem l. 6 & initium 7 Wandaliæ*  
*suxæ Crantzius, addit: Hic est interim rerum*  
*status, ut unus Canutus Regem se Danorum,*  
*Wandalorum & Nordalbingia ferat & in ti-*  
*tulo scribat. Erat autem tum annus millesimus*  
*ducentesimus. Stadenfis tamen Abbas, Adol-*  
*pho Holsato victo Lybecam anno demum*  
*1201 subactam, scribit. Obijt autem Canutus*  
*anno sequente, successorem nactus fratrem*  
Walde-

Waldemarum, Principem sane multis virtutibus eximium, & si initia spectes fratri armorum felicitate haud imparem. Etiam hic vero simulac in Dania res suas nonnihil composuisset, Lybecam veniens REX DANORUM & SLAVORUM & NORDALBINGIÆ DOMINUS salutatus est; quod non multo ante ex Arnoldi Lybecensis l. 6 cap. 17 jam rum narravimus. Unde confirmatur id quod diximus, subacta illa ad Balthicum mare Slavonia, illud Regium novum nomen Dani titulis accessisse, nullo habitu respectu ad terras alias. Et tamen aliquot annis post ab eodem Rege Waldemaro Prussia quoque & Esthonia devicta est. Ericus Rex in chronico: *Anno 1206 Andreas Archiepiscopus duxit exercitum in Revaliam. Anno 1210 expeditio facta est in Pruciam & Samland; Mistrvin Dux Polonia factus est homo Regis. Anno Domini 1219 Rex Waldemarum congregato exercitu per maximo, cum mille quingentis longis navibus Estoniam intravit, & post multa bella totam terram illam ad fidem Christi convertit, & Danis subdidit usq; in presens.*

Igitur haud dubito equidem, non alia ratione natum illud novum nomen, quam cepit alterum illud **NORDALBINGIÆ DOMINI**, post scilicet bello subactam Slavoniam illam Balthico mari proximam. In justitiam vero armorum si inquiras, illa cum Imperij Germanici injuria conjuncta fuisse, vix quisquam negaverit. Omnes illas Slavorum terras usque ad Vistulam amnem, jam tum à Carolo Magno in obsequium Francici Imperij redactas, ante ostendimus. Cum ab officio recessissent post Ludovici Germanici obitum, Henricus I Rex ut *Bohemos & Sorabos ab aliis Regibus edomitos, ita & ceteros Slavorum populos uno grandi pralio ita percussit, ut ceteri (qui per pauci remanserant) & Regi tributum & Deo Christianitatem ultro promitterent.* Henrico defuncto Slavi novas res affectantes rebellare moliti sunt. Otto autem Rex quos pater ejus uno grandi bello domuerat, ipse tanta deinceps virtute constrinxit, ut tributum & Christianitatem pro vita simul & patria libenter offerrent victori; baptizatusq; est totus gentiliū populus. Qui quidem ad Oderam usque

usque habitabat; nam Pomerani trans Oderam armis non Germanicis sed Polonicis flexi iterum sunt, eoque non nisi per Polonos in Imperij Germanici ditionem pervenerunt. Hoc obsequium duravit pene per annos septuaginta amplius. Pene inquam; multa enim illos Slavos etiam Ottonis II ætate molitos, ex Dithmaro constat. Tunc verò Theodoricus Marchio Brandeburgensis & Dux Saxonie Bernhardus, quorum alter orientalem alter occidentalem Slavoniam illam possidebat, Venedos istos *tanta crudelitate insectati sunt, ut excusso tandem servitutis iugo libertatem suam armis defendere cogerentur.* Id quod ipsis ex sententia tum successit. *Postquam autem placuit piissimo Casari Henrico curiam celebrare in castro Werbene, quod est juxta Albiam, ad experiendos animos Slavorum, venerunt omnes Principes Winithorum in presentiam Casaris, seq. Imperio ad bonum pacis & subjectionis obtemperaturos protestati sunt.* Qui illi successit Conradus frequentibus praeliis *Winithos attrivit.* Id quod & Wippo in ejus vita commemorat. Hinc Henrico etiam

jam III Cæsare in officio fuerunt. Henrici  
 vero IV ætate, quum omnia Imperij concute-  
 rentur, Venedi quoque & religione deserta  
 & excusso jugo in libertatem sese vindicave-  
 runt. Cum hujus filius Henricus V rerum potire-  
 tur, quidam Venedicæ prosapiæ sed Christiana  
 religione imbutus præclarus Princeps Henri-  
 cus Slaviam illam pene omnem debellavit.  
 Duci tamen Saxoniae *fecit juramentum fidelita-  
 tis ac subjectionis.* Hic est Henricus ille de  
 quo Helmoldus : *Servierunt Ranorum sive  
 Rugiorum populi sub tributo, quemadmodum  
 Wagiri, Polabi, Obotriti, Cycini, Circipani,  
 Lutici, Pomerani, & universæ Slavorum nati-  
 ones quæ sunt inter Albiam & mare Balthicum,  
 & longissimo tractu protenduntur usq; ad ter-  
 ram Polonorum. Super omnes hos imperavit  
 Henricus, vocatusq; est Rex in omni Slavorum  
 & Nordalbingorum provincia.* Hæc sunt ini-  
 tia Regij per Slaviam illam nominis, popu-  
 lari magis acclamatione quam Cæsarum au-  
 thoritate : in hunc modum quoque aliqua-  
 tenus Slavi isti in Imperij ditionem redierunt.  
 Aliquatenus, dico : tantum enim non libera  
 potestate

potestate Henricus quidem ille rex inter suos  
 usus est, nisi quod ad extremum hujus quo-  
 que dominium Rugii excusserint. Defuncto  
 cum filiis Henrico, Canutus Dux Danus adiit  
 Lotharium Imperatorem emitque multa pecunia  
 Regnum Obotritorum; omnem scilicet potesta-  
 tem qua praditus fuerat Henricus. Et posuit  
 Imperator coronam in caput eius ut esset Rex  
 Obotritorum, recepitque eum in hominum.  
 Paulo aliter id refert Saxo: nos autem ut in  
 omni hac narratione ita & heic maluimus  
 uti verbis Helmoldi, ex l. 1 Chronici Slavo-  
 rum hinc inde petitis.

Canuto non multo post cæso, si Rugiam  
 excipias (cujus ut & Pomeraniæ nomine Po-  
 lonus Lothario Cæsari homagium præstitit,  
 teste Ottone Frising. l. 7 cap. 19) Venedicæ  
 tetrae omnes usque in Pomeraniam sub gra-  
 vissimo tributo Saxoniarum Ducibus ac March-  
 onibus paruerunt, imo recusantibus incolis  
 sacra Christianorum admittere, iisque pro-  
 pterea partim fugatis partim trucidatis, per  
 assidua bella in solitudinem redactæ sunt;  
 donec novis colonijs ex Flandria, Hollandia,  
 Mm Frisia

Frisia, Westphalia, Saxonique omni Ducum illorum & Marchionum cura accitis, excoli & habitari iterum cœperunt, Friderico I Cæsare imperante. Ipse ille Imperator Bogislaum & Casimirum Pomeraniæ Principes, quum pulso Henrico Leone Duce, in cujus clientela vixerant, in castris ad Lybecam commoraretur, (agebatur annus 1181) datis solenniter aquilis in numerum Ducum Imperii adscivit, coram præsentem ipso Rege Danorum Waldemaro.

Huc igitur usque, continua pene seculorum aliquot possessione, in jure Imperii Venedorum utique hi populi fuerunt. Soli Rugii possint videri nonnihil præ aliis fuisse soluti Imperii legibus, diuturna rebellione partâ sibi majore aliqua libertate: non minus tamen jura prisca Imperio salva mansere, aut si quæ damnum erant passa integrum Imperio fuit illa iterum vindicare. Daniæ certe nec in Rugios quidquam fuit vel juris vel possessionis jam à seculis compluribus. Debellavit autem illos & in suam ditionem quasi redegit circa annum demum 1168 Rex Waldemarus



rus primus id nominis. Nec tamen vel ea ratione Rugii Imperio plane subducti, in solius Daniæ dominium concessere. Ipsi enim Daniæ Reges in hominio tum fuerunt Cæsarum, adeoq; illa quæ à Regibus istis tum occupabantur quasi in peculium simul Imperii venerunt: Ad hoc videtur Waldemarus indultu Cæsaris Friderici ejusq; beneficio arma illa expedivisse: adeoq; salvishaud dubie Imperii summis juribus. Datum sane esse Regi Waldemaro, cum homagium præstaret, à Friderico Cæsare potestatis aliquid in Slavos illos Balthici maris accolas, refert disertè Saxo l. 14: quod itaque factum fuerit quinquennio ante Rugiæ illam occupationem. In partem quoq; victoriæ Henricum Leonem Ducem admisit Waldemarus, ut ne tota quidem Rugia illa Dano cesserit. Helmoldus l. 2 cap. 14: *Occurrit Duci Rex Danorum & exhibuit se proum ad omnem voluntatem Ducis. Et recognovit ei medietatem tributorum & obsidum quæ dederant Rani, & de erario fami equam portionem, & ad singula quæ Dux indicauit exigenda, devote paruit Rex.*

NON possumus non hoc loco animadver-

tere in Saxonem. Scribit ille, invitatum ad Curiam VValdemarum à Cæsare Friderico, in *premium itineris una ex Italia provinciis cum totius Slavia præfectura* proposita. Verba ejus etiam hæc sunt de Friderico Cæsare: *Universos Germania Principes sacramento adactos jurare compulit, se ejus (VValdemari scil. Regis) ditioni Slaviam substraturos.* Idem l. xv narrat, Cæsarem eundem orasse VValdemarum Regem, pateretur Pomeraniæ principes Casimirum & Bogislaum à se inter Duces ascisci, se *memorem quid olim VValdemaro de subigenda Slavia pollicitus fuerit, profligato Henrico Saxoniae Duce, Pomeraniam ei subijcere curaturum.* Ita Saxo. Sed in his multa hominis figmenta haud difficulter deprehendas. Quei potuerit enim Cæsar totius Slaviæ præfecturam VValdemaro Regi aut promittere aut concedere, cum bona ejus pars jam multo tempore fuisset juris Ducum Saxoniae & Marchionum Brandeburgensium? Quei iurarint illi se Slaviam VValdemaro, Dano substraturos? Qui hoc fecerit Henricus Leo, is qui ut ostenderet se Rege illo nihilo inferioriorem

riorem, quoties cum illo ad Eidoram colloquium aliquod instituit, non nisi in medio ponte illum convenit; id quod ipse Saxo notavit. Quid? quod verum ipse Saxo narret: statim nempe a reditu suo ex Burgundia & Cæsaris aula Waldemarū Slavorum orientaliū, sibi virium fiducia rebellantium, defectionem expertum cum Henrico belli societatem contraxisse. Eiusdem verba sunt: Henricus Bugislavi Danorum metu ad se decurrentis obsequium pactus, initam cum Rege societatem, tanquam ineptum & ignobile vinculum, dispicere parvi habuit. Quin etiam apud Crempinum fluvium in colloquium cum eo descendens questus est, quod militem suum Bogislavum coram se non accusatum bello laceffit: quem si iniuriosum existimet, prius accusationibus quam armis aggredi debeat. Contra Rex negare, se ullius potentie respectu cessaturum, quo minus acceptas injurias mutuis damnis rependere liberum habeat. Ita perstante controversia fœdus cum colloquio solvitur. Semel iterumque post inter Henricum & VValdemarum societatem bellicam adversus Slavos æquis conditionibus repeti-

tam, Slavos etiam interdum adversus vim Danicam ab Henrico Saxoniae Duce in tutelam susceptos, idem commemorat. Quæ si vera sunt (vera autem esse confirmat Helmoldi historia) non utique sacramento fuere alstricti omnes Principes Germaniæ, Waldemaro Dano Slaviam subicere. Nemo etiam facile crediderit Fridericum Cæsarem Waldemaro adulatam, cui herois illius animus magnus ex rebus præclare gestis non est ignotus. Et quare oraverit Cæsar Waldemarum, pateretur Pomeranos illos in suam fidem adigi, cum illi non essent obstricti Dano, & jam tum hominum Duci Henrico Leoni fecissent? Nam quod improbrat Pomeranis Saxo, quasi Ducum titulis à Cæsare acceptis, *veterem atq; hereditariam patriæ libertatem variis atq; fucosis dignitatum nominibus venditaverint*: id quam sit iniquum ostendunt ipsamet ejus verba. 14: *Interea Casimirus & Bugislaus Danicarum virium metu Henrico se subdunt, regnumq; suum hucusq; liberum Saxonici muneris faciunt. Ergo dum ex hostibus alterum metuunt, alterius jugum sumpserunt, auxili-*  
umq;

umq; petendo antiqua libertatis beneficium amiserunt. Imo jam tum ante in militari clientela Ducis hi fuerant, ceu jam audivimus.

VERUM Saxonis contumelia & figmentis relictis, redeundum est ad propositum. Clarissimum jam autem fecimus, ne quidem Rege Waldemaro ullam Slaviae partem in pleno Daniae jure fuisse: sed omnem illam summo merito in Germanici Imperii obsequio degisse. Filius igitur Waldemari Canutus Rex Imperii iura idq; non nisi per vim invasit, dum non Rungiam duntaxat Daniae omnino vindicavit, sed & Pomeranos & Obotrorum Principes in verba sua sacramento adegit. Prætextus ipse belli ineptus fuit. Ita enim Arnoldus l. 3 cap. 5: *Canutus multam pacem habens in Regno suo, animadvertit quod Slavi in diebus patrum suorum multas calamitates terre sue intulissent. Videns etiam eos auxilio Henrici destitutos, qui freno dominii sui maxillas eorum constrinxerat, suscepta adversus eos occasione, bello eos aggressus est. Contra quos tamen, consilio usus Absolonis Archiepiscopi, prudentia magis quam viribus prævalebat. Fuit mera προφασις scil. injuriæ*  
vete-

veteris ultio : quasi non jamdudum pace constituta omnis damni, quondam hinc inde dati, oblivio sancita simul fuerit. Merito igitur in Canutum excanduit Cæsar. Qua dere ita Arnoldus l. 3 c. 7 *Sic humiliatae sunt vires Slavorum & servierunt Danis sub tributo. Hac autem non sine indignatione Imperatoris facta sunt: qui se dicebat dupliciter à Canuto Rege iniuriatum, & quod ab eo coronari noluerit, & quod Slavos Imperio subditos suo dominio per tributum & hominum subdiderit.* Merito etiam, ubi licuit, iugo illo iniquo Danico excusso Principes in corpus Imperii redierunt. Id quod factum est statim post prælium illud ad Bornhovedam: quo tempore simul & Nordalbingiam vindicatam, ante diximus.

Vnus victorum erat Burevvinus Obotritorum Princeps. Itaque & sibi ille libertatem peperit, & alius signum extulit ad eam recuperandam. Crantzius cum prælii illius res memorasset l. 7 Wandalix cap. 10 ita scribit: *Per qua tempora Demynum oppidum orientalis Wandalix, quod tum etiam Danorum regi*  
impo-

imposito paruit praesidio, quum audirent cives, versa Danorum fortuna Lubecam & omnem Nordalbingiam excussisse iugum regis, & ipsi de sua libertate cogitarunt. Interpellavere autem congentiles suos, vicinos Wandalos: & facto impetu in praesidium militum quod rex Dania imposuerat, omnes aut ceciderunt aut abegerunt. Nec mansit ex eo die quicquam in fide Regis ex Wandalia praeter solam Rugiam: qua virtute Iaromari sub Regis imperio conquievit. Secuti tamen & Rugiani sunt ejusdem seculi anno sexagesimo exemplum aliorum: imo Iaromarus secundus ejus nominis non satis habens in libertatem se asseruisse, classe infesta Daniã petitã, Selandiam omnem devastavit. Quod ere differit Crantzius l. 7 cap. 28 addens: Per hac tempora Dania in illum contemptum pervexit, ut facile à quovis impugnaretur. Hujus filius Witzlavus III hominum Cæsari Rudolpho praestitit anno 1283. Neque posthac unquam in Daniæ ditionem ulla Slaviæ pars redijt, qui regni illius infelix diu fuit status. Ericus Rex in Chronico: Anno Domini 1241 obiit inclyta recordationis rex

Nn

Walde-

*Waldemar* II in cœna Domini: in cuius  
 morte vero cecidit corona capitis Danorum.  
 Nam ab illo tempore bellis intestinis & destructio-  
 ni mutua vacantes, omnibus in circuitu nationi-  
 bus factisunt in derisum. Sed & terra quas pa-  
 tres eorum gladio suo gloriose acquisierant, non  
 solum ab eorum dominio recesserunt, verum &  
 plagas maximas regno intulerunt. & illud mise-  
 rabiliter confuderunt, principibus regni non re-  
 sistentibus, sed se invicem lacerantibus & va-  
 stantibus. Witzlavo IV ultimo Rugiæ  
 Principe defuncto anno 1325, Regi Daniæ juris  
 pristini prætextu maior Rugiæ pars, ut loqui-  
 tur Crantzius l. 8 cap. 12 Wandalia, conces-  
 sit: mox tamen ipse Rex jus suum omne in Ru-  
 giam Pomeraniæ Ducibus tradidit. Nec le-  
 gas, secuto tempore quidquam à Dano vel  
 tentatum esse. Nisi huc trahere velis contro-  
 versiam à Christiano III Rege Pomeraniæ  
 Ducibus motam, de bonis quibusdam sacris.  
 Nihil enim illa facit ad reipubl. summam: ceu  
 liquet ex ijs quæ narrat Chytræus chron.  
 Saxon. l. 16. Ultimus quoque Rostochij  
 Dominus se quidem Dano submisit: sed  
 non



non alicujus veteris juris ergo, sed quod sibi à Marchione Brandeburgensi metueret. Et hoc quoque novum jus suum Henrico Meklenburgico cessit Rex Christophorus secundus: teste Crantzio l. 8 Wandal. cap. 6. Illum Regem cogitasse de revocanda aliquando in Danicum jus Lybeca, idem ibidem memorat. Sed ejusmodi cogitata nihil juris multo minus dominii quidquam tribuunt.

Ut proinde, jam quadringentorum amplius annorum spacio Imperium Germanicum & Nordalbingiam & Venedicas sive Slavicas illas terras à Danis sibi iterum vindicaverit, priscis limitibus restitutis.

## CAPUT XVII.

*Hungaria Regnum in obsequio Imperii aliquamdiu sed non multo post asseruisse sese in libertatem. Reges quoque Cypri & Armenia Imperium Germanorum, brevi tamen duntaxat momento, coluisse.*

**B**Revis temporis fuit in Daniam dominium. Minus adhuc duravit Hungariæ obsequium: vix momenti spacio Reges Cypri

270 DE FINIBUS IMP. GERMANICI  
pri & Armeniae Cæsares nostros coluerunt.  
Eoque pene tædet de hisce verba facere: ne quid  
tamen videamur neglexisse, pauca in medium  
adferemus, omnia uno capite comprehendentes.

Arnolphus Cæsar imperabat, quando  
Hungarorum audita primum sunt arma. No-  
men ipsum ignotum hæctenus, nisi sint Hu-  
nugari qui Jornandi *libro de reb. Gothicis* di-  
cuntur, inter Attilæ militantes Scythiæ po-  
pulos: quod mihi sane per videtur verisimile.  
Ab Hunnis Avaribus iis quos Carolus Magnus  
devicerat, plane alios esse, & Arnolphi tempori-  
bus demum Pannoniam Daciamque eos oc-  
cupasse, diserte memorant, qui illi tempestat  
sunt vicini scriptorum nostrorum præstantis-  
simi. Quibus cum faciunt etiam Regino ad  
annum 889 & Otto Frisingensis l. 6 Chron.  
cap. 10: Consentiant vero & Hungarorum an-  
nales, novam tum Scytharum manum duce  
Cusala in Daciam & vicinas regiones, per varia  
bella incolis exhaustas, commigrasse. Ut pro-  
inde huic sententiæ tutò forte liceat accede-  
re. Hi ubi magnam Moraviæ quoque partem Ar-  
nolpho

nolpho non invito occupassent, eo defuncto  
 proximam Pannoniam, fertilissimam terram,  
 quæ ad Dravum usque (si credimus Aventino  
 l. 4) Bajoariæ tum pars erat, sui juris fecerunt:  
 inde populabundi Germaniam Italianam & Gal-  
 liam multos annos fœde habuerunt, donec  
 ab Henrico Aucupe primùm repulsi, ab Ot-  
 tone Magno penitus fracti, intra Pannoniæ  
 proximos limites se recepere. Aventinus de illa  
 ultima clade l. 5 ita loquitur: *Otto adserta  
 Germania, populo Christiano liberato, eaq; cade  
 perpetrata, ab exercitu Imperator & pater pa-  
 triæ salutatus est. Porro Ungri qui domi re-  
 liqui erant, tantâ suorum ruina animo fracti,  
 vallo fossa sudibus contra nos sese in locis palu-  
 stribus muniunt, nedum fines alienos invade-  
 re sicuti per annos quinque & quinquaginta ha-  
 tenus continenter factitarant) animo posthac  
 conciperent: contusi viribus territiq; potentia  
 Ottonis, ne mutitare quidem de cetero ausi fu-  
 ere. Antonius Bonfinius l. 10 dec. 1: Hoc bello  
 cum innumera multitudo occubisset, Ungaro-  
 rum vires adeo enervata sunt & exhausta, ut  
 multis annis in Pannonia ab omni se expeditione*

*continuerint. Item: Ungari primi Othonis conflictu enervati, in quiete mansere.*

Idem vero ille Bonfinius Germanis nobis per hęc est injurius. *Quin etiam, inquit, eo insolentia profecta est Germana superbia, ut ob hanc unam calamitosam & cruentam Othonis victoriam, ex Ungaro neq; fuso neq; cedente relatam, imperii quoq; Pannonia titulos usurpet. Blandiri sibi potius ex re parva, quam alienam gloriam recensere studet. Num parva res fuerit, qua innumera multitudo cecidit, & Ungarorum vires sunt enervatae, quilibet judicet. Tantum abest vero, ut hujus victoriae ergo titulos Pannonici regni Germania sibi usurpaverit, ut iis nunquam sit usa. Imo, quod sciam, reperitur nostrorum scriptorum nemo, qui hac quidem clade Ungariam asserat in provinciam esse redactam. Factum quidem illud est, sed multo post, Henrico III Cæsare: quo de postea.*

Non possum non in medium hęc adferre quæ idem Bonfinius narrat de Austria ab Hungaris Rege Guiskone sive Geisa occupata & vicissim Imperio vindicata: quoniam id facit  
ad re-

ad rectam limitum notitiam Bellum, scribit, in Austriam tantum aliquanto obstinatius gessit: quam mortuo Rudigerio tyranno occupavit. Sed Henricus primus Caesar in Germania declaratus, Leopoldo illustri Suevia duci, qui sororem eius uxorem duxerat, Austriam Imperio Romano recidentem, ea conditione delegavit, ut si Ungaros hinc eiiceret, ea que quondam Orientalis marchia dicebatur, Ducis primus nomine potiretur. Leopoldus expeditionis conditionem accepit, in Geysam comparato exercitu proficiscitur. Ad Mellicum oppidum, quod Danubio prominet, cum hoste congreditur. Cedentibus Ungaris, Geysa, ne rem alienam vi occupatam per vicacius tenere videretur, Austria excedit, & cum Alemannis pacem facit. Henricus ex cognomento Rebellis, Leopoldi filius, post mortem patris in Ducatu successit: sed cum Imperio parere recusaret, dominatus iure privatur. Quod ubi sensere Ungari, ut armis olim parta recuperarent, regnante Aba (quem Albuinum, vel Ovenium Annales plerique nominant) ea validissimis copiis repetunt, occupantque. Sed quum Henricus deposita contumacia

*macia ad Imperii fidem rediisset, ut auxilium pro recuperando Ducatu imploraret, ex Ungarorum manibus eruere nequivit. Demum Albertus eius filius & Leopoldi frater, impetratam ab Henrico divo provinciam, paucis mensibus in potestatem suam redegit: unde ceteri Austriae Duces ac divus Leopoldus rite profluxere. Hæc Bonfinius. Quæ tamen omnem Hungariam non attinent sed ejus quæ Germaniæ adjacet partem.*

UT autem eo rectius pateat ratio limitis illius omnis, operæ fuerit pretium ex Aventino etiam, accuratissimo Bajoaricarum rerum scriptore, referre quæ ille l. 4 pag. 34 recitat, ubi Caroli Magni bellum Hunnicum persequitur. Arno (ait) Archymythes Juvarvensis (ita appellat Archiepiscopum Salisburgensem) qui jam ex Italia redierat, & Pipinus filius Magni, iussu regis cum exercitu in Orientalem Bojaria limitem, quam maturime infesta intentaq; acie contendunt, Hunnos ac Avaros ulciscuntur, gentem excindunt, nomen delent, & rejectis Avaribus, fines Bojaria usq; ad Dravi fluentem promovent: ibi colonias Bojorum,

rum Venedorumq; deducunt. Capere itaq; in eo tractu, unde Hunni extrusi fuerant, multiplicari Boii atq; Venedi: qui adhuc ibi mixti Ugris habitant. Atq; is Bojaria Orientalis limes firmis praesidiis utriusq; gentis munitur. Boiorum praefecti fuere Goteramus, Wernerus, Albericus, & Godofridus. Sed Venedorum ex ipsis rectores fuere Primislaus, Cemicas, Stomarus, Otogeneration. Post hos duces & huiusmodi, Venedorum natio, & qui inter fontes Savi Draviq; consistunt, cum finitimis gentibus, Bojaria nobilitati commissa est. Porro in rebus divinis religio neque procurandis, eam omnem provinciam à Dravo flumine Anassum versus, unde Hunnos & Auares exactos diximus, Arnoni Pontifici Juvaviensi, eiusq; successoribus, perpetuo addixit Carolus. Idcirco ab Arnone rex sacrificulus creatur Theodericus, qui in ista nuper parte regione templa quidem dedicet, sacerdotes cooptet, populum instituat, rerum caelestium curam gerat, ritus colendi summum Deum, eiusq; voluntatem condoceat. Verum ipse tamen subditus sit & pareat Pontificibus Juvavensibus. Confectum itaq; est octavo tandem

anno bellum Avarorum, quod & Hunnorum  
 appellant: non sine magno (ut verbis Ludo-  
 vici Pii Caesaris Augusti, filii Magni, quae re-  
 fert Reginerio Batavensi Episcopo, utar) pra-  
 liorum labore. Boiariaq; regnum usq; ad Dra-  
 vum flumen eiusq; ostia prolatum est. Vnde  
 ea regio Osterricha, Austriaq;, id est, Orientale  
 Boiorum regnum, ac limes posthac cognominata  
 est. Cuius etiam pars nunc supra Litham  
 flumen ad occidentum solem vergens, Teutonice  
 Osterricha, & facto nomine Austria Latine vo-  
 cari solet: peculiaribus subiecta Principibus  
 qui iam diu Romano potiuntur Imperio. Infra  
 Litham nunc pars Vngariae est. Divus enim Hen-  
 ricus secundus Caesar Augustus, Regulus Boio-  
 rum tertius, Stephano Regi, Gisala sororis sua  
 marito, quo facilius gens effera religionem no-  
 stram reciperet, quasdam urbes Boiorum, re-  
 gniq; Boiaria, quae infra Litham sitae sunt, quasi  
 dotis nomine, tradidisse legitur: Nempe Po-  
 sonium, Uratislaburgium, Sempronium, Oe-  
 denburgium, & alia huiusmodi oppida: alioqui  
 Ugri in principio quoq; regnum Boiariae inva-  
 serant, ibiq; sedes locarant. Isthaec omnia ex ve-  
tustis



*tustis Imperatorum, & Pontificum nostrorum  
diplomatibus & Epistolis excepimus.*

Idem Aventinus l. 5 p. 512 cum narrasset,  
legatos Hungarorum cum Henrico II Cæsare  
pacem & perpetuum foedus composuisse,  
rectori eorum filio Geizonis, qui obierat  
anno 996, Henrici Cæsaris sorore Gisala de-  
sponsata, ea lege, ut ille explosa fallorum De-  
orum superstitione Christi cultum cum po-  
pularibus reciperet; eaque conditione ab  
Hungaro Principe accepta, illum baptismo  
initiatum Stephani nomen accepisse, &  
A CÆSARE REGEM NVNCVPATVM:  
Stephanum item suos à pietate Christiana ab-  
horrentes, in obsequio religionis vi continuisse,  
subjungit hæc verba: *Quod ut facilius asse-  
queretur, dotis nomine ei colonia Boiorum, Vra-  
tislaburgium, Posonium, infra Phiscam amnem  
Oedenburgum, Sempronium, Sabaria, & alia  
pleraq; oppida quondam Boiorum infra Phy-  
scam, attribuuntur.* Idem porro Aventinus  
pag. 529 narrat, Oyonem Regem pacis impe-  
trandæ ergo Henrico tertio Cæsari reddidisse,  
quicquid intra amnes Litham Phiscamq; con-  
tinetur

*tinetur, quæ pars quondam Divo Stephano amicitie causa tradita erat.*

Si Aventinum itaque audimus, per Carolum Magnum limites Imperii in Pannonia quidem Dravo sunt definiti. Ut proinde illo bello Hunnico accesserit Bajoariæ, omne quod est Anisum inter & Dravum flumina, Hunnis ereptum. Anisum enim antehac terminum fuisse Bajoariæ diserte testantur Annales Francici ad annum 792: *Atq; sic inchoato itinere prima castra super Anisum posita sunt. Nam is fluvius inter Bajoariorum atq; Hunnorum terminos medius currens, certus duorum regnorum limes habebatur.* Hungari porro sui juris iterum fecerunt & incolis repleverunt omne quod est à Dravo usque ad Litham: sed vicissim coacti sunt recedere ultra Pischam, donec amicitie causa ab Henrico II Cæsare Hungaris omnia sunt reddita ad Litham usq;. Hæc ex antiquis tabulis Aventinus cum affirmet sibi deprompta, nolim equidem in dubium temere vocare. Quum donationem autem illam Henrici non agnoscant Hungari & parum intersit, non est quare nos illam Hungaris

rismoleste exprobremus. Nec tamen Bonifacio etiam assentiri tuto possumus, Henrico primum Cæsare Austriam Hungaris ereptam, etsi forte sit vindicata, Ducis titulum Leopoldo propositum Austriæ causa, à vero alienum est: Marchiones enim non Duces agnovit terra hæc ad Friderici I Cæsaris tempora, eosque non proxime atq; immediate Imperii sed Bajoariæ Ducum clientes. Ab Ovone Austriam foede vastatam narrat quidem Aventinus l. 5 pag. 522: sed causam & eventum longe aliter. Verum quum hæc omnem Hungariam non attineant, aut firmam aliquam possessionem sive Hungariæ sive Germaniæ non dederint, nihil est causæ quare illa nos remorentur.

Stephano Hungariæ Regi Conradus Cæsar bellum quidem intulit: sed nec tum aliquid Hungariæ majestati decessit. De illo bello ita Wippo in Conradi vita: *Eodem tempore multa dissensiones inter gentem, Pannonicam & Bajoarios, culpa tamen Bajoariorum facta sunt: ita ut Stephanus Rex Ungarorum multas*

incursiones & preda in regno Noricorum,  
 id est, Bajoariorum faceret: unde commotus  
 Imperator Chuonradus cum grandi exercitu su-  
 per Ungaros venit. Rex autem Stephanus mi-  
 nime sufficiens aduersus Imperatorem, orationi-  
 bus & jejuniis in universo regno suo indictis, pra-  
 sidium Domini tantummodo flagitabat. Impera-  
 tor tam munitum regnum fluvius & sylvis intra-  
 re non valens, multis tamen pradationibus & in-  
 cendiis circa terminos regni injuriam suam satis  
 ulciscens, reversus est: volens tempore oportu-  
 niore capta sua peragere. Sed filius suus Rex  
 Henricus adhuc puerulus, Eigelberto Frisingensi  
 Episcopo creditus, legatione Stephani regis pacem  
 rogantis accepta, unico consilio Principum regni,  
 patre neseiente, gratiam conciliationis annuit:  
 iuste & sapienter agens, qui regem iniuste  
 injuriatum, ultro petentem gratiam, rece-  
 pit in amicitiam. De hac Conradi expeditione  
 Hermannus Contractus: Anno 1093 Con-  
 radus Imperator Stephanum Regem cum exer-  
 citu petit. Anno 1031 Stephanus Rex missis  
 legatis cum Imperatore Conrado pacificatus est.

Prius

Prius illud etiam Lamberto Schafnaburgensi notatum est.

Hactenus igitur salva Hungariæ libertas. Sed qui Conrado successit Henricus III jam tum Cæsar, majore vi aliquot per annos repetitis bellis, Hungariæ regnum in provinciam demum redegit, quod ante diximus. Hinc Wippo in vita Conradi Cæsaris: *Ungaria, quam idem Rex Henricus tertius nobili atq; admirabili victoria domuit, & post victoriam sapientissimo consilio sibi & successoribus suis stabilivit, prædicto tempore (electionis Cunradi Salici) nec audire nos sustinuit.* Quod si superesset historia rerum Henrici ab eodem Wippono conscripta, constaret nobis rectius tota gesti negotij ratio. Otto Frisingensis l. 6 chron. cap. 32 ita communius rem omnem narrat. *Ungaros quoq; variis ac diversis præliis premens, Petrum Regem eorum ab Ovone rege fraudulenter pulsum, intercessione Alberti Marchionis, (Austriæ sc.) cuius levir erat, exulem suscepit ac cum exercitu Pannonias ingressus, congressu habito, cum paucis incredibilem multitudinem Ungarorum fudit, Petrum regno restituit.*  
*Unde*

Unde est ille rithmus Hermanni Contracti de prefato triumpho, qui sic incipit: Vox hac malos pangat. Contracti illud carmen, ut & liber de rebus gestis Conradi & Henrici cujus meminit Otto Frisingensis l. 6 cap. 32 forte perit: ex chronico tamen ejus discimus, gesta illa bella ab anno 1042 usque ad 1046 pene quatuor annos continuos.

Haud abs re fuerit saltim eventus varios bellorum istorum ex optimæ fidei scriptoribus hic adscribere. De eo quod anno 1042 gestum est ita Aventinus l. 5: *Cæsar cum fines hostium nemine prohibente intrasset, delectus agit, exercitum lustrat. Dumq̄ meridionalem Ungariam invadere, munimentum (quod ripe Rabinissa ad arcendos nostros Ovo imposuerat) confectis iam machinis post triduum expugnare parat; Ovo missis nunciis pacem supplex petit, partem Regni ab ostiis & finibus Mari fluminis, ad fines Charionum, & quicquid intra amnes Litham Pischamq̄ continetur, que pars quondam Divo Stephano amicitie causa tradita erat, Cæsari reddidit: insuper se quadringenta auri talenta Teutonica, totidem serica pallia, multæ*  
*nomine*

nomine tributurum, & tanto auri pondere  
 damnum à se datum compensaturum, captivos  
 omnes, Gisala Regina quacunq; Petrus ademe-  
 rat, restitutum pollicetur. Pezilonem ducem,  
 cum septem aliis optimatibus, in quos animad-  
 vertendi more majorum, si pactis non staret, &  
 postridie calendas Decembris verba promissa fa-  
 ctis non comprobaret, ius foret, obsidem tradit.  
 Unum postremo orat, ut timori suo concedatur,  
 ne in conspectum Casaris venire cogatur. Ca-  
 sar consilio habito, condiciones accipit: Henri-  
 cum Boiorum & Uratislaum Boiemia rectorem  
 ad Ovonem concedere iubet: coram quibus pre-  
 eunte sacrificulo Ovo sacramentum dicit, pacta  
 iurandi religione. Hisce confectis Casar re-  
 gione recepta, eaq; in fidem Alberto eiusq; filio  
 commissa, in Sueviam se confert.

Idem Aventinus paulo post pergit: In-  
 terca loci Ovo tanto periculo metuq; liberatus,  
 partem quidem regni quam commemoravi, &  
 ut dixi iam Henrico reddiderat, verum cetera  
 omnia menitus est, captivos plerosq; at non  
 omnes reddidit, pactam pecuniam die dicto non  
 solvit. Late deinde persequitur Aventinus,

Pp

quem.

quemadmodum iterum pertractus Ovonis illa perfidia in Pannoniam Henricus, parva manu ingentem Hungarorum multitudinem straverit, insigni parva victoria, anno salutis 1043 quarto nonas Julii, qui dies inde festus habitus sit. Quibus descriptis addit Aventinus: *Cesar ob fœtorem cadaverum triduo diverso itinere exercitum victorem circumduxit, Albamq; regiam Ungaria caput, sedemq; regni (quamobrem Teutones Stuelvveissenburg vocant) cum victricibus signis intrat. Certatim Episcopi, proceres, cives populusq; Ungrorum ad Casarem cœunt, ob tam insignem victoriam gratulantur: Casaremq; in templum Deiparæ Virginis deducunt, in regio solio collocant, regem consalutant, in verba eius jurant. Cesar Ungros Bojorum jure donat, convocatoq; consilio, Petrum cum popularibus in gratiam redigit, proceres illi sacramentum dicere, eundem precario regnare jubet, Boiorum Boiemorumq; copias eidem presidii causa permittit. Hisce peractis in Occidentalem Boiariam revertitur, Reginoburgiiq; supplicatione decreta, per omnia urbis templa (quæ complura sunt) sacrificia Deo facit*



facit, Sacerdotes, Monachi, Virgines, populus, frequentes salutatum superos ivere. Breviter de eadem re Sigebertus Gemblacensis: *Henricus Imperator iterum Hungariam ingressus cum paucis Abbonem Regem de bello fugavit, & lanceam insignem Regis recepit. Petrum vero quem Abbo expulerat Hungarorum regno restituit, & Hungariam sibi **TRIBUTARIAM** fecit. Idem fere habet Contractus: est autem & hic & ille rei gestæ pene suppar ætate, coq; non est quare audiamus Bonfinium, quasi in bello illo major Bajoariorum multitudo ceciderit. Etiam ille tamen fatetur victoriam fuisse Henrici, tantum dissimulat Ungariam tributo obnoxiam tunc factam. Sub finem addit: *Dum victor Cæsar ex ingenti labore respirat, milesq; aut corpora aut vulnera curat, Ungarica reipublicæ legati continuo adfuerunt: vim, prædam, & agri devastationem deprecantur. Petrum regem repetunt, quem ab scelere exactum indoluere, proinde veniam exorant, & Cæsaris **EDICTA** servaturos pollicentur. Benigno hilariq; vultu hos Cæsar admisit, omniaq; postulata ultro præstiturum se recepit. Post hæc una cum Legatis ac exercitu uni-**

verso Albam peruentum est, ubi in aede diuæ Genitricis Petrum regno ejectum bis rite restituit, Diadema sceptrum cœteraq; insignia reddidit: & regem Ungaris Ungarosq; regi reconciliavit. Omnesq; antistites & optimates Cesaris edicto in regis manus ultro iurarunt, se perpetuo ejus imperata facturos, neq; legitima unquam obsequia detrectaturos. Mox rebus compositis, pacataq; Ungaria, Henricus Ratisbonam se recepit. Petrusq; Alemannorum auxilio recuperato regno potitur.

Anno 1045 Petrus rex, quo ferocientem populum in officio contineret; denuo Cæsarem Henricum invitavit. Cesar, ait Aventinus, in Ungariam navigat Albamq; Regiam petit: ubi honorifice quinquagenalibus excipitur. Ipso die festo Petrus regnum cum hasta aurata reddit, fasces regni ad PEDES Cesaris deponit cum maximo auri pondere, quod militibus suis Cesar distribuit. Regio inde luxu convivium initur, cena dubia apponitur. Cesar armatus, armatisq; septus ob perfidiam inimicorum, epulatur: septem ibi dies commoratur. Abiturus cunctos acersiri jubet quos idoneos ducebat,

eorum

eorum consilium habet. Ita more maiorum ex consilii decreto Regnum rursus **IN FIDEM** Petro tradit; Ungros sacramenta redintegrare imperat, eos non alium Regem præter Petrum & filium eius recepturos: cæterum post horum fata in **POTESTATE** Cesarum fore per sancte deicrare, ritu solenni sancire præcepit. Ita Aventinus. Paulo aliter Bonfinius: Insequente post restitutum Petrum anno Henricus Ungariam revisit. Quem rex Petrus tam mirifice excepit, ut ab eo regnum, ut revera acciderat, se recepisse ostenderet: cum omnibus optimatum magistratumque ordinibus obviam prodiit, diadema cum aurata hasta detulit, moxq; munificentissime donatum in Germaniam remisit. Iterum dissimulat Bonfinius datam Petro in fidem sive feudum Hungariam. Ex recentioribus quoque Hungariæ scriptoribus nonnulli plane id negant: quos inter est Petrus à Revva & reipublicæ Ungariæ descriptor ille in Batavis ab Elzevirio editus pag. 245. Sed cum præter Aventinum optimæ fidei auctores ex ipso illo ævo, Wippo Contractus & Sigebertus, id narrent, licet, nisi fallor, tuto id

Pp 3. credere

credere. Diserte Contractus in chronico ad annum 1045: *Petrus Rex Henricum Regem in festiuitate Pentecostes ad se invitatum magno paratu suscepit, & maximis muneribus donavit, eiq; regnum Pannoniarum, principibus Hungarorum, FIDELITATEM ILLI ET SUECESSORIBUS EJUS* iuramento firmantibus, reddidit.

Fatemur tamen & nos, non satis in solido fuisse collocatum Hungariæ illud obsequium. Nam Petrus sequente mox anno à suis perfide est interemptus, electo Andrea Rege, Cæsare in Italia absente. De illo tamen etiam Andrea Aventinus: *Deinde legatos ad Cæsarem in Italiam proficisci iubet, qui ipsum muneribus purpuratos donis placarent, docerentq; Petrum domesticâ seditione interemptum, percussores omnes pœnas dedisse, se à popularibus regem salutatum. Quod si Cæsar auctor fieret, se TRIBUTUM quot annis pensitaturum, redditurumq; omnes conspirationis auctores, pollicetur. Se nihil impensius cupere quam cum amicitia & GRATIA Cæsaris regnare.* Cæsare jam in Germaniam reverso missos iterum legatos ab  
 Andrea

Andrea refert Aventinus. *Eadem, inquit, tem-  
 pestate Andreas Ungrorum rector crebro lega-  
 tos supplex mittit: primo de nece Petri se pur-  
 gat: deinde se invitum coactumq; ab Ungaris  
 regnum suscepisse: eos qui adversus Petrum con-  
 jurarant partim à se trucidatos, partim in custo-  
 dia, quos traditurus sit Imperatori, servari docet.  
 Postremo annum **TRIBUTUM** pollicetur,  
 se in **CLIENTELAM** Cæsari dicat, si ejus bene-  
 ficio auctoritate & pace rerum Ungaricarum po-  
 tiatur. Etiam hoc in dubium vocat Bonfinius  
 Sed habet & hoc diserte Contractus ad annum  
 47. Andreas qui regnum Petri obtinuit jam  
 crebro legatos supplices miserat, regnum ab Hun-  
 garis coactum se suscepisse confirmans: de Pe-  
 tri sese injuriis excusans: quiq; adversus eum  
 conspiraverant partim à se trucidatos partim  
 Imperatori tradendos denuncians, suamq; Im-  
 peratori **SUBJECTIONEM**, annum censum  
 & devotam **SERVITUTEM**, si regnum se ha-  
 bere permitteret, mandans. Quibus ex causis di-  
 citur expeditio illa. Etiam alia quam multa de An-  
 dreæ hujus cum Henrico Cæsare negotijs ali-  
 ter Contractus, & hunc ut videtur quam ma-  
 xime*

xime secutus Aventinus & alii Germanici scriptores, aliter longe Bonfinius & cæteri quidam Hungaricarum partium narrant. Sed nihil attinet illa huc adducere. Non invenio tamen apud nostros, Andream tributum pendisse, aut fidem Cæsari jurasse, perinde ut Petrus fecerat: multo minus id fatentur Hungarici. Fortassis tamen hoc voluit innuere Contractus, ad annum 1059 scribens: *Andreas Pannoniæ Rex cum prius pacem PACTUMQUE per legatos cum Henrico (loquitur de Henrico IV to) Rege confirmasset, etiam sororem eius minorem filio suo adhuc puero sponsam obtinuit.* Itaque forte nec Andrea rege Ungaria à promisso obsequio resiliit. At non par status fuit Bela Rege: utpote qui Germanica auxilia adversum se Andream (non tamen ipsum Cæsarem ut fabulantur Hungari) astu circumventa fame expugnavit.

Cæterum Bela Rege anno 63 defuncto non nihil ad officium Hungaria rediit. Lambertus Schafnaburgensis ipsa illa ætate ita scripsit: *Bel qui regnum invaserat Ungariorum, obiit. Joas (ita appellat quem alii Geizam vocant: filius)*

filius eius satius putans moderatis opibus in pace  
 perfrui, quam immoderatas ambiendo cala-  
 mitatem atq; excidium parere genti suæ, man-  
 davit regi Henrico, si sibi apud Salomonem fi-  
 lium Andrea regis, natalibus & meritis suis  
 condignus honor haberetur, subditum se ei fide-  
 lemq; futurum, & malle beneficiis cum eo quam  
 armis, fide quam acie dimicare. Eadem Un-  
 garum omnes assidua legatione pollicebantur.  
 Ita rex Henricus Ungariam cum exercitu  
 ingressus, Salomonem in solium Patris restituit,  
 junctâ ei in coniugium sorore sua; ablatiq;  
 omnibus quæ regi scrupulum movere, vel regni  
 statum labefactare poterant, in pace remeavit  
 ad Gallias. Aliter non nihil hæc narrat Aventi-  
 nus. At nec ille nec Schafnaburgensis nos do-  
 cet, quibus conditionibus Stephanus in cli-  
 entelam Cæsaris fuerit receptus. Bonfinius  
 verol. 3. decad 2 longam fingens orationem,  
 qua Hungarorum mores Henricus Cæsar per-  
 strinxerit, inter alia ita locutum illum narrat:  
 Vos pontifices ac satrapæ, hunc ex more create  
 Regem, ac solemnibus ceremoniis sacrosanctum  
 facite. Ego vero quem vos jussertis esse re-  
 gem

292 DE FINIBUS IMP. GERMANICI  
gem, Salomonem, AUGUSTALI AU-  
CTORITATE CONFIRMABO.  
Addit Bonfinius. Imperatoris dicta primum à  
pontificibus & primatibus, deinde ab universa  
multitudine approbata. Ipso itaque Bonfinio  
fatente, Salomon Rex Cæsarea auctoritate  
regno præfuit. Idem pag. 244 scribit, rebel-  
lantes Salomoni Geizam & Ladislaum dixisse:  
Ungaricam gentem à Germanorum servitute  
liberare contendimus. Quæ verba Germaniæ  
auctoritatem, quæ tum erat, itidem indicant.  
Multo maxime vero illa elucet ex querela Sa-  
lomonis jam regno pulsi, qua usus est apud  
Henricum IV Cæsarem: quam hisce verbis  
l. 4 refert Bonfinius. *Eo vehementius, inquit,  
apud Imperatorem, Salomon, in querelas  
exarsit, non tam sibi quam Imperatoris ma-  
jestati injuriam illatam esse, subsiciens quando-  
quidem AD JUS ROMANI IMPERII  
spectare dicebat Ungariam. Ubi cum AU-  
GUSTALI AUCTORITATE regna-  
bat, imperata cuncta præstabantur, statuta ve-  
tigalia solvebantur, & nil erat quod Cæsarea  
ditroni non obtemperaret.* Nunc postquam ipse  
regno,



regno, à quibus minime decuit, ejectus esset, legitima abnegari obsequia referebat, nihilq; Casareo nomine in Ungaria infestius audiri.

Lambertus Schafnaburgensis narrat, Salomonem tunc, magnam partem Regni & sex munitissimas Ungaria civitates, seq; tributarium fore, si regno per Cæsarem restitueretur obtulisse. Hæc mercede, pergit Lambertus, redemptus Casar illico missis circumquaq; nunciis Principes in expeditionem solemnè indictione evocavit. Sed alii temporis angustias, alii rei familiaris inopiam, pleriq; quod opes sue bello solemnè nimium attrite fuissent, item alii aliud excusationis genus obtendentes, omnes pariter militiam detrectabant. Ipse tamen, ne tantum reipublca commodum casu oblatum sua ignavia corrumpetur, gregario tantum ac privato milite contentus, infesto exercitu ingressus est Ungariam, & nonnullas ejus regiones hostiliter peragravit. Subjungit tandem, pestilentia & fame compulsus Regem, nullo insigni facinorè perpetrato Ungaria excessisse. Contigit autem illa Salomonis expulsiò, & hæc Henrici irrita expeditio anno 1074: ut quidem habet

294 DE FINIBUS IMP. GERMANICI  
Schafnaburgensis. Sigebertus tamen ad an-  
num sequentem demum notat : *Hungari*  
*CONTRA IMPERATOREM suum*  
*rebellant, & Regem suum Salomonem sub di-*  
*uturna custodia excruciant.* Utut sit; breve  
fuit hoc novum etiam Vngariæ obsequium:  
ab anno nimirum 1063 ad 74 aut 75, tantum  
spacio undecim circiter annorum exporre-  
ctum. Nec vero pereuntem Imperij gloriam  
Principum illâ socordiâ & civilibus bellis un-  
dique impeditus Henricus Cæsar, potuit quoad  
vixit recuperare.

NON possumus hoc loco silere insignem  
injuriam Hildebrandi sive Gregorij septimi  
Papæ: utpote quem, & Salomone illo Rege  
& post Rege Geiza, id operam malis artibus  
dedisse, ut Hungariam Germanico Imperio  
creptam, sibi & Pontificibus Romanis subij-  
ceret, ipsæmet illius literæ loquantur. In  
hæc verba enim ad Salomonem quidem epi-  
stolam dedit, quæ decimatertia est libri se-  
cundi & à Baronio recitatur ad annum 1000  
num. 20 & annum 1074 n. si *Gregorius ser-*  
*vus servorum Dei Salomoni Regi Ungarorum*  
*salutem*

salutem & Apostolicam benedictionem. Litera  
tua ad nos tarde propter moram nuncii tui, al-  
lata sunt. Quas quidem multo benignius ma-  
nus nostra suscepisset, si tua in causa conditio non  
adeo B. Petrum offendisset. Nam sicut à majori-  
bus patria tua cognoscere potes, regnum Hunga-  
riae sanctae Romanae Ecclesiae proprium est, à Rege  
Stephano olim beato Petro cum omni jure &  
potestate sua oblatum, & devote traditum.  
Propterea Henricus pie memoriae Imperator ad  
honorem S. Petri regnum illud expugnans, victo  
Rege, & facta victoria, ad corpus B. Petri  
lanceam coronamq; trasmisit, & pro gloria  
triumphi sui illuc regni direxit insignia, quo prin-  
cipatum dignitatis ejus attinere cognovit. Qua-  
cum ita sint, tu tamen in ceteris quoq; à regia  
virtute & moribus longe discedens, jus & ho-  
norem S. Petri (quantum ad te) imminuisti &  
alienasti, dum ejus regnum à Rege Teutonicorum  
in beneficium (sicut audivimus) suscepisti.  
Quod si verum est, qualiter gratiam B. Petri,  
aut nostram benevolentiam sperare debeas, tu  
ipse si justitiam vis attendere, non ignoras: vi-  
delicet te non aliter eam habiturum, nec sine

*Apostolica animadversione diu regnaturum, nisi  
 sceptrum regni quod tenes, correcto errore tuo,  
 Apostolica non regia maiestatis beneficium re-  
 cognoscas. Neq; enim nos timore vel amore,  
 aut aliqua personali acceptione ( quantum Deo  
 adiuvante poterimus ) debitum honorem eius,  
 cuius servi sumus, irrequisitum relinquimus.  
 Verum si hac emendare, & vitam tuam ( ut Re-  
 gem decet ) instituere, & Deo miserante ador-  
 nare volueris; procul dubio dilectionem sancta  
 Romana Ecclesia, sicut matris dilectus filius, &  
 nostram in Christo amicitiam plene habere po-  
 teris. Dat. Rome 5 Kal. Novembr. Indict. 13  
 Alibi Gregorius ad eundem Salomonem scri-  
 bit. Noris de hoc regno, quod cum à barbaris Scy-  
 this ac Pannonibus non Christianis fuisset post  
 Constantini tempora occupatum, ereptumque  
 Romano Imperio, cui Ecclesia haeres successit,  
 fuisse à Christianis Regibus Ecclesia Romana,  
 cui debebatur, restitutum. Quod de Hispania  
 luce clarius est, qua & ipsa à barbaris occupa-  
 ta cum esset Ecclesia restituta à Regibus est. Idem  
 Hildebrandus in epistola quadam ad Geizam  
 Regem: Notum vero tibi esse credimus, Re-  
 gnum*

gnium Hungaria & alia nobilissima regna in  
 propria libertatis statu debere esse, & nulli Regi  
 alterius Regni subiici, nisi sancta & universa-  
 li matri Ecclesie Romana: qua subjectos habet  
 non ut servos, sed ut filios. Quod quia consangui-  
 neus tuus (Salomon scil. Rex) à Rege Teuto-  
 nico non à Romano Pontifice usurpative obti-  
 nuit, dominium ejus, ut credimus, divinum  
 iudicium impediuit. In quadam alia ad eum-  
 dem Geizam epistola hæc habentur: Ve-  
 rum ubi correpto dominio nobili B. Petri Apo-  
 stolorum Principis, cuius Regnum esse pruden-  
 tiam tuam non latet, Rex subdidit se Teutonico  
 Regi, & regale nomen obtinuit, Dominus iniuri-  
 am suo illatam principi Petro prævidens, potesta-  
 tem regni sui ad te iudicio transtulit. Et ita con-  
 sanguineus tuus (Rex Salomon sc.) quicquid in ob-  
 tinendo regno juris prius habuit, à se sacrilega u-  
 surpatione privavit. Petrus enim à firma petra di-  
 citur, quæ portas inferni constringit, atq; ad am-  
 plicum rigore deservit & dissipat quicquid obsistit.  
 Hæc & similia alia tunc scripsit Hildebran-  
 dus. Et Geiziam quidem rebellionem contra  
 legitimum Regem ac dominum suum ut &

Impe-

Imperium Germanicum, ejusmodi epistolis fuisse confirmatam, & Imperij jura Hungarorum animis contra pacta jurata exempta, prudens quisque facile intelligit. Eandem rebellionem forte haud sine causa dixeris, statim initio illis epistolis si non motam saltem promotam. Nam prior utique illa ad Salomonem epistola scripta est anno 73 (ut recte notavit Baronius ad annum 1000, non vero 74 ut sui oblitus scribit alibi) qui proxime Geizæ rebellionem antecessit. Quid enim ad motus excitandos esse potuit promptius, quam ubi fuit persuasum populo ab ipso summo Pontifice, Deo invisam & injustam esse beneficiariam illam clientelam qua tum Salomon Rex Cæsari erat devinctus? Quid ad negandum Imperio obsequium efficacius?

Haud difficile tamen videre est, quàm ini- que ist hæc tum Hildebrandus exataverit. Etenim si in omnia accurate inquiras, videas Gregorium nunc hoc nunc illud prætere suum Pontificio in Hungariam juri stabiliendo, & inconstanter admodum: modo scilicet hereditarium jus Ecclesiæ Romanæ in omnia veteris Imperij Ro-  
mani;

mani; modo donationem Stephani & Henrici III Cæsaris confessionem, modo regnorum omnium *αυτοκρατορίας*. Quàm ineptum vero est illud, regnum omne sui arbitrii esse debere & subjectum nulli nisi Romanæ Ecclesiæ? Cui hoc *ἡ δὲ ἰστορία* vel auditum unquam fuit? tantum abest ut cui unquam fuerit persuasum. Hereditarium illud jus porro nititur utique sola Constantini Magni donatione: quam turpiter fictam esse jamdudum innouit, & Baronius ipsemet jam agnovit. A Stephano Rege præterea ejusmodi donationem aliquam factam S. Petro, nusquam alibi legas: ne quidem in sacra Regis illius historia: etsi benedictionem & coronam Regiam Roma sibi impertiri, pro more seculi illius, voluerit. Qui vitam ejus descripsit Gertvitus ita loquitur: *Erat Rex fidelis & integer in omnibus factis suis, Deo toto pectore deditus & addictus: seipsum quoque & regnum suum per votum & oblationem in perpetua virginis Mariæ tutelam assiduis precibus contulit. Cuius sacratissime Virginis honor & gloria tam est celebris apud Hungaros, ut festum assumptionis eius, tacito*

Rr

proprio

proprio nomine, sua lingua, diem *Domina* ap-  
 pellent. Atq; ut Rex piissimus propensio-  
 rem tantæ Virginis defensionem & patrocinium pos-  
 set promereri, in ipsa regia sedis civitate, quam  
*Albam* vocant, in ejusdem perpetuæ Virginis  
 laudem & honorem grandem & insignem atq;  
 inprimis celebrem basilicam condidit, opere  
 sane mirifico calatis chori parietibus, & pav-  
 imento marmore strato. S. Virgini itaque de-  
 votam à Stephano rege Hungariam dixeris  
 forte: Petro Apostolo non item. Et vero in  
 alicujus singularis erga Deiparam cultus me-  
 moriam, ab antiquissimis temporibus non S.  
 Petri sed Virginis imagine signat nummos  
 suos Hungaria, addita hac inscriptione: *Pa-  
 trona Hungaria.* Henticum III Cæsarem  
 Ovone devicto lanceam ejus & cornam:  
 pio affectu Romam misisse non negaverim:  
 at illum judicasse Hungariæ Regnum Papis  
 deberi, hoc profecto omni illi repugnat,  
 quod jam ostendimus de Hungaria à Cæsare  
 isto in provinciam redacta. Commenta hæc  
 sunt hominis, qui hoc solum sibi negocij  
 credebat datum, ut Imperium Germanorum  
 everte-



everteret, sibi autem suisque posteris successoribus dominatum aliquem divinum in omnem mundum compararet: qualia proinde de omnibus pene regnis finxit plurima sine rubore.

Num Geizæ illam de Stephano fabulam persuaserit Hildebrandus, nescio. Bodinus l. 1. de republ. cap. 9 n. 114 ita scribit: *In Actis Vaticanis exstat intercessio Principum Hungariae adversus Pontificis Romani legatum anno MCCCIX, cui cum diceret, Stephanum I Hungariae Regem à Pontifice Romano coronam regiam accepisse, acerrime restiterunt, neq. id Romano Pontifici jus esse denunciarunt.* Sed nostra nihil refert quid Hungari post admiserint, nec ne. Satis est ostendisse, citra Papæ injuriam potuisse & illos in obsequium Imperij venire, & Cæsares nostros Hungaris imperare.

COETERUM post Salomonis illa tempora, non temere observes indicium aliquod superstitis in Hungaros imperii, fractis jam nimium reipubl. nostræ viribus. De Henrico V Cæsare tanquam memorabile narrat Otto l. 7. Chron. cap. 13: *Eo tempore Calomannus Vngarorum rex*

Rr 2.

fra.

fratrem suum Almu de consortio regni suspectum habens, persequitur. Qui profugus ad regem Henricum veniens injuriamq; suam deplorans, auxilium ejus impetrat. Itaq; condita Rex expeditione, Ungaros bello petit, sed castrum quod Posonium dicitur inconsulte occupans, parum proficere potuit, sicq; infecto negotio ad propria rediit. Idem cap. 14 de Lothario Saxone: Ungarorum Rege timore percusso multa & magnifica munera suscepit. De Friderico I ita scribit idem Otto Frisingensis l. 2 de gestis Friderici c. 6. Ibi etiam Princeps, eo quod omnibus in proprii Imperii finibus ad ejus voluntatem compositis, virtutem eam, quam intus gerebat, extra ferre disponderet, Hungaris bellum indicere, ipsosq; ad monarchia apicem reducere volebat. Sed cum assensum super hoc Principum, quibusdam de causis latentibus, habere non posset, ad effectum tunc producere, ea quae volebat mente, non valens, ad opportuniora distulit. Post Fridericum hunc in Hungariam, Imperij quidem Germanici nomini, nihil est vel tentatum.

Vt proinde, quicquid fuit juris idjam dudum

dudum tot seculorum decursu perierit. Quod ipsum non semel etiam ultro professi pridem sunt, idq; in publicis comitiis, Imperii Germanici ordines. Exstat ejusmodi confessio in Constitutionibus Imperii, quæ anno 1566 Augustæ in Comitiis fuerunt promulgatæ. Ubi Maximilianus Cæsar ita loquitur: Über voriges haben uns Churfürsten Fürsten und Stände / In ihrer bedenklichen anzeigen / unter andern auch fürbracht und anlangens gethan. Dieweil sie nun etliche mahl mehr gedachtem unserm geliebten Herren und Vater Kayser Ferdinando hochlöblicher Gedächtnis ihr mitleidentliche Hülffe / zu rettung des Königreichs Hungarn / gutwillig erzeigt / und sich mit ansehnlichen contributionen des gemeinen Pfenning / und anderer Reichshülffen beladen / an Geld und Leuten getreulich zugesezt / auch jehund uns zu allem unterthänigsten Gehorsam / in ein mercklich ansehnlich hohe Reichshülff / abermahls gedachtem Landfürnehmlich zu gutem einlassen / da doch solche Landschaft dem heiligen Reich Teutscher Nation, in nichts nicht verwand / oder zugethan etc. Non negavit hoc Cæsar : tantum censuit, non iniquum videri, ut aliquando Hungaria in signum gratitudinis proprius cum Imperio coeat. in

unum corpus. Daß es nicht unziemlich und unbilllich / daß zu einer Danckbarkeit gemelt Landt zu Hungern / da es durch Göttliche milde Gnade / von dem Feind errettet / in etwas auffnehmen gedeihe und zu Kräfttenkeme / es dem heiligen Reich auch zugewant verbunden und zugethan / auch gegen andern Feinden / wo sichs zutrüge / und als Römlischer Kaysar / Churfürsten / Fürsten und Ständen / behülfflich beyständig sein / auch gleichfals mit in gemeine Reichs contributionen eingezogen werden sollte.

VERUM de brevi illo Hungariæ obsequio forte justo prolixius jam disseruimus. De cultu quo Imperium & CYPRI & ARMENIÆ Reges aliquando sunt prosequuti, quum ille momentaneus fuerit, erimus eo strictiores. Igitur quo tempore expeditionem sacram in Palæstinam instituebat Henricus VI Imperator, quasi in clientelam Occidentalis Imperii se dedidit Rex CYPRI, coronam à Cæsare nostro imponi sibi expectens. Eam rem ita narrat Arnoldus Lybecensis l. 3 cap. 2; *Circa festum B. Aegidii de Massana civitate profecti ad portum Accon in festo B. Mauricii, cum summa tranquillitate & salute integroq; navium numero*

numero applicuerunt. Cancellarius tamen  
 Cæsaris Conradus cum Comite Adolpho aliisque  
 amicis apud Cyprum adlittavit, Regem ejus-  
 dem insula coronaturus diademate a Domino  
 Imperatore transmisso. Sane idem Rex sub di-  
 tione Constantinopolitani Imperatoris prius sub-  
 sistens, ad majorem gloriae suae dignitatem a glo-  
 riosissimo Romanorum Augusto coronari deside-  
 rentissime expetiit. Illuc itaque gloriose veniens  
 gloriosus excipitur, lautissime detinetur, exple-  
 usque instantis negotii rebus, exquisitissimis dita-  
 tus muneribus, omnibusque suis prout cuiusque exi-  
 gebat magnificentia repedatu navibus Accon  
 prospere velificabat.

Eadem expeditione & ARMENIÆ Rex  
 in clientelam Imperij pariratione concessit.  
 Narrat etiam hoc idem Arnoldus cap. 5; idque  
 factum refert, jam increbrescente fama de  
 morte Cæsaris, eoque plerisque jam domum  
 redeuntibus. Remansit, inquit, Dominus  
 Moguntinus & Dominus Verdensis, & qui-  
 dam de nobilioribus cum populo Dei misericor-  
 diam ipsius & consolationem expectantes. Mo-  
 guntinus tamen tunc aberat, in Armenia consti-  
 tutus

tutus pro coronando rege ejusdem terra, ad quod tamen negotium Cancellarius deputatus fuerat, qui, ut dictum est, in Cypro similia perpetraverat. Sed cum esset apud Baruth, visum est Principibus, ut remanente Cancellario Moguntinus vicem eius suppleret, & ipsum Regem diademate imposito ad titulum Romani Imperii conoraret. Ipse enim Rex omnimodis hoc affectans, audita fama virtutis populi Dei, & quia Dominus ad ipsorum introitum omnes inimicos eorum terruisset, & quia gloriose multa loca munita obtinuissent, missis nunciis honoratis cum muneribus non paucis, ipsos Principes devote salutavit, & quanto desiderio ipsorum adventum expectaverit, per scripta simul & verba amplissima intimavit: paratissimum se dicens Romano subdi Imperio, si coronam diu desideratam ab ipsius mereretur suscipere nuncio. Glorietur Ecclesia Romana, que non solum in spiritualibus, sed etiam favente Christo dilatatur in temporalibus, ut etiam reges transmarini hoc titulo affectent insigniri. Viderint tamen illi, qui hac dignitate neglecta, plus diminutionem quam Romani orbis attendunt dilatationem. Moguntinus

tinus igitur, ut diximus, gloriose expleto hoc negotio, ipsum regem Armenia & Principem Antiochie, ad pacis concordiam reformavit, quorum dissensione non modicum Ecclesia Dei in partibus illis turbata fuerat.

Hæc ita tunc gesta. Num & post repetita per occasionem, aut alia obsequii edita sint indicia, ignoro. Nec fortassis refert, scire illa aut ignorare.

## CAPUT XIIX.

*Poloniam ab Ottonis Magni a 20 ad Friderici II tempora, pene semper, & subjectam & tributariam fuisse Imperio Germanico.*

**G**entem Polonorum, quorum erga Imperium diuturnam satis reverentiam nunc dicturi sumus, jam illo suo nomine cognitam, videor mihi observare primo omnium apud Jornandem l. de reb. Gothicis c. 4. Vbi ille scribit, Gothos trajecto Vistula amne ex Germania in Scythiæ terras pervenisse. *qua lingua eorum Ojùm vocabantur*, & illico ad gentem SPALORUM profectos, conferto prælio

lio victoriam adeptos, ad extremam Scythiæ partem quæ Pontico mari vicina est, prope-  
 rasse. Habitaverant scilicet, hæctenus Gothi lit-  
 tora maris Balthici, inter Oderam fere &  
 Vistulam. Circa Thorunium igitur præter pro-  
 pter trajecto Vistula pervenere in Masoviam:  
 quæ omnis terra frequentia admodum no-  
 mina in Oju aut Ou terminantia habet.  
 Inde Poli aut Spali Gothis occurrerunt. Prout  
 hodieq; ex parte occurrunt. Quibus emensis  
 ad Ponticum mare jam facilius descenditur.

CÆTERVM huic conjecturæ meæ pro se  
 quisque addat sive demat fidem. Instituti  
 nostri est, duntaxat videre, quid in gentem il-  
 lam juris Imperium aut habuerit olim aut ha-  
 beat hodieque. Qua in re multum profecto  
 intererit nostra an Polonica monumenta se-  
 quaris: usq; adeo à se invicem dissident. Nostri  
 tamen, iis præsertim quæ rei gestæ ævo sunt  
 scripta, ab hominibus piis & fidei alias haud  
 suspectæ, nisi vehementer fallor, præ Poloni-  
 cis fidendum potius. Vtpote quum Polonica  
 omnia recentia admodum sint, seu Poloni  
 ipsi fatentur, & excusso jam Germaniæ obse-  
 quio



quo scripta, cum puderet vel memoriam pristini status superesse: nostra ex adverso, præterquam quod antiquitate veneranda sunt, aliorum quoque testimoniis corroborentur.

Prima cum Polonis bella Ottonis Magni Cæsaris auspiciis memorantur gesta. Quo tempore sola Silesia Polonia major minorque & Masovia fortassis rempublicam gentis constituerunt, præerat certe rector Misico. Dithmarus, quem Mersburgensem constat Episcopum nobili genere natum & insigni probitate fuisse Henrico II Cæsare, ita loquitur l. 2. pag. 28: *Gero orientalium Marchio, Lusitzi & Selpali, MISICONEM quoque cum sibi subiectis IMPERIALI SUBDIDIT DITIONI.* Misiconem hunc Micezislai nomine etiam Polonorum annales celebrant, reliqua pene omnia cum nostris consentientes, nisi quod hanc gentis suæ subjectionem dissimulent. At tributarium illum fuisse, diserte idem prodit Dithmarus pag. 22: *Vdo Marchio Misiconem IMPERATORI FIDELIEM, tributumque usque Vurta fluvium solventem, exercitu petivit collecto.*

310 De FINIBUS IMP. GERMANICI  
*collecto.* Hæc nisi fallor ita accipienda sunt: tri-  
butariam tum fuisse omnem Misiconis regi-  
onem ad Wartam usque à Bohemiæ & Lu-  
satiæ finibus. Idem Dithmarus l. 4 testatur,  
Ottone II mortuo, cum Henricus Bavarus  
Imperium ambiret, advolasse inter alios &  
Misiconem. *Huc Miseco, & Mistui Obo-*  
*tritus, & Bolislaus Bohemus, Duces cum ca-*  
*teris ineffabilibus confluebant, auxilium sibi de-*  
*inceps ut REGI & DOMINO cum jura-*  
*mentis affirmantes.* Ipsomet rerum potiente  
Ottone III, huic sese Misico dedit. Dithmarus  
lib. cit. pag. 36: *In diebus illis Miseco semetipsum*  
*Regi dedit, & cum muneribus aliis camelum præ-*  
*sensavit, & duas expeditiones cum eo fecit.* Hoc  
est illud quod Lambertus notat ad annum 886:  
*Otto rex puer Misichonem, cum muni-*  
*eribus obvium suscepit.* Quam reverenter idem  
Misico ipsos Germanicos Marchiones habu-  
erit, liquet ex hisce verbis ejusdem Dithmari ex  
l. 5. pag. 54: *Vivente egregio Udone Marchi-*  
*one, pater istius Bolislai Miseco, domum in-*  
*qua eum esse sciebat, intrare, vel eo assurgente*  
*numquam præsumpsit sedere.* Hic est ille,  
quem

quem Witikindus amicum & fidelem Ottonis Magni Cæsaris laudat : defunctus *anno 992 regni tertii Ottonis octavo*, ut quidem diserte refert Dithmarus l. 4 pag. 46; ubi multa alia de illo narrat. Polonorum annales mortem ejus referunt in 999 annum.

Non in alias leges initio quidem patri successit haud dubie Bolislaus ; quem Poloni Chrobri cognominant. Cæsarem in Poloniam quod tum erat jus, loquitur, institutus ab Ottone III ( qui anno 999 religionis ergo sepulchrum S. Adalberti martyris miraculis clarum visitaturus, in Poloniam ad Bolislaum profectus erat ) Archiepiscopatus Gnesnensis. *Fecit, inquit Dithmarus l. 4 pag. 43, ibi Archiepiscopatum, committens eundem predicti martyris fratri Kadimo, eidemq; subjiciens Reinbernum sanctæ Cholbergensis Ecclesie Episcopum, Popponem Cracuensem, Joannem Wiotislaensem, ( forte Wratislaensem ) Ungero Posnaniense excepto, factoque ibi altari sanctas in eo honorifice condidit reliquias.* Non habent hoc Polonici scriptores: sine dubio autem meretur fidem Dithmarus auctor pene *divóπης*, eoque & Baronius

312. DE FINIBUS IMP. GERMANICI  
ronius ad annum 999 n. 12 Dithmari fidem se-  
qui non dubitavit. Poloni vulgo sic satis con-  
stanter referunt ab Ottone Cæsare tunc corona  
donatum esse & in ordinem Regium cooptatum  
Bolislaum. Hinc jam ævo barbaro Gnesnæ  
Bolislai sepulchro inter alia hoc inscriptum  
est:

*Ob famam bonam tibi contulit Otto coronam.*  
Argueret etiam hoc Cæsaream auctoritatem,  
si esset verum, & deberet Polonia beneficio  
huic Germanici Cæsaris gratias immortales.  
At vero nusquam Dithmaro Bolislaus Regio  
nomine nuncupatur sed Dux; & tamen per-  
secutus ille est Bolislai omnia sic satis accu-  
rate, ad annum usque 1018. Paulo post etiam  
audiemus Wipponem narrantem, a Bolislao  
assumptum Regium nomen defuncto demum  
jam Henrico III. Baronius ad annum usq; 1018  
ex historia Romualdi à Petro Damiano de-  
scripta præclare notat, Bolislaum à Romano  
Pontifice coronam sibi petiisse, sed fuisse im-  
peditum ab Henrico Cæsare: recte hinc col-  
ligens, illum ab Ottone III Bolislaum re-  
gium titulum non obtinuisse. Cartuitus  
Hunga.

Hungarus in vita S. Srephani narrat, anno regni quarto Stephanum Roma. coronam adeptum, quæ Misicæ Polono erat destinata. Incidit autem ille quartus annus in Christi millesimum: adeoque si vera esset Cartuiti narratio, vel hinc appareret fabulæ illius de donato ab Ottone Regio titulo vanitas. Sed etiam illam fabulosam esse, patet ex eo, quod Misicam Polonum in tempora, illa referat: qui dudum erat mortuus, rerum jam potiente per annos complures Bolislao filio. Sed non est quare ejusmodi testimonia in clara veritatis luce advocemus in medium.

NON possumus hoc loco non, levi saltim brachio, tangere & Baronium & Bzovium, quanquam hic scuticam pene meruerit. Baronius ad annum 999, cum narrasset ex Dithmaro iter illud Polonicum, & Archiepiscopatus Gnesnensis ab Ottone instituti primordia; subjungit de suo n. 13, hæc verba: *Porro cum audis tot sacra munia exhibita ab Imperatore, scias male ipsi ut auctori esse tributa, quæ Legatus à latere cum eo missus Archidiaconus Cardinalis S. R. E. sua auctoritate facienda curavit.*

At

At Legatum aliquem à latere Cæsarem in Poloniam usque comitatum esse incertum est: & Episcopatus Archiepiscopatusque illo ævo à Regibus esse institutos, tantum Papali confirmatione requisita, docent utique mulræ ad nos usque translatae Cæsarum Regumque illius argumenti tabulæ. Bzovius ad eundem annum, licet epitomatores se Baronii profiteatur, in majus figmenta auxit & corrupit. *Otto, inquit n. 3, presente, adeoque consentiente Sedis Apostolica legato S. R. E. Archidiacono Cardinali, tum Regium diadema Bolislao dedit, tum Archiepiscopalem dignitatem Gnesnensi Ecclesia concessam non irritavit. Namque eo tempore Gnesnensis Ecclesia metropolitana dignitate ornata non fuit.* Nova hæc sunt unus Bzovii commenta, Adfuisse aliquem à latere legatum & circa Archiepiscopem Gnesnensem aliquid actum, à Baronio acceperat; de suo datum Bolislao diadema ab Ottone, consensum Legati accessisse, ad Regii diadematis collationem, item non irritam reddidisse Ottonem Archiepiscopalem dignitatem. Hæc inquam sunt mere Bzoviana. Illa vero, Ecclesiam Gnesnen-

Gnesnensem fuisse tunc ornatam metropoli-  
tana dignitate, & dignitatem tamen illam jam  
anno 65 cæpisse, quod idem prodit, vel ut hic  
loquitur fuisse jam Ecclesiæ Gnesnensi  
*commissam*, sibi mutuo aduersantur & falsimo-  
niæ sese coarguunt. Si admittas tamen vel  
illud quod ait Bzovius, Ottonem dignitatem  
Archiepiscopalem non removisse, argumento  
id fuerit Ottonianæ per Poloniam auctorida-  
tis: quippe quum in beneficio numerandum fu-  
erit, quod Otto dignitatem istam non loco mo-  
verit.

Stephanus Neugebaverus l. 3. Histor. Polo-  
nicæ cap. 53 de eodem negotio scribit: *Vo-  
lens Otto tam splendido hospiti & amico parem  
referre gratiam, Regem eum appellat sociumq;  
& amicum Romani Imperii, à tributo & omni  
jurisdictione Imperatorum immunem: ac dia-  
dema suum, Gaudentio Archiepiscopo solemnes  
ceremonias per agente, ipse imponit, eumq; ho-  
norem sempiternum ipsi ac posteris ejus in Polo-  
nia regnaturis esse jubet.* Etiam heic autem multa  
deprehendere est nunquam à quoquam an-  
te hac prodita. Ejusmodi sunt: Ottonem

T t

volu-

voluisse parem Bolislao referre gratiam : Bolislaum socium & amicum Imperii appellatum : Bolislaum immunem ab omni jurisdictione Imperatorum pronunciatum : diadema Ottonis Bolislao impositum. Immunem à tributis redditum Bolislaum Ottonis beneficio, haud negaverim. Multum ipsi indultum apparet ex Dithmaro, qui ubi dixisset, quam humili cultu Misico Udonem Marchionem fuerit prosequutus, addit : *Dominus indulgeat Imperatori, quod tributarium faciens dominum, ad hoc usq; elevarit, ut oblita sui genitoris regula semper sibi prepositis auderet in subjectione paulatim detrahere, vilis si moq; pecunie transeuntis inescato hamo, in servitutis libertatisq; detrimentum, capere.* De Ottone enim Imperatore videtur loqui non de Henrico. Utut sit, si immunis à tributo & omni Cæsarea jurisdictione factus est. Bolislaus Ottonis beneficio, obnoxius ille fuerit ante necessum est. Adeoque ipsomet Neugebaueri indicio intelligimus subjectum antehac fuisse Bolislaum Cæsari : quod tamen ipse



ipse cum Polonicis scriptoribus aliis unice studet  
dissimulare.

Henrico II Cælare idem ille Bolislaus  
hostilia etiam ausus vicinam Germaniam &  
Bohemiam latronijs atque excursionibus  
infectam sepe habuit : subinde tamen domi-  
tus rediit ad officium. Quæ omnia quemad-  
modum gesta sint ad annum quidem usque  
1018 nemo diligentius & majore fide perse-  
quutus est , ac Dithmarus Episcopus sancti-  
monia vitæ clarus , qui rebus istis frequenter  
ipse interfuit. Legi cum primis meretur liber  
sextus, quo narrat expeditionem sanctissimi  
Cæsaris adversus Bolislaum , qua ille anno  
1005, & Bohemia omni quam occupaverat  
pulsus, & Posnaniam usque fugatus, aliorum  
intercessione gratiam Cæsaris denique impe-  
travit, pace iterum constituta. Ibidem legas,  
cum denuo contra fidem datam rebella-  
ret Bolislaus, & Cæsar rursus in illum ductu-  
rus esset, metu coactum pacem rursus petiisse  
Cæsarique reconciliatum. *Pentecostem*, scri-  
bit Dithmarus pag. 11 *nobiscum*, i. c. Merse-  
butgi egit Rex Henricus. *In cuius vigilia*  
*Tt 2* *Bolizlaus*

*Bolizlaus cum securitate obsidum apud se relictorum, venit & optime suscipitur. In die sancto manibus applicatis MILES efficitur, & post sacramenta Regi ad Ecclesiam ornato incedenti ARMIGER habetur. In secunda feria Regem magnis muneribus à se & contentali sua oblatis placavit. Deindeq; Regia largitate his meliora ac multo maiora, cum BENEFICIO diu desiderato suscipit, & obsides suos cum honore & letitia remisit. Ex quibus verbis liquet, Bolislaum Henrico Regi sacramento militari & feudali tunc obstrictum. Hujus sacramenti vi debuisse Bolislaum comitari Cæsarem in Italiam euntem, liquet ex querela Dithmari, quam non multo post addit. Ad supplementum hujus itineris Bolizlaus antea invitatus nil aspiravit, & in bene promissis, more solito mendax apparuit.*

Victoriæ illius de Bolislao reportatæ meminit ad annum 1004 Marianus Scotus: *Henricus Rex Italiam, Bohemiam & Bolislaum Ducem eum omni Slavorum gente subiugavit. Totidem verbis usus est Hermannus Contractus, quorum uterque non multo post floruit.* Otto-  
nem

nem Frisingensem, Albertum Stadensem aliof-  
 que in testimonium vocare nunc nolo cum  
 unus Ditmahrus omni sit exceptione major.  
 Et tamen ea est impudentia Bzovius Polonus,  
 ut Dithmarum dicat hæc somniasse. Ipse ex  
 adverso affirmat, Bolislaum semper & ubique  
 de Bohemis & Saxonibus trophæa retulisse; &  
 mira mox narrat de omni Venedorum terra,  
 usque ad Albim & Salam fluvios & Cimbri-  
 cam Chersonesum, per Bolislaum in ditionem  
 redacta, Magdeburgo item & Hildeshemo  
 urbibus incensis. Verum hanc hominis in-  
 solentiam egregie excepit Hervvartus in Man-  
 tissa Lud. IV descensi pag. 130. Et sane non dissimu-  
 lat quidem etiam Dithmarus hostiles Boleslai  
 excursions: plane alia vero tradit & de ampli-  
 tudine & de eventu conatum. Ut proinde  
 ad annum usque 1018 nihil tale contigerit.  
 qualia Bzovius narrat post Cromerum aut  
 Dlugossum (cujus historia quod pleraque  
*sine respectu scripserit, in lucem prodire haud  
 permittitur,* teste ipso Simone Starovolicio l.  
 de script Pol.) civesq; alios suos, homines nuperos.  
 Nihil etiam tale in omnibus aliis Saxoniae monu-

mentis reperias, quæ damna ab hoste aliquo accepta summa cura referunt. Fabulæ itaque sunt, non minus atque illæ de Lechi amplissimis victoriis, quæ itidem sine ullo idoneo teste contra fidem Francicorum annalium jactantur.

Haud negaverim tamen Henrico etiam vivo conatum tandem esse Bolislaum, excussa omni Imperii reverentia, Regium nomen coronamque Roma petere: quod jam tum ex vita Romualdi attulimus. Ast Conrado demum Cæsare Regem se dixisse, discrete testatur Wippo hisce verbis: *Eodem anno quem supra notavimus (i. e. anno primo Conradi qui est Christi 1025) Bolislaus Sclavigena Dux Polonorum insignia regalia & Regium nomen in iniuriam Regis Chuonradi sibi aptavit. cuius temeritatem cita mors exinavit. Pergit Wippo: Filiis autem eius Misico similiter rebellis fratrem suum Ottonem, quoniam Regis partibus favebat, Rubhiam (Russiam forte) pepulit. Qualiter vero eiusdem Misiconis protervitatem, & cuiusdam Valrici Ducis Bœmiæ perfidiam, Rex Chuonradus postea compe-*  
*erit,*

erit, in loco suo dicam. Albertus Stadenſis ad annum 1027 de Miſicone hoc Bolislai filio ita ſcribit: *Conradus Imperator Polonos & Regem eorum Miſingum cum virtute perdomuit, & auxiliatores eorum Bohemos cateroſq; Sclavorum populos ſub tributum miſit. Ita ille. Wippo autem Bohemicum Sclavicumque illud bellum in annum demum 1034, Polonicum in 1032 rejicit: cui potius ut ſcriptori συγχεῖται credendum, cum præſertim Albertus ille in obſervandis geſtarum rerum annis per ſit negligens.* Sed de Polonico bello ita loquitur ipſemet Wippo: *Bolislauſ Dux Polonorum mortuus reliquit duos filios Miſiconem & Ottonem. Miſico dum fratrem ſuum Ottonem perſequeretur, expulerat eum in Ruſſiam. Dum ibi aliquantum tempus miſerabiliter viveret, cepit rogare gratiam Imperatoris Cunradi, ut ipſo imperante & iuvante reſtitueretur patriæ. Quod dum Imperator facere vellet, decrevit ut ipſe cum copiis ex una parte, ex altera frater Otto Miſiconem aggredierentur. Hunc impetum Miſico ferre non valens fugit in Boëmiam ad Vdalricum Ducem*

cem, cui tunc temporis Imperator iratus fuerat. Sed ille ut sic placaret Imperatorem, voluit sibi reddere Misiconem. Quod factum sceleratum venit Caesar, dicens, se nolle inimicum emere ab inimico. Otto restitutus patriæ & Dux factus à Cesare, dum post aliquod tempus minus caute ageret, à quodam familiari suo clam interfectus est. Tum Misico omnibus modis querebat gratiam Imperatricis Gisala & reliquorum Principum, ut mereretur redire ad gratiam Imperatoris. Caesar misericordia motus dedit sibi veniam, & divisa provincia Polonorum in tres partes, Misiconem fecit Tetrarcham: reliquas duas duobus aliis commendavit. Sic imminuta potestate minor facta est temeritas. Defuncto Misicone Casimirus filius eius **FIDELITER SERVIEBAT** usq; huc Imperatoribus nostris.

Haëtenus Wippo. Eandem plane rem ita narrat Otto Frisingensis I, 9 chronici c. 28. In primordio regni eius (scil. Conradi II) Boleslaus Polonorum Dux, qui ab antecessore suo Henrico pariter subiectus fuerat, ab Regno (Teutonico) dividi, Rexq; per se vocari molitur.

tur. Qui non multo post moriens, Misiconem  
filium suum successorem reliquit. Is dum pa-  
trem imitari cogitaret, insuperq; fratrem suum  
Ottonem expulisset, rex Conradus tam profu-  
gum in patriam reducturus, quam de contumace  
Misicone regni Germanici injuriam vindica-  
turus, in Poloniam procinctum movet. Misico  
regis impetum ferre non valens, fractu quibus-  
dam **REGNI INSIGNIBVS** ad Ulricum  
Bohemensem Ducem, qui & ipse tum temporis  
hostis regni erat, fugit. Paulo post: Otto vero  
libere Ducatu potitus, diadema quod pater ejus  
ad ignominiam regni Germanici illicite facerat,  
Regi Conrado misit, seque per omnia ditioni ejus  
subjecit. Ipse vero Otto non multo post fraude  
armigeri sui vita privatus est. At Misico ab  
rege exul factus, ad ipsum supplex venit, in-  
terventuq; regina, divisa in tres partes provin-  
cia, tertiam partem ipse obtinuit. Exin pro vin-  
cia illa Polonia Regibus nostris sub tributo ser-  
vire cognoscitur. Hæc omnia Otto: desum-  
pta fortassis ex historia vitæ Conradi, ab Her-  
manno Contracto conscripta, quam alibi Otto  
audat.

Uu

Nihil

Nihil horum habent Polonici annales, si excipias Bolislai & Mifeconis nomina, hujusque infeliciorem statum: Sed non est quod eos moremur. Ipsi tamen etiam nar- rant, Ducatum Masoviæ per hæc tempora cæ- pisse, primo Duce Maslao expocillatore Mi- ecizlai sive Mifeconis. & Regiam coronam in Germaniam delatam per Rixam Mifeconis viduam. Quæ omnia quemadmodum sint gesta, rectius ex nostris discimus. Cæpit scilicet Ducatus Masoviæ ex instituto Cælaris Con- radi; estque ille unus illorum trium in quos divisa tum fuit vetus Poloniæ provincia, lon- ga seculorum serie exinde à Poloniæ <sup>reipublica</sup> reipublica separatus. De subjecti- one & tributo quod ea tempestate pendit Po- lonia Imperio, exstat memoria in Ungaro- rum etiam historiis apud Bonfinium l. 2. decad. 2. *Henricus tertius, inquit ille, gravi- ter indignatus, quod Poloniam injussu suo deva- starit, Udalrico Bohemo filioq; bellum indixit. Quia Romano Imperio Ducatus ille subjectus erat, quotannisq; boves centum & viginti, item argenti pustulati quinquaginta pondo pen- dere*



*dere cogebatur.* Semio autem Bonfinio est de bello quod Bohemo intulit Henricus tertius anno 1041. Quo anno Casimirum sexcentorum equitum præsidio ab Henrico munitum, simulque facta spe Bohemum in officium redigendi & ab illius injuria Poloniam vindicandi, rempublicam monasterio relicto aggressum iterum, ipsimet Poloni referunt. Ut proinde accedente hoc Vngarorum testimonio, de subjectione & tributo Poloniæ minus fas sit amplius dubitare.

Is rerum status mansit ad annum usque 1077. Nam Casimirum quidem servasse fidem Henrico etiam III Cæsari, jam audivimus affirmantem V Vipponem. De eodem Contractus loquitur ad annum 1051: *Imperator contra Gazmarum Ducem Polonorum rebellionem molientem expeditionem parat, gravi que infirmitate detentus pacem PACTUMQVE eum petentem suscipiens discessit.* Huic autem anno demum 1059 successit filius Bolislaus, quem sui Audacem cognominant. Ad annum 1071 Lambertus Schafnaburgensis, qui tunc temporis floruit, de hoc Polono ejusque ad-

versario Bohemo hæc notavit : *Inter Ducem Polonorum & Ducem Behemorum infestissima dissensio erat. Propter quod eos Rex Henricus quartus in civitatem Misina autumnali tempore evocatos, durius corripuit, & ut deinceps suis singuli terminis contenti essent, nec se vicissim temerariis incursionibus lacefferent, sub obtentu Regia majestatis pracepit; alioquin se hostem & vindicem experturus foret, qui prior alteri arma tulisset.* Subjectum itaque fuisse tunc Polonum non minus atque Bohemum, clarissimum est. Anno 1075 non nisi Ducis titulo fuisse insignem adhuc Bolislaum, docet epistola Gregorii VII Papæ, quæ est libri tertii septuagesima tertia. Hactenus itaque per Poloniam integra superfuerunt Imperii Germanici jura.

Biennio demum post Audax ille Bolislaus altiora spirare cæpit. Ea de re cum primis notatu digna sunt Lamberti Schaffnaburgensis, scriptoris fane supra seculi captum prudentis, verba. *Anno 1077 Dux, inquit, Polonorum qui permultos jam annos Regibus Teutonicis tributarius fuerat, cujusq; regnum jam olim*

Teu-



*habere desit? Jam vero quindecim episcopos Poloniam non modo tunc sed unquam omnino habuisse, ipsa rei evidentia falsum esse convincitur.* Verum fabulosa esse illa ab Ottone III usque repetita tituli Regii Polonici exordia, jam probavimus. Et cum in exprimendo Episcoporum numero *zifris* quas appellant fuerit usus Lamberti codex, facile error surrepere potuit citra Lamberti culpam.

Hanc Bolislai autem furtim raptam dignitatem Regiam brevi interiisse, ipsimet Poloni commemorant. Cum sceleribus, libidinibus, crudelitate, tandem & cæde immani Stanislai Cracoviensis Episcopi, omnium sibi odium conciliaffet, ferunt ipsi, regno pulsum anno 1039 in Vngariam aufugisse, ibique furore correptum mortem sibi ipsi concivisse; fratre Uladislao Hermanno jam tum usque à Bolislai fuga rerum potiente, & à regio nomine cum illo tum omnibus ad Præmislaum abstinentibus. Tradunt verò simul, à Gregorio septimo Papa toti Poloniæ, ob cædem Stanislai, sacris interdictum, Bolislao regnum abrogatum, & edictum pariter,

ne quem Episcopi Regem injussu suo ungerent  
& coronarent, Nec ego negaverim, Gregorii  
illius facta intuens alia, tale quid contigisse:  
dubito tamen, propterea quod nec in anti-  
quis ævi illius monumentis historicis nec in  
Gregorii epistolis vestigium ejus reperiatur.  
Religione illâ ductos Polonos Regium nomen  
haud usurpasse, verosimile non est: utpote  
quum Uladislaus ille statim initio regiminis  
relaxationem interdicti impetraverit à Papa,  
& tamen Rex audire noluerit. Causa verior  
est, quod & Uladislaus ille & successores ejus  
ad Præmislauum usque reverenter coluerint Im-  
perii vim, & injussu Cæsarum haud fuerint  
ausi nomen illud ostentare. Et verò Ula-  
dislaus ille duxit in uxorem Sophiam Henrici  
IV Cæsaris sororem viduam Stephani Hun-  
garici, eoque in gratia illius fuit. In ejus  
filium Bolislaum tertium movit tamen Henri-  
cus Vanno 1109. Abbas Stadenfis de bello ist-  
hoc ita scribit: *Henricus Rex Poloniam cum  
exercitu ingreditur, eaq; vastata revertitur. Vr-  
spergensis in hunc modum: Post hæc ad Polo-  
nicam gentem longinquam movit exercitum,*  
*mul*

multoq; ibi diutino desudans labore, diu negatum à terra illa tributi exegit debitum. Cromerus aliique illum secuti Poloni latius bellum hoc describunt, haud ausi negare exactum ab Henrico tributum; at æquis conditionibus pacem ajunt compositam, cum sequente anno Bolislaus ad Cæsarem Bambergam proficisceretur. Sed per illas novas etiam pacis leges non remissum esse tributum, imò bona illud fide à Bolislauo expensum usq; ad annum seculi illius viceesimum secundum, haud difficile collectu est ex iis, quæ de Lothario Cæsare narrat Otto Frisingensis l. 7 Chronici sui cap. 19, de reditu Lotharii ex Italia, qui contigit anno 1134, verba faciens. *Inde, inquit in Saxoniam divertens Polonorum Ducem cum multis muneribus obviam habuit; quem tamen non ante dignatus est suo conspectui presentari, quàm tributum duodecim annorum, hoc est, quingentas libras ad singulos annos persolveret, & de Pomeranis & Rugis (quos sc. ille occupaverat) homagium sibi faceret, subjectionemq; perpetuam sacramento sibi firmaret.*

Conrado Tertio Cæsare quid acciderit circa Polonos

ol nos in nostris monumentis haud clare legas. At Poloni fatentur illum anno circiter 50 ab Valdislao, uno Poloniae Ducum, permotum, Bolislao Crispo qui fratrem expulerat, bellum minitatum; desuisse tamen, excusatione Bolislai in castris cum amplissimis muneribus accepta. Quod argumentum est nondum exutae tunc reverentiae Imperio debitae. Imo & tributum non fuisse tunc negatum, indicat utique Otto Frisingensis in Chronici sui l. 6 c. 28 scribens, Poloniam Regibus nostris sub tributo servire; velut jam audivimus. Est autem Chronicon illud conscriptum anno 1146 ut ipse testatur l. 7. c. 36. Videtur tamen sensum Bolislaus ille Crispus ad libertatem aspirasse, eoque imperata justo minuseum fecisse: quantum colligere est ex ijs quae de causis belli Polonici a Friderico Caesare anno 1157 gesti, differit Radevicus l. 1 c. 2. Vbi post multa sub finem capitis ita loquitur. *Accessit ad hac, quod vel debitum fidelitatis sacramentum offerre, vel solitum singulis annis tributum quingentarum marcarum publico arario inferre iam de-*

sueverant. Talibusq; indiciis aperte se ab Imperio desciuisse, & non clanculariam sed evidentem rebellionem moliri protestabantur. Guntherus l. 6 scribit:

*Nec jurare fidem, nec prisco more tributa*

*Annua, quingentas curabant pendere marcas.* <sup>5</sup>

Historiam belli persequitur Radevicus cap. 2

& illum secutus Guntherus: sed non est hujus loci illam referre. De illius autem belli

eventu quæ idem Radevicus disserit c. 4 & 5 <sup>10</sup>

digna sunt quæ huc afferantur. Boleslaus, inquit,

*Dux rebus suis ultimum fatum cernens*

*imminere, cum totam terram populumq; suum*

*periclitari & prope esse ad interitum cerneret,*

*Barones & Principes nostros tum per nuncios,* <sup>15</sup>

*tum in propria persona conveniens, multis precibus,*

*multis lachrymis, multis quoq; promissionibus,*

*ut sub JVGVM ROMANÆ DMIONIS,*

*& in gratiam Principis recipi mereretur,*

*postulavit. Salutare secutus consilium, ante* <sup>20</sup>

*intolerabilem calamitatem rebellionis mutare*

*sententiam: debere autem dedignari dominos*

*humiliores, non eum cujus in potestate sit Ro-*

*manum Imperium. Imperator jamdudum*

*edoctus*



edoctus hanc nobilitatem, *Parcere prostratis &*  
*debellare superbos, praxaturam, subitam, & à*  
*Deo datam nolens cruentare victoriam, Du-*  
*cem ad deditonem recipiendum decrevit. Itaq;*  
 5 *in predicto territorio Episcopatus Posnaniensis*  
*circa partes Crisgouva, prafatus Dux pedibus*  
*Imperatoris provolutus, interventu Principum*  
*hoc tenore in gratiam receptus est. Primo ju-*  
*ravit pro se & pro omnibus Polonis, quod frater*  
 10 *suus exul ad ignominiam Romani Imperii non*  
*fuerit expulsus. Deinde pollicitus est dare duo*  
*millia marcarum Imperatori & Principibus mil-*  
*le Imperatrici 20 marcas auri, Curie 200 marcas*  
*argenti, ob eam negligentiam quod ad Curiam,*  
 15 *non venerat, nec de terra DEBITAM FECE-*  
*RAT FIDELITATEM. Juravit quoq; Itali-*  
*cam expeditionem. Deinde juravit, ut in proxi-*  
*ma Nativitate Domini ad Curiam Magdebur-*  
*gi celebrandam venire deberet, juxta iudicium*  
 20 *& sententiam Bohemorum & Polonorum super*  
*querimonia fratris sui expulsi plenarie resposu-*  
*rus. Sicq; iurata Principi FIDELITATE, sicut*  
*mos est, & de supradietis omnibus fideliter adim-*  
*plendis acceptis obsidibus, Gazimiro videlicet,*

fratre Ducis & aliis nobilibus, gloriosam adeptus  
 victoriam, feliciter Deo duce Augustus rever-  
 titur. Ipse tamen Dux dolis plenus & acerbam  
 dominationis cupidinem mente ferens, jam suis  
 promissionibus moliebatur insidias. Nam nec ad  
 Curiam venit, nec sufficientes pro se procurato-  
 res misit, Italicam quoque expeditionem violato  
 sacramento mentitus est. Hæc omnia Rade-  
 vicus. Ex quibus quænam fuerint jura Ger-  
 manicæ ista quidem ætate in Polonos, pulcherrime  
 est perspicere.

Fatetur Cromerus, tributum postulasse  
 Fridericum & negatum à Bolislao; addit vero  
 inepte, tributum fortè pollicitum fuisse exu-  
 lem Vladislaum, qui per Cæsarem volebat re-  
 stitui. Adeo invisum homini est, tributum ex  
 more & lege Imperio pendere Poloniam  
 solitam. Non memorant Annales nostri Bo-  
 lislauum plene ad officium rediisse. Ego ta-  
 men non dubito: quum videam à Friderico  
 Cæsare omni secuto tempore nihil in Polo-  
 niam tentatum esse; quem tamen injuriarum  
 impatientissimum, studiosissimumque jurium  
 Imperii, simul vero & à viribus instructissi-  
 mum

mum fuisse, fatis constat. Sed & tradunt Poloni, pacem tandem hisce legibus constitutam: ut Vladislaus exul ad Silesiæ modò dominatum restituatur, cæteris se abstineat: & ut Bolislaus una cum fratribus trecentos hastatos equites Friderico Imperatori in auxilium ad Mediolanense sive Langobardicum bellum mittat. Et quo firmior pax esset, Adeleidam Imperatoris sororis filiam à Miecizlao ductam: Cæsarem autem in bello Italico adjutum fuisse Polonorum auxilijs. Quæ si vera sunt, nova utique conventio quædam facta, & Bolislaus in gratiam receptus est. Idem Poloni memorant, anno 1163 instante apud Bolislaum Friderico Imperatore, cum is ab Italica expeditione capto Medolano revertisset, Vladislai jam defuncti filios ab exilio revocatos, Silesiam omnem quæ continentibus sylvis à reliqua Polonia dirimitur, usque ad Bohemorum Misnensiumque fines in ditionem suam accepisse, & hac adeo origine Silesiæ Duces cœpisse. Id quod magnum iterum est argumentum, salvæ in Polonos Cæsareæ auctoritatis. Per eadem tempora consueto more

soluta etiam tributa esse, significat Helmoldus, quem circa annum 1170 sua scripsisse, ex ultimis duobus capitibus l. 2 satis perspicuum est. Is enim de Polonia ita loquitur cap. 1 l. 1 *Polonia magna Slavorum provincia, cuius terminum in Ruzia regnum dicunt connecti: Et dividitur in octo Episcopatus. Quondam habuit Regem, nunc autem DUCIBUS* (divisa scilicet in partes) *gubernatur. SERVIT & ipsa, sicut Boëmia, SUB TRIBUTO Imperatoriae Majestati.* Totidem pene verbis hoc habet Auctor chr. Slavor. Lindenbrogianus cap. 2. Feruntur tamen Friderici I Cæsaris tabulæ Reginoburgi anno 1159 conscriptæ de Regia Bohemo collata dignitate, in quibus tributum, quod hæctenus ex Polonia Fiscus Cæsaris acceperat, Bohemiæ Regibus tribuitur. Germanice versas exhibet illas Goldastus parte 2. *Reichsfazungen* pag. 13.

Ne cum Friderico quidem extinctam Imperii auctoritatem, argumento mihi est, quod Poloni non secus atq; Bohemi Ottone IV Cæsare anno 1209 ad Comitiam Imperij vocati venerint. Luculente id testatur Arnoldus Lybecensis

sic scriptor  $\sigma\gamma\lambda\epsilon\sigma\iota\tau$  & forte  $\alpha\upsilon\tau\acute{o}\pi\iota\sigma\iota$  l. 7 cap.  
 18. *Sequente anno ( iserat ille quem diximus )*  
*indicta est curia in Aldenburg. Illuc convene-*  
*runt Mysnenses & Cisenenses, POLONI*  
 5 *quoque, Boiemi, & Ungari : ibique multis*  
*negotiiis determinatis & pace iurata, que in*  
*omnibus curiis firmata est, Dominus Rex fa-*  
*ciem suam convertit in Brunsvvich. Iple Cæsar*  
 10 *Fridericus in iis tabulis, quibus Regnum Bo-*  
*hemix anno 1212 plurimum ornavit, ita ver-*  
*bis constituit : De nostra liberalitatis muni-*  
*ficentia statuimus : quod illustris Rex Bohemix*  
*prædictus vel heredes sui ad nullam curiam no-*  
*stram venire teneantur, nisi quam nos apud*  
 51 *Bamberg vel Nurnberc celebrandam indixe-*  
*rimus, vel si apud Merseburc curiam celebra-*  
*re decreverimus, ipsi sic venire teneantur. Quod*  
*si DUX POLONIÆ VOCATUS accesserit,*  
*ipsi ( Reges scil. Bohemix ) sibi ducatum præ-*  
 20 *stare debeant, sicut antecessores sui quondam Bo-*  
*hemix Reges facere consueverunt, sic tamen ut*  
*spacium sex hebdomadarum veniendi ad prædi-*  
*ctas eis ante præfigatur.*

Saltim itaque comis reverentia Imperii  
 super-

338 De FINIBUS IMP. GERMANICI  
superfuit in Polonia usque ad infelicia illa tem-  
pora quando cum Friderico II Cæsare pri-  
sca Cæsarum auctoritas & Germanici Imperii  
decus concidit. Et vero postea demum ausa  
est Polonia Præmisloao auctore Regiam sibi di-  
gnitatem vindicare. Ut proinde jure affirma-  
veris, Poloniam ab Ottonis Magni ævo usque  
ad Fridericum illum secundum, tantum non sem-  
per & subjectam fuisse & tributariam Imperio  
Germanico. Nec enim illam obsequii originem  
ab Henrico demum III repetendam esse, quod  
facere videtur Otto Frisingensis, satis ostendi-  
mus.

PRIVS hinc quam abeamus, adferemus  
Radevici verba ex l. i c. i de limitibus Polonis,  
qui tum fuerunt. *Est, inquit, Polonia quam habiti  
modo Slavi inhabitant, sicut placet his qui situs  
terrarum descriptionibus notant, in finibus supe-  
rioris Germaniæ, habens ab occidente Oderam  
fluvium, ab oriente Vistulam, à septentrione  
Ruthenos & mare Scythicum, à meridie syl-  
vas Bohemorum.* Unde liquet, Pomeranos  
aliquos ut & Novæ Marchiæ partem Poloniæ  
tum accensita. Mare enim Scythicum est illud  
quod

quod hodie Orientale aut Balthicum audit. Rutheni si Russi sunt haud apparet qui illi à septentrione Polonos clauferint. Sed videtur Radeuico non satis nota terræ illius omnis ratio; quin ipse id indicat: eoque non etiam est, cur illi ut & illum secuto Gunthero, hac in re tutò credamus.

## LIBER II.

## CAPUT I.

*Facta digressione sternuntur fundamenta dijudicandi juris amissarum Imperii possessionum.*

**H**Actenus fines Imperii Germanici ita descriptissimus, ut quemadmodum quidem se illi ad Friderici II Cæsaris tempora usque habuerint, sumus prosequuti: ibi vero quasi subsistentes secutorum temporum nullam pene rationem habuimus. Fecimus vero illud haud temere, aut quod arbitremur satis jam factum officio nostro. Nam utiq; id maxime nobis expediendum censemus, quæ hodie demum sit conditio Imperii finium, & hunc in usum potissimum à prima usque origine omnia arcessivimus; quod scilicet ita denique nostri temporis jura clare omnibus

Yv

pates

pateant, si quibus illa exordiis ceperint, ex te-  
 nebris quibus involuta sunt, in apertam lu-  
 cem fuerit protractum. Desijimus autem in  
 Friderico illo Cæsare, quod ad illum usque  
 prisca Imperii Germanici facies, priscique  
 adeo limites sibi sic satis recte constiterint.  
 Exinde vero non gradu, non cursu, sed præci-  
 pite quodam lapsu corruens propemodum  
 respublica simul & fines vehementer turbavit pe-  
 neubivis, alibi confudit, alibi tantum non om-  
 nino perdidit. Sane & si quos acquisivit iterum  
 perdidit. Vt longe sit difficillimum eos hodie ci-  
 tra cujusquam injuriam discernere.

Ea res nos cogit, prius reliqua quam per-  
 texamus, in parte operis præfari non nihil, & hi-  
 storiam filo quasi abrupto, in publici juris phi-  
 losophiam non multis tamen, ut ita loqua-  
 mur, passibus (nec enim id fas fuerit) sed ali-  
 quantulum digredi. Enimvero multis in locis  
 limitum priscorum possessione excidisse Impe-  
 rium, id quidem vacat controversia; sed  
 num haud supersint recuperandi jura; adeo-  
 que an liceat ne jure illa vindicare rursus, me-  
 rito dubites. Jubet autem institutum nostrum,  
 ut



ut non tantum de possessione sed & de ipsis  
 illis possidendi juribus sumus solliciti. Est vero  
 hoc expeditu nonnihil difficilius : quandoqui-  
 dem quid in ejusmodi negotiis justū sit æquum-  
 ve, præclarissimorum virorum dissidentibus  
 sententijs perquam dubium ancepsque reddi-  
 tum est. Operæ itaque pretium facturi videmur,  
 si antea quam pergamus brevibus indicemus,  
 quid ipsimet nos juri æquitative omnibus in uni-  
 versum ijs in rebus consentaneum existimemus:  
 ut ad illa directis oculis, procul amore, procul  
 odio, Imperij limites deinceps eo promptius  
 constituamus.

I. PRINCIPIO igitur, ut acquirendæ ita & amit-  
 tendæ possessionis jura inter liberas civitates  
 ac respublicas non alia arbitramur interce-  
 dere, quam illa quæ vel natura omnibus ho-  
 minibus injunxit, vel mutuo quodam con-  
 sensu gentes moratiores pepigere. Argu-  
 mento est, ipsamet omnium qui sui sunt juris  
 populorum *αὐτονομία* : quæ utique significat  
 omnes illos nullis teneri civilibus legibus, nisi  
 in quantum velint. Eoque ne quidem etsi in-  
 ter suos cives populi plures easdem observent  
 civiles

civiles leges, non tenentur tamen iisdem inter se  
 mutuo easdem observare, nisi ita placeat: ut-  
 pote cum meri sit arbitrij in quantum populus  
 aliquis liber civilibus juribus adstringi velit  
 nec ne. Vnde porro consequens est, Ro-  
 mana etiam jura, (quæ quidem eorum mere sunt  
 civilia & à naturæ ac gentium aliena institutis,)  
 quanquam in variis sint rebus publicis ad ci-  
 vium usus recepta, illas ipsas tamen respu-  
 blicas haud obligare, ad controversias, si quæ<sup>01</sup>  
 inter eas ortæ fuerint, decidendas. Non enim  
 Romana jura in universum omnia, etsi haud  
 adversentur naturæ legibus, pari cum legibus il-  
 lis sunt auctoritate. Plurima quippe eorum ideo  
 justa sunt quod non injusta, reipublicæ vero<sup>15</sup>  
 Romanæ utilia fuerint, non autem quasi quæ ab  
 illis abeunt injusta sint: ut justæ vox est *παιδισμῶς*.  
 Nec eadem illa jura pro gentium juribus ha-  
 beri merentur, ut ridicule nonnulli censent.  
 Utique enim multæ gentes moratiores ipsi-  
 usmet Europæ nostræ illa in suas respublicas<sup>02</sup>  
 haud admiserunt: aliæ omnes non nisi quæ-  
 dam eorum approbavere & quidem alia at-  
 que alia, longe maximam partem rejecerunt:  
 omnes

omnes item sui arbitrii fecerunt mutare admissa  
 in usum si ratio postulet ; ac proinde nulla  
 omnino gens haectenus legibus Romanis in u-  
 niversum sese obstrinxit , tantum abest ut in  
 5 earum observantiam gentes omnes consenserint.  
 Haud me latet , posse haec videri nonnullis  
*Ἐπιπέτες* : longe tamen esse verissima, pridem  
 observatum est à longe praeclearissimis scriptori-  
 bus haud paucis : quos inter honoris causa Fer-  
 10 dinandum Vasquium & Hugonem Grotium,  
 viros summos, nunc laudare satis est pro insti-  
 tuto :

II. Non minus porro quam res alias, in-  
 tegras quoque regiones & populos subditos  
 51 (si quidem vere in ditione sint, ) ab eo penes  
 quem civitatis alicujus summa est potestas,  
 libere per donationes, per venditiones, per  
 simplices permutationes, aliosque receptos  
 modos transferri posse existimamus. Haud  
 20 desunt, fateor, qui id iniquum censent, pro-  
 pterea quod liberos homines in commercium  
 venire ipsi repugnet libertati. Nonnulli cau-  
 santur, quod omnis respublica in populi u-  
 sum constituta sit ejusmodi autem alienatio-

nes populo summe sint noxiae ; adeoque nulli  
 potestati fas esse transferre ita populorum re-  
 gionumque dominia in eorum detrimentum.  
 Cæterum pro nobis facere omni ævo & pas-  
 sim terrarum receptos mores , manifestum est. 5  
 Nec vero latere id potest quoquam historiæ  
 humanarum rerum perito : imperitiorum uber-  
 rime doceant saltem quæ congeffit Grotius l. I  
 de jure belli ac pacis cap. 3 n. 12. & ad locum il-  
 lumin Annotatis. Quod , minimum juri genti- 10  
 um consentaneam esse transferendi illam facul-  
 tatem , certo est indicio. Juri vero naturæ etiam  
 haud illam adversari , significat Salomonis fa-  
 ctum, qui viginti urbes omnemque adeo terram  
 Chabul & a socero Ægypti Rege dotales accipe- 15  
 re & Hiromo Phœnici donare haud dubitavit,  
 non improbante id ipsum divino numine, haud  
 connivere solito ad inhonesta vel, quod perinde  
 est , naturali juri repugnantia facinora. Sed &  
 ratio juris illius haud obscura est, si attendas quod  
 vere in ditione imperantium esse sit idem atque 20  
 esse in patrimonio eorum aut in plena pro-  
 prietate ; quæ liberam utique alienandi fa-  
 culta-

cultatem concedit. Et vero plane sicut homines  
singuli aut pauci ita & integer aliquis populus in  
dominio alterius esse potest : nulla sane est ratio  
quare illud liceat hoc non liceat.

5 Quod obijcitur, liberos homines in com-  
mercio non esse, fatemur : at omnem popu-  
lum liberum esse & sui juris, longe est falsissi-  
mum. Liber non est is qui in alterius est  
ditione : de quo solo tamen nobis sermo est.  
10 Etsi enim ille omnis non serviat infimam servi-  
tutem, in quantum tamen caret juribus maje-  
statis quadamtenus servit, atque in jure & in  
potestate est imperantium. Varii nimirum li-  
bertatis & servitutis gradus sunt speciesque.  
15 Falsissima etiam illa sunt etsi πολυβύλλατα,  
omnem rempublicam subjecti populi usum  
spectare, aut omnem ejusmodi aliena-  
tionem populo detrimetosam esse. Datur  
enim civitatis aliquod genus idque haud in-  
justum, quod non nisi per accidens populi  
20 commodum quaerit, per se vero & potissi-  
mum ad imperantium, sive unius sive pau-  
corum sive complurium, facit utilitatem.  
Imo rempublicam nullam reperias quamvis  
maxi-

maxime popularem, quæ non alat hujus conditionis homines, eosque insigni sæpe multitudine. Nihil item prohibet, quo minus per alienationem res populi alienati non semper fiat deterior. Imo fieri potest ut reddatur melior: perinde atque servus aliquis dum venditur, dominum durum sæpe mutat benigno & molli. Qua de causa nonnunquam spe meliorum populi integri in aliorum ditionem sponte sua concedunt, & quasi in voluntariam se tradunt servitutem: puta quod vel sibi ab hoste defendendis non sufficiant, vel discordia civili defatigatis intersit parere potius aliis, vel pressi egestate emere quasi spontanea servitute sibi cogantur copiam qua se sustentent. Utque interdum noceat populo ejusmodi alienatio, non propterea etiam iniqua est, quoniam non semper qui imperant tenentur unice subjecti populi commodum quærere. Quantumvis igitur populi illi qui hujus sunt conditionis ab alienationibus dispensarii aliquid patiantur, non minus tamen hoc æquo illis animo venit tolerandum atque singulari alicui servo, si domino vendatur plagofo

goso aut iniquo. Nec vero alienantium is  
 semper animus est, ut ægre faciant populo  
 quem alienant. Sæpe necessitas jubet alie-  
 nare & imperat invitis. Eoque etsi haud sic  
 fas ultro & sine causa vel servum unum  
 vel populum aliquem in damnum conjicere:  
 si aliter tamen non possis saluti tuæ consu-  
 lere, citra tuam culpam damnum illud est,  
 præsertim si jure non tenearis noxam populi  
 tuæ anteferre, quod omnibus in universum  
 herilibus imperiis est commune. Imo in ejus-  
 modi dominiis licet imperantibus commodum  
 suum quærere, etiam cum aliquo incommodo  
 subjectorum: utpote quum non teneantur il-  
 lorum utilitatem spectare nisi per accidens  
 & propter usum proprium, adeoque subditi  
 isti sint jure obstricti in usum imperantium  
 perinde atque servi dominis. Non idem ta-  
 men licet in civitatibus, quæ institutæ sunt  
 causa eorum qui reguntur non autem eorum  
 qui regunt. Heic enim primario utilitas quæri-  
 tur populi, secundario autem duntaxat & per  
 accidens imperantium. Eoque heic non est fas  
 imperantibus cum populi incommodo sibi ali-

quid lucrari. Ne defendere quidem ita licebit sua: injustum enim fuerit, id quod per accidens duntaxat quæri poterat, ejus quod per se & primario petendum est damno parare.

III. Hisce probe expensis facilior jam est definitu illa etiam quæstio; num talem aliquam alienationem fas sit instituere populo inconsulto, aut etiam non probante. Nam qui alienationem admittunt illorum plerique tamen consensum populi requirunt. Quo<sup>10</sup> & Vasquius propendet *l. 1 controvers. illustr. cap. 5 n. 5* & Gailius *l. 2 de pace publ. c. 15 n. 13 & 14.* & quod mireris Grotius ipse *l. 2 de jure belli ac pac. c. 6 n. 4.* At vero cum in<sup>15</sup> herilibus quidem rebus publicis ea fere sit imperantium ratio quæ dominorum in servos, haud videtur in iis quidem consensum populi postulari. In iis sane ne quidem speciem aliquam invenit Grotii argumentatio; voluntarie scilicet rempublicam cojisse perpetui boni gratia, eoque nec nisi voluntate eorum quorum interest dirumpendam societatem. Ipse<sup>20</sup> met



met sane agnoscit illud herilium rerumpublica-  
rum genus *l. 16. 3 n. 8*: quas omnes non ita coire,  
sed plærasque si non omnes longe aliis legibus,  
certum est. Suspensum esse ex consensu subje-  
5 cti populi, adversatur ei juri, quo potest im-  
perans primariò sibi consulere, & non nisi per  
accidens tenetur commodum quærere subdito-  
rum. Si herile itaque imperiorum genus justum  
est, consensum illum negligere etiam haud fu-  
10 erit injustum. Vazquius enim in ipsa quod a-  
junt janua aberrat: utpote qui pro fundamen-  
to quasi omnium disputationum suarum ha-  
bet, quod respublica omnis cojerit spontaneo  
arbitratu civium in communem utilitatem:  
15 quo nihil est falsius.

Attamen nec in rebuspublicis illis meli-  
oris ordinis quæ potissimum eorum qui parent  
utilitatem sibi habent propositam, videtur  
requiri vel prævia cum populo consultatio vel  
20 ejus consensio, nisi in sola democratia. Ha-  
bent enim & in iis civitatibus hi penes quos  
est τὸ κοινόν liberam agendi facultatem circa o-  
mnia quæ salus exigit publica. Si hæc itaque  
postulaverit partis alienationem, instituere illam  
Zz 2 pote.

350 DE FINIBUS IMP. GERMANICI  
poterunt imperantes ex suo arbitratu. Per-  
inde scilicet atque pater & oppignorare &  
vendere filium potest, ubi alia ratio illum alen-  
di non suppetit: quod apud ipsos Hebræos o-  
lim licuit divino jure: & tamen pater filii com-  
modum prius habere debet, suum postponere, &  
ex filio sibi nihil utilitatis nisi per accidens quære-  
re. Quod si tamē alienatio non vergat in salutem  
publicam, in illam nihil juris est hisce quidem  
imperantibus; ideoque, si quid tale moliantur,<sup>10</sup>  
consensus ante populi captandus fuerit: cum  
cives invitos in damnum conijcere haud lice-  
at. Nec vero etsi in perpetuam societatem co-  
jerint populi, huic rei quidquam obest: per-  
petuum enim omne in his quidem negotiis<sup>15</sup>  
moraliter accipiendum est, cui scilicet non ob-  
est moralis quædam impossibilitas, qualis ori-  
tur à necessitate pereundi nisi societate disso-  
luta patiatur pars populi sese alienari. In de-  
mocratico statu ipse populus <sup>aut rex, totius</sup> habet,<sup>20</sup>  
qui quidem vere constituit civium ordinem,  
itaque injussu illius nihil effici jure potest: in-  
colæ tamen omnes alicujus civitatis utpote  
cum non sint veri cives sed subditi, isthuc haud  
periti-

pertinent, eoque nechorum consensus opus est ut impetretur.

Quorum autem consensione non est opus ad contractum, illorum dissensio etiam non potest contractum reddere irritum. Eapropter non possumus Vazquio & Grotio subscribere, qui si in contrarium populi voluntas manifesta sit nihil actum existimant. Ne huic obstat, quod regimen civile debeat esse in volentes. Intelligendum enim id est de voluntate reipublicæ icopo consentanea. Alioquin enim & invitis jure imperat potestas publica: perinde ut immorigeris & refractariis liberis bonus & æquus pater.

15 Perperam idem Vazquius negat, ob necessitatem & salutem publicam posse partem aliquam alienari: quasi injustum sit ut universitatis causa pars damnum faciat. Præterquam enim quod etiam heic ille non distinguat  
 20 herilia imperia ab alteris illis magis civilibus: utique in omni societate, etiam maxime civili, quilibet saluti publicæ est obstrictus & re & corpore. Sarcit quidem acceptum damnum respublica si potest, aut magis in præmium  
 Zz 3 quam

quam ex debito: itaque si non potest, necessum est ut pars quæque ferat quod mutari non potest, ob reliqui corporis salutem.

IV. Quamvis vero ea sit libera alienandi facultas aut penes unum aut penes paucos aut penes multitudinem, si in manu aliqui horum rempublicam teneant: si quasi divisa tamen fuerit majestatis ratio, ut pars ejus sit penes populum pars penes unum aut multos, aut si illi qui in dignitate sunt non nisi magistratu fungantur, nulla tunc injussu populi & aliorum quorum interest fieri alienatio poterit, quippe quum ad illos quoque pertineat. Quicquid igitur contra fit, ut & quicquid non fit in rebus publicis melioribus ad communem usum, id omne ipso jure nullum & irritum est, adeoque populum omnino non obligat.

V. Perimpeditum præterea videtur, num ut expresso ita tacito quodam consensu eorum quorum est summa in republica potestas, bona & jura civitatis amitti queant, ita ut illa jure tandem fiant aliorum: præcipue vero dubites, quibus indicis ille tacitus consensus significetur. Cæterum id quidem quod derelictum est

est tacite concedi occupantibus, videtur natura omnibus notum. Atque hactenus, tacite amittere posse & summas potestates varia publica bona, non potest negari; nisi ejusmodi bona naturalibus amittendi juribus obnoxia non esse dixeris; quod sane pronunciatu nimis fuerit absurdum. Observandum autem est; nos loqui diserte, de tacito consensu eorum quorum vere est summa potestas, non eorum quibus titulo tenus forte ea dignitas tribuitur. Sunt autem illi plane iidem cum ijs, qui in ditione atque adeo quasi in patrimonio rempublicam tenent; quales non semper esse illos, qui Reges aut Principes audiunt, 15 ultrò fatemur. Posse autem imperia in homines imo populum & urbem regionemque aliquam derelinqui, fatendum utique venit, nisi eadem occupari & acquiri posse velis negare. Et vero aperto consensu sæpe integra 20 regna regionesque latissimas ditissimasque alijs relinqui, idque nunc sponte ac ultrò merà interdum donatione, nunc majoris mali evitandi causa, omnium seculorum gentiumque historiis & usu passim etiamnum recepto  
ulque

354 DE FINIBUS IMP. GERMANICI  
utque est adeo compertum, ut neminem ar-  
bitrer superesse qui vocet in dubium. Posse  
autem & tacendo nos ita in aliquid consentire  
itidem natura omnibus est notum. Consequens  
proinde est, etiam imperium in populos tacendo  
alijs relinquere interdum posse, nec ad eorum  
derelictionem expressum consensum semper  
requiri.

Verum haecenus quidem expedita satis  
res est: difficilius definitu, quemadmodum  
fiat illa tacita consensio, & unde ac qua ra-  
tione de illa certo nobis queat constare. Nec  
vero id uno ut ita dicam verbo licet pronun-  
ciare: nec à magistris fortasse satis tuto & se-  
cure omnia sunt tradita. Nos nonnullis  
quasi fundamenti loco positus, intricatum  
negocium brevibus exponere tentabimus.  
*Primo* igitur notandum, nonnulla quæ possi-  
dentur nisi ijs utaris perire statim, alia non  
item. Illius generis sunt imperia omnia sal-  
tim civilia quæ dixeris, h. e. ea, quæ instituta  
sunt commodo imprimis eorum qui obtem-  
perant. Anima enim quasi talis civitatis est is  
qui imperat: itaque illo sublato, civitas cor-  
ruit.

ruit. At nec herile quidem imperium nisi curante domino potest consistere : sed & ipsum in partes dilabitur peritque. *Secundo.* In rebus publicis illis civilioribus quia merito quaeritur potius utilitas populi quam dominantis, si utrumque servari nequeat, jure tenetur dominantis commodum cedere commo populi. Ex duobus enim malis id quod minimum est majori cedere, natura justum est. Ex adverso igitur sese res habet in civitatibus herilibus, ubi dominantium utilitas quam maxime attenditur. *Tertio.* Jure naturæ obstrictus est imperans omnis, quoad licet, curare sive per se sive per alios tantundem valentes rem publicam suam. In rebus publicis illis melioribus ipsum earum scopum tale officium imponere imperantibus, est sole clarius. Cum singuli domini etiam debeant suis servis aliquam curam (nec vero arbitrarium aliquod jus vitæ ac necis in servos, nisi illi capitale quid commiserunt, jus naturæ dominis permittit) quam nisi præstent injurii in servos sunt; multo magis tenentur imperantes domini subditorum rationem habere, utpote quum rarissime ci-

vitas aliqua infimam seruitutem seruiat, sed  
 earum plæræque in liberatilores leges dominos  
 patiantur, prout varii sunt subjectionis liberta-  
 tisque gradus. *Quarto.* Id credendum est,  
 hominem nolle, quod vir bonus ac prudens no-  
 lit, non quod improbus aliquis ac stultus. Ete-  
 nim viri demum boni & prudentis voluntas na-  
 turæ est juri consentanea: quæ illi aduersatur  
 cupiditas iniqua est, eoque jure merito haud  
 attendenda. At vir bonus non vult quidquam<sup>10</sup>  
 cum injuria alterius: nec vir prudens aliquid  
 cum suo majore damno conjunctum. *Quinto.*  
 In re dubia existimandum est, quemlibet id vel-  
 le aut non nolle quod vir bonus & pudens velit.  
 Hic vero velit utiqve sibi tribui quod suum est,<sup>15</sup>  
 Eoq; nec quis temere existimandus est res suas  
 jactare velle, nisi necessitate coactus aut alio ali-  
 quo commodo inductus: secus enim agere mi-  
 nus prudentis fuerit.

Hisce positis consequens est *princi-20*  
*pio* quidem, imperium illarum civitatum,  
 quæ salutis publicæ omnium causa coie-  
 runt, quando amissum fuerit, recuperari ju-  
 re non posse, si id fieri nequeat absque civita-  
 tum



tum illarum summo detrimento, adeoque teneri quemvis illarum recuperandarum curam dimittere, imo existimandum est illam dimissam esse. Alioquin enim commodum dominantis præferretur usui populi: quod est contra naturam illarum civitatum, nec à viro bono probatum. At non licet ita colligere, factam derelictionem in civitatibus herilibus. In ijs enim etiam cum incommodo subditorum licet dominantium jura tueri. Atque propter licet illa amissa etiam cum eorum noxa recuperare. Si noxa tamen illa conjuncta fuerit cum manifesto periculo extremi damni omnium subditorum, merito derelinquendum est imperium illud: nec enim hoc vir bonus ac prudens egerit. *Secundo.* Derelinquit ille imperium in civitatem quamvis, qui sciens volensque patitur illam perire aut in summum discrimen adduci, nec in salutem ejus quidquam movet dignum memoratu. Nec enim ita se gerit erga rem quam pro sua vendicat vir bonus aut prudens, sed erga rem alienam. Multo maxime hoc locum habet in civitatibus illis melioribus: utpote cum

Aaa 2 earum

arum curam diligentissimam suo etiam cum  
 incommodo gerat princeps bonus ac pru-  
 dens. Quod si vero & in herilibus cura ea, qua-  
 em dominus prudens & bonus adhibet,  
 plane omittatur, etiam ibi id pro argumento 5  
 potest esse derelictæ dominationis. Etiam si  
 igitur fortassis longo post tempore, curam  
 velis denuo suscipere: id nimis sero est: ut-  
 pote cum ratio rerum publicarum non patia-  
 tur ejusmodi ( ut ita loquar ) somnolentiam. 10  
*Tertio.* illud imperium est derelictum, quod  
 ab alio exercetur te nullo nutu adversante.  
 Nec enim profecto vir prudens aut bonus  
 vel rem levem ita curaverit, quam sui juris  
 credit; longe maxima vero cura debetur ci- 15  
 vitatibus. Sunt qui requirant in illo ita ta-  
 cente scientiam rei & liberam voluntatem.  
 At vero nec supina quidem inscitia tolera-  
 bitur in viro prudente. Ideoque si nescias  
 cum possis & deberes scire, etiam illud pro 20  
 indicio est insuper habiti adeoque derelicti  
 imperii. Nec vir prudens ac bonus omni-  
 no tacebit ad suarum rerum occupationem  
 alienam, nisi in eam consentiat. Et vero satis est  
 ut

ut consensio sit mixtæ ut loquuntur volun-  
 tatis, quamque expressit majoris vel mali  
 metus, vel boni expectatio. Nisi enim illæ  
 5 actiones habeantur pro voluntariis, plerique  
 hominum contractus fuerint irriti, & ever-  
 teretur societas humana. Si pro derelicto au-  
 tem habendum est imperium quod penes  
 alium est te haud adversante, multo magis eo  
 10 centu habendum est illud, super quo inter  
 possessorem & te contractus incuntur nulla  
 omnino juris tui mentione facta. Nec enim  
 hoc commiserit vir bonus & prudens in re-  
 bus exigui momenti, tantum abest ut id fe-  
 cerit in iis, quorum curatio perpetua exacte  
 15 ipsa quasi naturæ lege imperatur. *Quarto.*  
 quod ita derelictum est imperium, id tametsi  
 initio bona fide non fuerit occupatum, ta-  
 men posteaquam innotuit jam derelictio illa,  
 bona fide potest teneri. Accessit scilicet no-  
 20 vus titulus isque bonus. Perinde enim fer-  
 me est, atque si illud quod furto fortassis est  
 subductum, postea furi dones. Illud enim  
 quod dicitur: *quod ab initio non valet ex post  
 facto conualescere non posse*: verum denique  
 est

60 De FINIBUS IMP. GERMANICI  
est si nova causa juris haud accesserit. *Sexto.*  
lenique manifestum ex superioribus est, non  
equiri ad indicium derelicti imperii tempus  
aliquod perlongum: utpote quum respública  
omnes citam & sedulam postulent curati-<sup>5</sup>  
onem naturali instituto, quæ si negligatur ipsa  
rerumpubl. natura illam ad alium quasi devol-  
vit. Cum primis sane id verum est de rebus-  
publicis illis melioribus. Nec vero centum an-  
nis videtur opus ad indicandum illas derelictas<sup>10</sup>  
esse.

IN hunc modum videtur mihi per taci-  
tam derelictionem, jure æquissimo & quasi  
naturæ lege, ut alias res ita & imperia ad alios  
transferri. Nec enim possum adsentiri illis,<sup>15</sup>  
qui omnem usucapionem vel naturali æqui-  
tati adversari, vel solo civili Romanorum jure  
introducedum existimant. Et vero cum prius  
tum posterius illud nescio an ulli populo un-  
quam fuerit persuasum. Videre enim utique  
est illam moribus gentium quarumvis opti-<sup>20</sup>  
marum approbatam & receptam, idque in  
ipsismet imperiorum controversiis: ceu innu-  
meris testimoniis facile est ostensu. Usque  
adeo

adeo illud est manifestum, ut hinc tuto  
 colligere sit, si non naturali saltem gentium ar-  
 bitrario jure, ejusmodi neglectorum imperi-  
 orum justam occupationem constitutam & ra-  
 tam esse redditam. Et sane ut ad cujuslibet ci-  
 vitatis ita etiam ad gentium quietem pertinet,  
 ne quarundam rerum diu & fere semper in-  
 certa dominia sint, & ut aliquis litium sit  
 finis: id quod unice præstare potest ejusmodi  
 quædam usucapio. Haud ignoro à Roma-  
 norum Jurisconsultis, & quidem ab Ulpiano  
 ipso, usucapionem inter positivas civiles acqui-  
 rendi dominii modos relatam: verum pari ra-  
 tione ac Donatio in eum ordinem computata  
 est. Nempe non quasi naturali æquitati adver-  
 setur, aut quasi natura non permiserit usuca-  
 piendi vel donandi facultatem, sed quod Ro-  
 mani hos modos acquirendi peregrinis invi-  
 derint, & suis Quiritibus voluerint esse pro-  
 prios: perinde ut in multis aliis duos sese præ-  
 buerunt erga peregrinos, vetita ipsis omni  
 testamenti factione & hereditatis aditione.  
 Usucapione profecto & præscriptione Ro-  
 mani ipsi multorum imperiorum possessionem  
 adver-

adversus alios tutati unice sunt : quod nequaquam justè potuissent, si tantum à civitatis suæ instituto omne illud jus profectum existimasent. In sua vero civitate naturalem illam libertatem multum & varie restrinxerunt, pro commodo suæ reipubl. suorumque civium, quos præ aliis ornari multis prærogativis publice interesse arbitrati sunt. Eoque non est etiam, quare ex Romanorum civilibus institutis jura hæc, populis omnibus ex naturæ & gentium arbitrio communia, æstimemus. Sane cum injuria liberarum gentium fuerit conjunctum, si usucapionem & præscriptionem contra Romanos neges valere, qua Romani in suam utilitatem contra alios populos usi sunt. Id quod tamen multi nimium doctores non dubitarunt profiteri. At vero nobiscum nata non ex Edicto Prætoris orta est naturæ illa lex, Romanis quoque prudentibus prodita : *Quod quisq; juris in alium statuerit, ut ipse eodem jure utatur.*

VI. SED de his fatis ex proposito. Non nihil dicendum etiam venit de concessionibus à summa potestate subdito factis, quam  
vim

vim habeant, num ita obligent, ut revocari jure queant, idque vel ab eo qui concessit vel a successore. Sunt enim, qui nihil non ejus generis revocabile esse censeant; propterea quod summa quævis potestas soluta sit legibus, easque figere & refigere possit: concessionem autem ejusmodi non nisi vim legum, aut privilegiorum potius, habeant. Sunt qui negent: quia summa potestas obligatur naturæ juribus, quæ mandant servare contractus.

<sup>10</sup> Videtur autem perperam ita, nullo facto discrimine, pronunciari. Multum diversa enim ratio est & ejus qui concedit, & ejus cui conceditur, & ejus, quod conceditur, & denique modi concedendi: ideoque distinctio multiplex venit observanda. *Primum*, ergo, si diserte additum sit concessioni revocandi arbitrium, sive simpliciter sive sub conditione, sine dubio revocatio juste institui potest. Imo etiamsi illa clausula addita non sit, si tamen aut lege aut usu permessa sit arbitraria revocatio saltem successori, perinde id fuerit quasi diserte sit addita; nisi nova concepta clausula legi & usui sit derogatum. Si lex aut

consuetudo certa non vetet irrevocabilem alienationem ; tunc ex ipso concedendi modo quid justum sit decidi non potest , sed aliunde decisio petenda est. Ita alibi lege publica cuivis successoris permittitur jus revocandi ea, 5  
 quæ ab antecessore concessa sunt ; ceu apparet in Legibus Suedicis collectis per Ragualdum Ingemundi l. 2 c. 2. Alibi incertum jus est. Ut Romæ Tiberius & cum proxime secuti non  
 aliter rata habuerunt ab antecessoribus concessa , nisi & ipsi in eadem diserte consensissent : Titus & Nerva plane aliter se gesserunt. *Deinde* si is, qui summa potestate fungitur, non pleno jure dominii possidet ea quæ  
 concedit, utique illa concessio , tanquam vitio facta, per se nulla , ac proinde revocabilis est ab eo cujus interest. Sic ubi in commo-  
 dum populi unice administranda venit respublica , nulli subditorum seorsum in damnum reliquorum ab imperante potest aliquid con-  
 cedi , quin populo reliquo id liberum sit rescindere : nec enim imperanti, in tali quidem republica , summa licet potestate fungatur , fas est quidquam concedere cum publico da-  
 mno



mnō. Diversa herilium civitatum ratio : itaque in his illud etiam, quod cum populi noxa concessum est uni vel alteri, non potest tamen à populo revocari. Quæ feudi jure tenentur, illa, si aliis concessa, num possint revocari à successore, non potest ex solis naturæ institutis recte decidi : quoniam omne feudale vinculum est civilis positivi juris ; quod observandum esse ab eo, qui eo tenetur ; naturalis est æquitatis. Variant autem feudalialia instituta plurimum. Itaque nunc quidem sufficit monuisse, legibus illis, prout ratio exigit, consentanee vivendum esse. *Tertio*, quæ summa potestas, cum haberet isthæc in pleno patrimonio, subditis sive omnibus sive aliquibus, concedit, si lex aut usus non prohibeant, illa irrevocabiliter possunt concedi. Nec enim rescindi ea possunt à populo, utpote cujus jus non pertingat ad talia : non à successore, quum is nihil habeat juris aliud, quam quantum ejus à superioribus relinquitur : non à seipso, quoniam dominio jam privavit sese. Maximus tamen Grotius *l. 2 de jure bell. ac pac. c. 14 n. 7.* statuit, posse subditis jus etiam

iam quæsitum auferti duplici modo : aut in  
 pœnam, aut jure supereminentis domini. Ve-  
 rumenimvero ipso etiam supereminente do-  
 minio potest à Principe subditus solvi. Sal-  
 tim itaque tunc non habebit locum posterior <sup>5</sup>  
 ille modus. Adhoc, ea quæ ita concessa sunt  
 non aliter Principi amplius obligantur quam  
 aliunde quæsitæ bona. Si in pœnam itaque aut  
 vi supereminentis domini aliquid petatur, non  
 proprie concessæ rei fit revocatio, sed per ac- <sup>10</sup>  
 cidens, per se verò tantum subtractio aliqua,  
 qualis etiam jure possit fieri rerum aliarum.  
 Si in alia bona Principi tantum juris non sit,  
 nec in hæc fuerit : utpote quum hæc in ean-  
 dem cum reliquis conditionem abierint. Vi <sup>15</sup>  
 supereminentis domini autem publicæ utili-  
 tatis causa potest aliquid in publicum revoca-  
 ri ex privata possessione, in rebuspublicis dun-  
 taxat melioribus ; in herilibus non item,  
 ubi nulla attenditur publica salus nisi ex acci-  
 dente. <sup>20</sup>

Igitur revera aliter atque aliter sese ha-  
 bet jus concessionum facta verè subditis à sum-  
 ma potestate. Falsum enim est quod nonnulli  
 ponunt:

ponunt : omnes concessionem habere tantum vim legum positivarum. Hæ enim subditos tantum adstringunt : at concessionem sive liberaliter ex dono sive ex contractu factæ obligant quoque ipsum regem ; eoque non est regii arbitrii ita libere mutare concessionem atque mutat leges positivas. Ex aduerso jus naturæ obligat quidem quamlibet etiam summam potestatem humanam : non tamen omnes ejus concessionem irrevocabiles pronunciat, ac proinde nec jubet omnes illas strictè observare.

VII. NON indiget quidem proluxa refutatione : reiicienda tamen verbo hic etiam est Ferdinandi Vazquii illa sententia, quam defendendam suscepit, *l. 2. quest. illustr. cap. 82.* subditis quibusque, sive illi sponte sive vi adacti in ditionem alterius concesserint, licere in libertatem sese asserere, modo velint & possint, quamvis tempore memoriam omnem excedente in obsequio vixerint. Et sane satis pene est illi reiiciendæ unum illud, quod id qui docuerit præter Vazquium nemo forte reperiat. Fatetur id ipsemet n. 7, inquit:

Bbb 3

*Nullus*

*Nullus unquam, in cuius scripta inciderim, sic de-  
 claravit: quamquam justis de causis interdum  
 & raro posse imperium excuti, multi affirma-  
 verint; neque nos id negemus. Nec verò teme-  
 rē id potest rectum esse, quod omnibus sapien- 5  
 tibus, uno forte excepto, displicet. Adeo le-  
 via porro sunt argumenta, quibus innititur  
 Vazquius; ut iis nihil sit solutu facilius. Ho-  
 mines scilicet omnes natura liberos natos; eo-  
 que fas esse recuperare illam libertatem natu- 01  
**I** ralem, idque vel vi vel mutata subditorum  
 voluntare. Etenim natura non quidem jus-  
 sit, si aliud nullum hominum factum ac-  
 cesserit vel me vel alium in numero pa-  
 rentium esse: attamen permisit obsequium,  
 & si promissum illud sit iussit promissis stare. 15  
 Perinde ut de aliis contractibus omnibus ni-  
 hil est naturali lege iussum, nisi posito quod  
 sint initi: hos nimirum sanctos servandosque  
 jubet naturæ lex, nondum initos permittit iniuri,  
 antehac nihil jubet nihil vetat. *Nihil tam* 20  
*naturale esse, quam unumquodque eo modo dis-*  
*solvi quo colligatum est, fatemur cum Vazquio*  
 & nos. Hinc vero sequitur, quæ mutuo con-  
 sensu*

sensu imperantium & parentium constituta sunt imperia, non nisi utriusque partis consensu, nequaquam vero ex arbitratu unius partis dissolvi posse: atque adeo plane ab eo, quod Vazquius vult, quid diversissimum. Certe etiam illa, quæ sponte à populo deferuntur, obsequia, non ante imperium aliquod pariunt, quam is cui deferuntur consenserit, & inter utramque partem contractus fuerit ratus ac stabilitus. Nam & delata ejusmodi obsequia possunt rejici: quod & vetusti & nostri temporis exemplo non semel est factum. Etiam quæ vi quadam in bello victos constituuntur imperia, consensione subsequuta populi, mutuo tandem contractu roborantur. Ta-III  
cebo nunc, quod severe omnis injusta rebellio divina lege sit prohibita; quodque saltem gentium morationum cum consensu stabilitis imperiis, arbitraria ejusmodi dominationum rejectio inter detestanda numeretur. Quo patet, Vazquii illam sententiam non tantum naturæ sed & divino & gentium juri adversari, evertendisque ferè omnibus rebus publicis idoneam esse. In civitatibus quæ  
populi

populi commodum unice spectant, si imperans plane aliud agat, iniquum jugum excuti jure posse: in herilibus rebus publ. si omnem omnino subditorum salutem quasi excisam velit dominus, à populo utut minus libero fieri idem posse, haud diffitemur. At si causæ etiam illæ desint, tantum ex arbitrio subducere se subditos suis Principibus posse, nova est & impia doctrina, eoque nec toleranda.

XIII. DE RESTITVTIONE denique in<sup>10</sup> integrum, verbo aliquid annectendum est, num illa inter liberos populos aliquando debeat admitti. Et vero ipse Grotius l. 2 cap. 14 n. 1. Joanni Bodino sese opponit, censenti, *iisdem ex causis Regem sive aliena fraude ac dolo sive errore circumventum, sive metu, restitui posse ex quibus subditus restitueretur tum in iis que ad jura majestatis imminuta, tum in iis que ad privata commoda pertinent.* Negat igitur in actibus Regum vere regis, non autem privatis, restitutionem locum invenire; idque propterea, quod restitutio veniat ex jure civili nec à superiore institui possit. Cæterum si quidem restitutio mere civilis esset juris, fatemur  
eam

5 eam inter liberos populos non intercedere, quoniam illi talibus institutis non obligantur. Ast ipsa naturalis æquitas postulat, ut unusquisque fraude ac dolo circumventus in negotiis ubi bona fide agendum erat, restituatur in integrum, præsertim cum ejusmodi circumventiones jure ipso actus irritos reddant. Par ratio est quorundam aliorum, quæ restitutioni solent causam dare. Quorundam ajo. Nec enim diffitebor, Romano aliarumque gentium civili jure inter  
 10 restitutionis causas numerari nonnulla, quæ non adeo *evidens æquitas postulat*, quum tamen ipsi Romano Prætori sola hæc in universum credita olim sit restitutionem promovens ratio: quod disputare hujus fori non est.  
 15 Nos illam solam restitutionem profitemur locum inter liberos populos reperire, quam *æquitas evidens* exigit: hæc enim tota ab ipsa met natura est. Quapropter etiam tempus intra quod restitutio hæc institui debet non definimus ex civilibus Romanorum institutis, sed simpliciter eo, intra quod & potuit & debuit publicæ rei accurata cognitio ab illo cui cura reipublicæ incumbit comparari: de quo  
 20

372 DE FINIBUS IMP. GERMANICI  
jam tum aliquid dictum est. Si enim illud tem-  
pus patiatur quis effluere, indicat is eo ipso ne-  
gligenter se habere rempublicam & quæ amissa  
sunt dereliquisse. Quo ipso possessori etiam  
fraudento ac malæ fidei novum jus conce- 5  
ditur. Non est verò quare quem turbet, quod  
restitutio debeat fieri à superiore, qualis rege  
nemo datur in republica. Id enim non simpli-  
citer, sed tantum inter cives obtinet. Perinde  
ut inter cives nemo potest esse judex in causa 10  
propria. At si superior desit, tum unus quisque  
αὐτῷ ἑαυτοῦ sibi jus dicit, se se vindicat, se se re-  
stituit. Non nemo hæc omnia vult præstari  
ab uno, cui existimat jure naturæ totius huma-  
ni generis *μοναρχία* competere. Sed inepte. Fac 15  
enim (quo tamen nihil est stultius) talem ali-  
quem à natura esse institutum; si & ipsemet  
afficiatur injuria: quem inveniet ille judicem  
vindicem aut restitutorem? Utique aut nullum  
aut seipsum. 20

VERVM hæc & alia id genus pro digni-  
tate persequi, ejus philosophiæ est quæ justum  
omne naturale exponit. Quod tametsi for-  
tassis haud satis sit factum hæctenus, tamen  
à nobis



à nobis hoc sane loco nequaquam est exspe-  
 ctandum. Sufficit nunc pauca tantum hæc  
 produxisse, propterea quod argumentum no-  
 strum propius attingant & tamen impedi-  
 5 tiora sint. Duo hisce adijcienda sunt ad pu-  
 blicum jus Imperij pertinentia, sic satis qui-  
 dem difficilia explicatu, nec itidem hujus lo-  
 ci; quæ tamen non minus atque illa quæ  
 jam attulimus summe sunt necessaria ad ar-  
 10 gumentum nostrum expediendum, ac proinde  
 saltem paucis præmittenda, ut iis tanquam fir-  
 mis hypothesebus imposterum uti liceat. Al-  
 terum est, quemnam penes sit τὸ κράτος, adeoque  
 alienandarum Imperii partium juriumque pote-  
 15 stas suprema. Alterum, an illa summa potestas  
 obligetur, provincias Imperii omnes ad popu-  
 li vel unice vel maxime commodum admini-  
 strare.

Prius quod attinet, nonnulli quidem exi-  
 20 stimant omnem summam Imperii potestantem  
 penes unum Cæsarem esse: hunc vero propte-  
 rea quod sit mundi dominus habere omnia  
 in liberrima possessione, ac proinde & alie-  
 nandi facultate esse præditum. Ex aduerso

complures, utut Cæsari omnium tribuant plenum dominium, alienandi tamen potestatem ipsi denegant, idque eo argumento quod cuncta alienatio cedat in Imperii detrimentum, cum Cæsar omnisque adeo summa potestas unice obligetur ad commodum reipublicæ quaerendum. Cæterum hæc quidem posterior ratio levis est, & jam ante à nobis falsi convicta ac rejecta. Æque autem elumbe est argumentum paulo ante adductum pro Cæsarea alienandi potestate. Etenim potissimæ Imperii parti cum Cisalpinæ tum Transalpinæ Cæsar imperat, non tam ut Cæsar quam ut Rex aliquis Germanicus; si sane velimus exacte rem omnem definire. Id quod late<sup>15</sup> ostensum est à nobis libro de Germanorum Imperio Romano. Igitur quamvis Cæsari, in ea quæ ipsi Cæsareo jure proprie ita dicto competunt, dominium plenum fuerit, minime tamen hinc sequitur in reliqua omnia par<sup>20</sup> illi jus esse. Sed nec facile probaveris, Cæsari hodie vi tituli Cæsarei ullum tale plenum dominium convenire. Esto enim; fuerit illa Cæsarum olim potestas: hinc tamen colligere

ligere non licet, hodieque illam superesse, etsi  
 ita argumentari videas sic satis multos. Nam  
 utique ut Romanorum omnia, ita etiam  
 Cæsarum jura mutationibus sunt obnoxia.  
 5 Nihil in his æternum, perinde ut nec in aliis hu-  
 manis rebus. Eadem sane verisimilitudine col-  
 legeris ex eo, quod Germanicorum regum per-  
 exigua olim ætate Cornelii Taciti fuerit existi-  
 matio, nunc itidem eos duntaxat valere sua-  
 10 dendi magis auctoritate quam imperandi. At-  
 qui tanto temporis spatio etiam hoc mutari  
 potuit.

Certioribus igitur rationibus innixi, *primum*  
 id quidem dubio credimus carere, saltim post  
 15 Maximilianum id nominis primum nullam  
 alienandi bona Imperii potestatem Cæsaribus  
 superfuisse. Diserte enim id vetitum est iis legi-  
 bus, quas secuti omnes sunt ad Cæsaricam  
 20 dignitatem admissi. Nonus Capitulationis,  
 ut vocant, cum Carolo Vto initæ paragra-  
 phus nostrate Germanica lingua ita sese habet.  
 Zu dem und Insonderheit sollen vnd wollen wir dem  
 heiligen Römischen Reich vnd dessen zugehörigen  
 nicht allein ohn wissen willen und zulassen gemelder

Churfürsten sämpelich / nichts hnggeben / verschreib  
 ben / verpfänden / versetzen / noch in andern wege  
 vereusseren oder beschweren / sondern uns auch auff  
 höchste bearbeiten / und allen müglichen fleiß und  
 ernst fürwenden / Das jenige so davon kommen /  
 als verfallen Fürstenthumben Herrschafften etc / zum  
 fürderligsten wieder darzu bringen zuetignen auch  
 dabey bleiben lassen / doch männiglich an seinen ge  
 gebenen Privilegien rechten und gerechtigkeiten un  
 schädlichen. In eandem sententiam aliquid legitur<sup>10</sup>  
 in Capitulationibus omnibus eorum qui Carolo  
 successerunt.

Etiam vero dudum ante, etsi non scripta lege,  
 tamen recepta consuetudine id fuisse Imperio  
 probatum saltim à Caroli IV ævo, manifestum  
 fit ex eo libello quo Wenceslao Caroli filio<sup>15</sup>  
 dignitas Cæsarea detracta fuit ab Electoribus.  
 Inter alias enim abdicandi illum causas justas  
 etiam hoc adferunt Electores: *complures urbes  
 terrasq; tam in Germania quam Italia ad Im-<sup>20</sup>  
 perium pertinentes alienavit, parum pensi ha-  
 bens ut eas retineret. Idem insimulant Wen-  
 ceslaum, quod perniciosè mutilasset Imperium,  
 & mutilum reddi permisisset, dum ex Vicario  
 Imperii creaverat Ducem Mediolanensem.  
 Patrem*

Patrem Wenceslai Carolum ob alienationes, alterum Crassum, Imperii vitricum & dissipatorem, appellare non dubitavit Maximilianus primus; haud dubie non ita dicturus si liberum alienandi jus Cæsaribus competere judicasset.

Jam seculo tertio decimo adstringi sacramento solere Cæsares, ne quid patiantur Imperio decedere, indicat Ottonis IV historia. De illo enim ita narrat Matthæus Paris ad annum M CCX. Circa dies festos istos Otto Romanorum Imperator, memor juramenti, quod fecerat, cum à Papa ad Imperium fuerat sublimatus, quod videlicet **DIGNITATES IMPERII CONSERVARET, ET JURA DISPERSA PRO POSSIBILITATE SUA REVOCARET**, fecit per sacramentum legalium hominum Imperii, dominica castella sua ad dignitatem Imperialem spectantia perquiri, & quacunque per recognitionem ad jus Imperii spectare didicerat, in usus suos convertere laborabat. Hac autem de causa orta est dissensio gravissima inter dominum Papam & Imperatorem memoratum. Idem non multo post addit: *Imperator nunciis Domini*  
*Papa*

Papa tale perhibetur dedisse responsum. Si,  
 inquit, summus Pontifex Imperii jura injuste  
 possidere desiderat, à sacramento, quod tem-  
 pore consecrationis meae ad dignitatem Impe-  
 rialem me jurare compulit, me absolvat, quod  
 videlicet **DISPERSA IMPERII JURA**  
**REVOCAREM.** Denique cum Papa ipsum  
 Imperatorem à praestito juramento, quod  
 omnes Imperatores in sua consecratione, inspe-  
 ctis sacrosanctis Evangeliiis jurare tenentur,  
 absolvere noluit, & Imperator econtra Imperii<sup>10</sup>  
 jura, quae jam parte maximâ in manu potenti re-  
 vocaverat, reddere contempsit, idem Papa in  
 ipsum Imperatorem sententiam excommunica-  
 tionis tulit, & universos tam Alemanniae quam<sup>15</sup>  
 Imperii Romani magnates ab ejus fidelitate  
 absolvit. Haec omnia Paris. Cui tuto possu-  
 mus credere, quoniam & ipso ævo illo floruerit,  
 & valuerit multum prudentia industriaque.  
 Discimus vero hinc præter illud de Ottone,<sup>20</sup>  
 in vulgari juramenti Cæsarei formulâ Romæ  
 tunc usitatâ, fuisse tum illa quæ Otto jurave-  
 rat. Ottonem vero tale quid jurasse, ex Ger-  
 yasii quoque Tilberiensis, quem Imperator  
 Regno

Regno Arelatensi præfecerat, admonitione ad Ottonem haud difficile est collectu. Ita enim ille loquitur: *Si times conscientiam tuam, quasi iniustitiam propter sacramentum Augustale patiatur, consule famam publicam que tibi impinget criminationem de ingratitude,* in Papam scilicet. Simili si non eodem sacramento devinctum fuisse ab ipsomet Papa Fridericum etiam secundum Ottonis æmulum & hostem, patet ex eo, quod cum Sardiniam occupasset, Papæ ex vi iurijurandi de Romanæ Ecclesiæ bonis defendendis sibi facti, illam repenti responderit, *prius se jurasse ad repetendas res Imperii, à quibus cum Sardinia injuste esset abalienata, priori juramento se fortius urgeri.* Quæ omnia plenius narrat Sigonius octavo decimo libro *Histor. Ital.* Hodie tale quid à Cæsaribus coronandis Romæ non exigitur, ceu constat ex Ceremoniali Romano. Fortè etiam post Fridericum illum secundum statim id exigi desinit, quod experimento non uno didicissent Pontifices suis rebus id non satis aptum esse. Videtur vero & in Germania jam tum in simile jusjurandum unumquemque novit electum

etum Regem admissum esse. In Speculi sane  
 Saxonici ( quod illa ætate conscriptum esse  
 alibi demonstravimus ) l. 3. art. 54. ita legitur:  
*Cum rex eligetur jurejurando Imperio homa-  
 gium præstet: & jurare debet, se velle justitiam* 5  
*confortare & destruere injustitiam, & IM-  
 PERII secundum suum posse JURA DE-  
 FENDERE.* Qui sacramento adstrictus  
 est defendere jura, illius arbitrio non relin-  
 quitur alienatio; itaque si & in Germania ob- 10  
 tinuit tunc illud sacramentum cujus memi-  
 nit Auctor Speculi, liquidò patet diserta lege  
 alienandi potestatem Cæsaribus fuisse prohi-  
 bitam. Pertinet quadamtenus ad morem  
 hunc id quod de Guilielmo Hollando in Cæ- 15  
 sare electo narrat Joannes à Beka *Chronici  
 Episcoporum Ultrajectinor. pag. 77. edit. Tra-  
 jectine*, dum militaris dignitas more illius  
 ævi ante Cæsaream inaugurationem ipsi con-  
 ferretur, inter regulas illius disciplinæ hanc 20  
 etiam ipsi sacramento firmandam proposi-  
 tam: *Rempublicam illibatam in vigore per-  
 mittere, feudalia bona Regni vel Imperii NE-  
 QVAQVAM ALIENARE.* Sed  
 si in



si in has leges juraverunt tum omnes militaris ordinis, utique Cæsares vel hoc juramento fuerunt alienare quidquam prohibiti. Sed non est fortasse cur huic quidem argumento multum innitamur, cum de juramento Cæsareo ipso, abunde constet, saltim ab exordio usque seculi tertii decimi.

Nec vero est cur heic quidem simus solliciti de Cæsarium potestate quæ ante illud ævum obtinuit, quoniam de solis alienationibus, quæ fortè post contingere, nobis agendum veniat, nec hujus sit instituti arduum hunc locum, prout alias fieri par est, nunc aggredi. Hinc ne utemur quidem nunc operosis aliis argumentis, ut ostendamus, nullam fuisse jam ab aliquot seculis Cæsaribus potestatem alienandorum Imperii bonorum: qualia cæteroquin non pauca possunt peti ex illa summæ potestatis ratione quæ in Imperio jamdudum obtinuit. Illam enim nequaquam & olim fuisse & hodie esse in unius Cæsaris manu, sed Imperii Ordines illam semper participasse, more antiquitus pene omnibus Germanicis populis recepto, liquidò est manifestum

nifestum. Non multum ante autem demonstra-  
 vimus, si quando divisa ita est summa potestas,  
 ut illa ex parte quidem sit penes unum sed ex  
 parte penes populum, tunc alienationem injussu  
 populi institui non posse. Verum enimvero, 5  
 ceu ante diximus, non est necessum ut illis simi-  
 libusque argumentis nunc utamur, cum seorsim  
 ostenderimus, ipso sacramento hac in re Cæsaris  
 potestatem ab aliquot sæculis fuisse circumscri-  
 ptam, & ab instituto sit alienum operose id nunc 10  
 agere.

Omnino tamen explicatius definiendum  
 est, si non uni Cæsari, cuinam ergo aut qui-  
 bus præter Cæsarem alienandi illud jus com-  
 petat. Itaque hoc ut expediatur, ante omnia  
 accipiendum est, nullam alienationem fieri  
 posse, nisi accedente Cæsaris auctoritate: 15  
 Cujus rei ratio est, quoniam ille caput est rei-  
 publicæ sive Imperii: cujus proinde auctori-  
 tas ut ad aliam omnem reipublicæ administra-  
 tionem, ita sine dubio ad hanc etiam quæ ma-  
 gni adeo est momenti, requiratur. Penes  
 Cæsarem igitur omne omnino alienandi jus 20  
 potiore ex parte est. Ex alia parte autem & penes  
 Electo-

Electores esse, saltem à Carolo Vto usque, liquidò patet etiam vel ex illis verbis Capitulationis quam vocant à nobis productis: quæ fere omnia repetita etiam sunt in Capitulationibus Cæsareis reliquis. Non cœpisse vero hoc juris demum cum Carolo quinto, sed jam ante, & quidem ab illo tempore quo à Carolo quarto Aurea quæ dicitur bulla est condita, argumento est magna illa & prope æmula Cæsareæ Electorum in republica potestas, quæ exinde multum invaluit. Summæ enim potestatis pars eximia inde usque penes Electores fuit utique, ac proinde ad illos non potuit non ex parte alienandi quoque potestas pertinere. Ad hoc certum quoque est, Electores illos sive Officiales inter Principes Germaniæ dudum ante, & quidem etiam tum, quum illis solis nondum esset electio Cæsarea commissa, primario fuisse loco: Principes vero illos Germaniæ nunquam non in partem venisse non sollicitudinis duntaxat sed auctoritatis etiam Regiæ, cum primis à seculo usque duodecimo vim auctoritatemque eorum plurimum crevisse, ut nihil magnæ rei po-

384 DE FINIBUS IMP. GERMANICI  
tuerit agi in republica nisi de illorum consensu.  
Quamobrem vel hoc titulo apud Electores; &  
quidem semper non levi ex parte, jus illud alienandi fuit.

De Electoribus sive Officialibus quidem igitur non est quod dubitemus, saltim à Friderici II Cæsaris ævo usque, sine ipsorum consensu nihil rite alienari potuisse. Incertius est, num hoc jus etiam aliis Principibus atque Ordinibus sit commune; & si aliis, num pari jure Italici cum Transalpinis & imprimis cum Germanicis gaudeant. Non solis Electoribus id juris competere, haud injuria forte ex eo collegeris, quod a primis usque reipubl. nostræ exordiis, ad omnia pariter summæ potestatis munia in publicis conventibus proceres omnes sint tracti, nulla Officialibus qui appellantur aut Electoribus concessa prærogativa usque ad seculum tertium decimum. Exinde hi prælati quidem sunt aliis, attamen quarumvis maximarum rerum consultatio comitiis Imperii publica & communis permansit. Inter maxima autem omnino numeranda est alienandi licentia. Nec vero huic juri suo reliqui proceres

ceres unquam renunciaverunt, aperte quidem. Ne agitatum quidem unquam fuit palam, ut illo cederent. Imo sicubi ab exteris aliisque violata fuerunt Imperii jura, Cæsares identidem injuriam illam conquesti sunt non apud solos Electores, sed Ordines Imperii universos. Quo ipso videntur indicasse, ad omnium judicium pertinere, si quæ fiat Imperii bonis detractio. Quin etiam non adeo pridem cum de alienandis quibusdam fuit actum inter Cæsarem & Gallum aliosque, delatum id negotium est ad conventum publicum, definitumque consensu non Electorum duntaxat sed omnino omnium Ordinum, cum Monasterii tum Osniabrugæ. Non sane exteri quoque illi satis sibi cautum existimaverunt, nisi ubi & aliorum Ordinum probatio accessit.

Ex adverso dixeris, Electoribus hoc quoque præcipuum deberi; quoniam in Capitulationibus quas appellant, nulla aliorum Principum Ordinumque facta mentione, Electorum consensionem se sectaturum Cæsar promittit. Sed fortassis non ea mens est illarum legum, quasi soli Electores à Cæsare sunt

sint compellandi, sed quod hi primario conveniri debeant, ut post factā ab his præconsultationem, ex omnium denique arbitrio aliquid constitutur. In quem sensum & Capitulationum ejusdem notæ omnia solent accipi. Si sane aliunde constet, auctoritatem alienandi reliquis quoque Principibus communem esse, non potest alius sensus Capitulationis admitti. Nec enim Electores, quorum est lex illa, Principibus aliis jura sua ereptum ivere: nec si vellent, ejusmodi quidem legibus potuere illis quidquam præjudicare. Ut sit, cum in Capitulationes serò demum hoc receptum sit, non licet hinc petere argumentum ejus, quod ante Carolum Vtum obtinuit.

Et vero olim promiscue ad omnes Principes jus illud pertinuisse, non est forte quod multum dubitemus. De hodierno tamen statu equidem malo in re dubia nunc *ἐπιχειρῶν*, arbitranda facultate aliis relicta. Quod si vero ad Principes alios etiam jus illud vel etiamnum pertinet, vel olim pertinuerit, tutius definieris illud, quod itidem consultandum proposuimus, num scilicet & in quantum ad Italicos Germanicosque

nicosque Principes jus illud spectet. Etenim  
 saltim prærogativam deberi Germanicis, & ad  
 hos ex parte spectare omnium omnino etiam I-  
 talicarum rerum curationem, justum utique est,  
 utpote quum horum sanguine & studio omnia,  
 5 quæ vel in Gallia vel in Italia Imperialis sunt ju-  
 ris, fuerint acquisita & in commune reipublicæ  
 corpus pertracta. Accedit, quod omni secuto  
 ævo, quotiescunque de rebus etiam Italicis con-  
 10 stituendum aliquid fuit majoris momenti, sem-  
 per ex consilio & auctoritate Germanicorum  
 etiam Principum omnia gesta fuerint: quod in-  
 finitis exemplis facile ostensu est. Huc facit,  
 quod Italia omnem pene potestatem Cæsaris  
 aut Regis constituendi, adeoque ejus qui & Ita-  
 15 lis omnibus imperandi jus habeat, uni Germa-  
 niæ citra omnem controversiam numquam  
 non concesserit, ex quo ab Othone fuit devicta.  
 Hinc jam olim Friderico I Cæsare Mediolanen-  
 20 sibus suis Comes Blandratensis objecit illa, quæ  
 refert Guntherus l. 8

*Reges Alemannia nobis  
 Urbibus It. li is leges & jura daturus*

Ecc

Mitte-

*Mittere rite solet: postquam de partibus illis  
Carolus, & magni Regnum surrexit Othonis,  
Ausoniaq; sui Reges capere corona  
Teutonici.*

Apud eundem Guntherum l. i ita nescio quis al- 5  
loquitur Germaniæ proceres.

*Ex quo Romanum NOSTRA virtute re-  
demptum,*

*Hostibus expulsis, AD NOS justissimus ordo  
Transtulit Imperium; Romani gloria Regni 10  
Nos penes est. Quemcunq; sibi Germania Regē  
Præficit, hunc dives submisso vertice Roma  
Suscipit, & verso Tiberim regit ordine Rheng.*

Numquam tamen ita Germaniæ Cisalpina illa  
fuerunt unita, ut omne omnino reipublicæ suæ 15  
arbitrium uni Germaniæ commiserint. Semper  
enim & illis sua comitia fuerunt, in quibus res  
maiores componerentur: quamdiu quidem pri-  
sco more unum reipublicæ corpus unamque  
republicam aluerunt. Ita scilicet illa cum  
Germanicis aliisque Transalpinis fuerunt unita, 20  
ut hisce quidem, præcipuum aliquod jus in o-  
mnia datum, illis tamen in sua & proprium ali-  
quod semper superstes manserit. Quod fide ac  
testi-



testimonio optimorum monumentorum haud  
 adeo difficile probatu est. Verum Italici ali-  
 quamdiu nulla communia comitia instituerunt,  
 huc illuc in partes divisi, adeoq; communis rei-  
 publicæ nulla ipsis curatio fuit. Germanicis ju-  
 5 ra sua integra manserunt, nisi forte illa ad solos  
 Electores transire passi sint. Quicquid vero hujus  
 sit hodie quidem; non videtur citra Germaniæ  
 consensum ullam omnino hæctenus Imperii par-  
 10 tem potuisse abalienari, ubicunque illa fuerit lo-  
 corum sita: videtur tamen & Italicorum con-  
 sensu opus si quid in Italico Regno fuerit alienan-  
 dum. Burgundici & Lotharingici Regni dispar  
 ratio est; quoniam hæc cum Germanico arctius  
 15 coaluerunt, & quidem ita ut singularia sibi co-  
 mitia publica ad modum Italici haud serva-  
 verint.

HISCE pro ratione instituti sic expositis, li-  
 cet jam & *Alterum* illud quod expediendum su- II.  
 perest, Num scilicet *usum publicum spectet Im-*  
 20 *perii administratio, an vero Imperantis commo-*  
*dum*, verbo absolvere. Etenim ubicunq; sua est  
 comitiis auctoritas, non solet neq; potest respu-  
 blica ad eorum usum, qui magistratus officio  
 Eec 2. etiam

etiam summo funguntur, vel unice, vel etiam potissimum institui: sed saltim illorum salus quæritur, qui comitiis interfunt, si non & aliorum. Igitur cum non uni Germaniæ locus fuerit in comitiis, sed ad sua omnia semper admiserit Burgundici & Lotharingici regni proceres, & quidem ex æquo admiserit: facile patet, horum non minus atque Germaniæ Ordinum salutem, nequaquam vero solius Cæsaris commodum, Imperio Transalpino propositam esse. Non dispar ratio est Italici regni: quippe quod maiorum etiam comitiorum cum libertate tum auctoritate semper olim floruerit. Nec vero est, quare velis Germaniæ tribuere in reliqua omnia herile aliquod jus, propterea quod illa victricibus suis armis reliqua subegerit. Non enim victoriæ semper idem scopus aut eventus est. Alii domiti sunt ut seruiant, alii ut parent, alii ut in communia societatis jura transeant. Quibus nullum in Comitiis Imperii suffragiorum jus est, quia illi vivant conditione, non est hujus loci ut vel moneamus, utpote quum ad nostrum institutum non attineat. Et vero de omni statu populorum Imperii Germanici

manici, ut & de legibus in quas illi uniti sunt, proprius disputandi locus est, ubi de Ordinibus & Comitibus Imperii agitur: quod argumentum amplissimum quidem est sed à proposito alienum. Nobis in viam redeundum unde digressi sumus.

## CAPUT XX.

*Bona Pontificibus Romanis donata non omnino Imperii limitibus excidisse per ulla Caesarum dona.*

**I**N diversas forte reprehensiones incurrimus apud eos qui legerunt quæ modo attulimus. Aliis enim illa justo breviora, aliis prolixiora debito queant videri. Cæterum fatemur ultro, longe exactius illa & posse & debere tractari, sed alibi, & loco suo. Hic vero nec omitti plane potuerunt, ne salebræ passim remorentur institutum nostrum sermonem: nec plenius tradi debuerent, ne *παρρηγοί* ipso fiat majus, quo nobis quidem nihil magis invisum est. Fatemur etiam, potuisse multa brevius proponi, imo & omitti potuisse omnia, modo lectores plerique satis jam tum ab iis instructi essent. At quoniam in

Ecc 3 quam

quam multis multa merito desideres, defecandum fuit illorum iudicium saltim aliqua ex parte, prius reliqua illi quam aggrediantur. Quod si qui tamen iam instructi satis accesserint, (quales utinam fuerint omnes!) poterunt illi sine damno suo isthæc prætermittere; modo nobis non succenseant quod & imperitorum aliquam rationem habuerimus.

I G I T V R quod superest expedituri, definiemus deinceps limites Imperii, quales illi ab ævo Friderici secundi Cæsaris ad nos usque sese<sup>10</sup> habuere. Exordium vero novi operis nobis Italia, & in hac ea pars quæ Papæ cecit, merito præbet, quod hanc dignitatem quasi exigat sibi Vrbs Roma, nullumque aliud regnum<sup>15</sup> perinde sit controversi juris. Principio igitur videndum fuerit, num ea quæ dono Cæsarium possidet Papa per Italiam, sint adhuc intra limites Imperii comprehensa. Exempta illa esse, & unius Pontificii juris, à quamplurimis<sup>20</sup> hodie creditur, & ut ita loquar, *ἡμῶν ἀφελέ* afferitur. Imo jam tum ab aliquot seculis id qui docerent haud defuerunt, iique non infimæ dignitatis aut eruditionis doctores, cum pas-  
sim

sim terrarum alibi tum in Italia præcipuè & curia Papali. Quorum cum magnus splendidusque numerus possit produci, vel illo uno tot illustrium scriptorum testimonio videatur illa sententia jure posse adstrui. Adferuntur vero præterea ad eandem confirmandam & donationes Cæsarum, & longi temporis præscriptio, & alia denique nonnulla. Quæ nunc ordine examinabimus.

10 Igitur ad Fridericum quidem II Cæsarem usque non ulla donatione, non ulla præscriptione, regiones illas Imperii fuisse juribus subductas, sed in ejus mansisse ditione & finibus, satis est à nobis integro capite decimo  
15 jam ostensum. RUDOLPHO Habsburgico Cæsare quoniam primum post Fridericum illum repetita aliqua est donatio, illa ante omnes excutienda venit. De Rudolpho isthoc narrat Bzovius ad ann. 1274. num. 13. ex nescio quo Codice Vaticano, quod per Legatum Episcopum Spirensem in Concilio Lugdunensi, *omnia jura, privilegia, immunitates, libertates, bona, possessiones, civitates & provincias Apostolica Sedi à prædecessoribus Imperatoribus, præsertim*  
20 *Ottone*

*Ottone IV & Friderico II datas concessasque, nec non juramentis & tabulis publicis confirmatas, Gregorio X Pontifici confirmaverit & renovaverit.* Narrat idem ad annum 1275 num 13, ipsummet Rudolphum illi Gregorio Lausannæ tum degenti coram omnia illa per tabulas quæ hodie in castro S. Angeli servantur, promississe, cereo addito sigillo, donec post coronationem aurea bulla omnia signarentur. Idem repetitum esse Romæ anno 1278 per legatum ad Nicolaum III Papam missum, narrat Bzovius in historia illius anni numer. X. In sequentis anni commentario num. 1, tradit Bzovius, in conventu publico Ordinum Imperii Viennæ tabulis aurea bulla obsignatis, quæ existunt in castro S. Angeli, à Rudolpho omnia denique confirmata. Tabularum ipsa verba non exhibet Bzovius, summam tamen earum describit, quam huc non possumus non adducere, rei magnitudine id flagitante, præsertim quum ad hoc exemplum formatae dicantur Tabulae secuta ætate à Cæsaribus exaratae. *Satis, inquit, superque disertis verbis confitebatur, Rudolphus, quia ad magni.*

magnificentiam munerum & gratiosam quodammodo ineffabilem largitatem, que Imperatores Romani & predecessores sui Reges Romanorum de Romana matris Ecclesia uberibus susceperunt, spectare videbatur, ut & ipsi velut devoti filii faciem gratitudinis erga matrem Ecclesiam converterent: maxime quod eadem Ecclesia ipsos in dulcedine benedictionis prævenerit, Imperiumq; de Gracis in Germanos transferens, 10 eisdem quod illorum fuerat dederit: ut isti quoq; nonnulla eidem Eccl. grati animi causa concesserint, donaverint, confirmaverint: scilicet totam terram qua est à Raticosano usque Ceperanum, Marchiam Anconitanam, Ducatum Spoletanum, 15 Terram Comitisse Mathildis, Comitatum Bretenorii, Exarchatum Ravenna, Pentapolim, & Massam Trebariam cum adjacentibus terris possessionibus ac locis; descriptis in privilegiis Imperatorum, à temporibus Ludovici usque ad presens. Quamobrem & ad se quoque 20 pertinere testabatur, eadem omnia Sedi Apostolica non tantum confirmare, verum quantum opus fuisset, de novo concedere, & ut eius regales actus in omni claritate procederent, & omnis

Eff

obscu-

obscuritas, quam frequenter generalitas con-  
 suevit inducere, Imperiali expressione tollere-  
 tur, & jura Sedis Apostolica per Imperatoriam  
 declarationem, quam perpetuam fore decerne-  
 bat Rudolphus, solidarentur: recognoscebat, fa- 9  
 tebatur, & oraculo presentis edicti ad aeternam  
 memoriam declarabat, prater omnia supra nu-  
 merata, civitatem Ravennatensem, Æmiliam, Bo-  
 bium, Casenam, Forum Populi, Forum Livium,  
 Faventiam, Immolam, Bononiam, Ferrariam, 10  
 Comaclum, Adriam, Gabellum, Ariminum, Vr-  
 binum, Montem fereti, & territorium Balnen-  
 se, Provincias, Civitates & loca cum omnibus  
 finibus, territoriis, atque insulis, in terra ma-  
 rique ad predictas civitates, territoria, & loca 15  
 supra dicta, quoquomodo pertinentibus, ad B.  
 Petrum Principem Apostolorum & ad eun-  
 dem Nicolaum III Pontif. Max. successo-  
 resque ipsius atque ad ipsam Romanam Ecclesi-  
 am **PLENO JURE AC INTEGRÈ**, non 20  
 solum in spiritualibus, verum etiam in tempo-  
 ralibus spectare, ac ipsorum **PLENI JURIS**,  
 ditionis ac principatus existere. Insuper ad  
 omnem dubitationis scrupulum in posterum  
 abo-



abolendum, ut & ipsius Imperialis devotio erga matrem Ecclesiam Romanam innotesceret, praedicta omnia & singula, tam propriis seu specialibus provinciarum, terrarum, civitatum, & locorum expressa vocabulis, quam etiam non expressa, prout melius valere & efficacius intelligi potuisset, B. Petro & ipsi summo Pont. Nicolao III ac Successoribus illius, nec non Romana Ecclesia LIBERE & PLENARIE, quantum opus erat, de novo concessit contulit & donavit: ut sublatam omni dissensionis & contentionis materia firma pax, & plena concordia, inter Ecclesiam & Imperium jugiter perseveraret. Actum & datum Vienna XVII Cal. Mart. ann. 1279 Indict. 7. Regni VI, presentibus consentientibus & diplomati subscribentibus Friderico Archiepiscopo Salizburg. Joan. Chimen & Bernard. Segouen. Episcopis, Rudolpho regia Curia Cancellario, Magistro Gothifredo Praeposito Soliensi Regionis Protonotario, Abbate Monten. Archidiacono Tridentino, Alberto & Hermanno fratribus Comitibus & Chiburgen. Comitibus filiis Landgravii Holsatie, Friderico Burgravio Nurembergen. Marchione Oothergen. & compluribus aliis.

398  
*lius*. Subjungit mox Bzovius: omnia illa in ta-  
 bulis Rudolphinis enumerata, pleno jure ad Se-  
 dem Apostolicam spectare, decrevisse, suisque li-  
 teris testatos esse Principes Imperii, Henricum  
 Trevirensis, Suffridum Coloniensem, Wernic- 5  
 rum Moguntinum Archiepiscopos, Ludovi-  
 cum Comitem Palatinum Rheni, Joannem &  
 Albertum Duces Saxoniae, Joannem & duos Ot-  
 tones Marchiones Brandenburgenses. Diplo-  
 mata, ait, singulorum cereis sigillis, eodem anno 10  
 signata extant in archæo molis Hadriani. Ad-  
 dit deinde ipsa diplomatis Principum verba.  
 Vbi post alia complura, cum primis ad anti-  
 quam Cæsarum & novam Rudolphi concessio-  
 nem pertinentia, hæc digna notatu occurrunt: 15  
 Nos nostri nomine Principatus in omnibus ac  
 per omnia approbamus & ratificamus, ac iisdem  
 omnibus & singulis, & quibuscunque aliis super  
 eisdem, per eundem Regem quoquomodo factis,  
 & in posterum faciendis, voluntatem nostram, 20  
 assensum, atque consensum unanimiter & con-  
 corditer exhibemus; & promittimus, quod con-  
 tra præmissa vel aliquid præmissorum nullo un-  
 quam tempore veniemus. Sed ea omnia & sin-  
 gula

gula pro posse nostro procurabimus inviolabiliter  
 observari. Et ut hac nostra voluntas, appro-  
 batio, ratificatio, assensus atque promissio, a no-  
 bis eisdem Romanis Pontificibus & Ecclesia in  
 5 perpetuum observentur, hoc presens scriptum  
 inde fieri fecimus, & nostrorum sigillorum mu-  
 numine roboravimus.

Hæc omnia ita quidem Bzovius. Verum-  
 enimvero cum illo quidem non est ut tuto li-  
 10 ceat in tenebris micare. Fidem hominis dubiam  
 pridem reddidit doctissimus Hervartus, ne de  
 aliis nunc dicam. Et vero, utique tabulas illas  
 Rudolphi, quas ita confidenter asservari in ar-  
 chivo ille affirmat, ipse non vidit: alioquin illas  
 15 produxisset. Subscriptiones porro corruptis  
 nominibus & titulis satis indicant, non descri-  
 ptas illas ex autographo aliquo. Tabulas Prin-  
 cipum itidem non vidit ipse: sed eas jam Baro-  
 20 ronius recitaverat tomo X. anno 996 num. 44. &  
 seq. Cujus verba de literis illis hæc sunt num. 43:  
 Extant literæ Marchionis Brandeburgensis u-  
 ninus ex Electoribus, quarum hic est titulus Otto  
 Marchio Brandenburgensis universis presentem  
 paginam inspecturis. Data autem, ut in fine  
 Fff 3 habe-

habetur, Anno millesimo ducentesimo septuagesimo nono, pridie Id. Septembr. annq̄ Rudolphi Imperatoris. Alia Joannis & Adalberti Ducum Saxonie eodem titulo, dataque eodem anno, die vero & mense diverso, nempe decimoquarto Kalendaras Aprilis. Alia Comitis Palatini Rheni, eodem die data & anno. Juxta quam prescriptam, ab istis formam & reliqui Electores scripsere. Quibus omnibus pariter confirmant donationes factas, vel innovatas à Rudolpho Romanorum Rege & aliis predecessoribus Imperatoribus Romana Ecclesia. Extant ipse in scripto codice eodem tempore una cum aliis monumentis, de donationibus & privilegiis à diversis Ecclesia Romana factis, que asservantur seorsim à Vaticana Bibliotheca Rome in castello S. Angeli, locotutiore, ubi selecta majoris momenti monumenta recondita habentur, ne pereant. Hæc Baronius: ex quo uno tabulas illas sine dubio Bzovius deprompsit. Vbi notandum primo occurrit, Baronium fateri descriptas illas ex codice quodam Vaticano, Bzovium id dissimulare: deinde Baronium memorare unum tantum Ottonem Brandenburgicum, Bzovium duos & Joan-

Joannem nempe Marchionem: tertio Baronium non meminisse disertis quidem verbis trium Electorum Archiepiscoporum, quod facit Bzovius. Quarto cum expresse fateatur Baronius seorsim & diverso tempore scriptas Brandenburgici & Saxoniorum literas, distinctas quoque fuisse literas Palatini, Bzovius itidem affirmet *singulorum* diplomata asservari: Vterque tamen non dubitavit ita illas producere quasi multi simul easdem condiderint. Nam Baronius ita illas orditur: *Ludovicus Dei gratia Comes Palatinus Rheni, Dux Bavaria, Joannes & Adelbertus Duces Saxonia, Otto Marchio Brandenburgensis, universis presentem paginam inspecturis salutem in auctore salutis. Complectens &c.* Bzovius ita: *Nos Principes Imperii universis presentem paginam inspecturis. Complectens &c.* Vterque porro, Bzovius pariter & Baronius, illas producunt loquentes semper in plurali numero: quod non est conveniens literis, si quidem singuli Electores singulas miserunt. Quæ utique falsimonix luculentissima sunt testimonia.

Cæterum esto. Admittantur ut gentinæ.

*Pri-*

*Primum* id certum est, probari non posse, omnes Imperii Ordines isthac ætate consensisse in ejusmodi donationem. Horum autem, non vero solorum Electorum, consilio & approbatione fuisse tunc opus ad donationis robur, 5 jam ostendimus. Narrat quidem Bzovius, *Consensu publico* illas Rudolphi literas exaratas, item *presentibus consentientibus & diplomati subscribentibus Friderico Archiepiscopo &c.* At vero ipsa illa paucarum manuum subscriptio significat, vel non venisse negotium ad omnium notitiam, vel non omnes consensisse. 10 Desideratur enim utique plerorumque & maximorum Principum manus. Nec in ipsis tabulis fit mentio impetrati Principum consensus, cum tamen in Friderici II tabulis apud Bzovium ad annum 1213 num. 2. ita legetur : *Omnia supradicta, & quaecunque alia pertinent ad Romanam Ecclesiam, de voluntate & conscientia consilio & consensu Principum Romani Imperii libere illi dimittimus, renunciamus & restituimus.* 15 20

*Secundo*, nihil ad Papam hac quoque donatione pervenit præter utile dominium summi

summi vero Imperii auctoritas translata non est. Habetur quidem in illa Tabularum Rudolphinarum Bzoviana Summa, quasi *plenum jus* sit concessum. Sed incertum est num  
 5 illa verba tabulis sint inserta. Nam Bzovius quoque narrat, in tabulis etiam Principum decretum, *pleno jure ad Sedem Apostolicam omnia pertinere*: & tamen illa in Tabulis istis haud  
 10. occurrunt. Ut vero illa verba ibi habeantur, tamen multis modis patet, non ultra domini  
 15. utiliter limites plenum illud jus extendendum esse.

Principio enim cum à Rudolpho nihil aliud flagitaverit antehac Papa quam confirmationem tabularum Ottonis IV & Friderici  
 15. secundi, nec ille aliud promiserit, ex horum tabulis etiam hæ interpretandæ veniunt. Jam vero Ottonis IV ad annum 1209 num. 2. Friderici autem ad annum 1213 num. 3. & 4. recitat  
 20. quidem Bzovius: & in utrisque conferuntur Papæ illa bona *cum omni jurisdictione districtu & honore suo*, illa tamen etiam verba ad solum utile dominium pertinere produnt. quæ statim semper subjunguntur: *Veruntamen*

Ggg

cum

*cum ad recipiendam coronam Imperii vel pro necessitatibus Ecclesie ab Apostolica Sede vocati venerimus, de mandato Summi Pontificis recipiemus procurationes sive fodrum ab ipstis.* Fodri enim exactio domini utilis pars est: 5  
camque solam Cæsares exceptam voluerunt recepturi coronam aut Pontificis rogatu venientes. Hactenus scilicet magna pars bonorum istorum, etiam utili aliquo dominio & jurisdictione omni, possidebatur à Cæsaribus, 10  
reliqum omne, non minus ac aliorum Principum Ecclesiasticorum terra aliqua, exactionibus Cæsariis promiscue omnibus obnoxium erat. Quum illo solo onere itaque levare sese ha- 15  
ctenus statuissent Papæ nonnulli, sed frustra, pacis causa tandem id indultum ipsis est, primum ab Ottone mox à Friderico. Quorum ille aliter à Cæsarei juris peritis institutus, paulo post dominum utile multorum loco- 20  
rum repetiit: hic terram Mathildis & multa alia demum anno 1221 in manus Nunciû Pontificiû resignavit, teste ipso Bzovio, & deinde tamen sibi recuperavit. Denuo itaque cavit Rudolphus Pontifici, nonnullis in eadem jura additis.



ditis. Idem vero ex eo quam maxime liquet, quod in Tabulis illis; ut & in secutis aliis, summo Imperii juri numquam sit discretis verbis renunciatum, ex aduerso autem ipsi Pontifices summam illam auctoritatem semper confessi sint; ut infra pluribus adstruetur. Huc facit quod Rudolphus anno 1278 Carolo Siculo Regi Senatoris titulo Urbem Romanam gubernanti, dignitate illa interdixerit, idque Pontifice Nicolao approbante, quod late narrat Bzovius ad annum illum num.9. Non potuisset autem hoc ullo jure Rudolphus, nisi summa Imperatoria auctoritate salva. Neque obstat huic, quod Rudolphus Cancellarii sui factum, qui in verba Cæsaris jurare fecerat complures urbes Pontificii juris, irritum pronunciauerit, teste eodem Bzovio num.12. Juramentum enim illud pertinuit ad dominium utile & jurisdictionem, quo utroq; Cæsares hactenus fuerant usi.

*Tertio*, quamvis nulla clausula dominio utili aliqua ex parte videatur Imperio consuluisse Rudolphus, illud tamen de fodri exactione ab Ottone & Friderico in Imperii

usum publicum reservatum, non esse remis-  
 sum docet usus sequentis ævi; utpote quum  
 Papæ non gravati fuerint coronandis Cæsa-  
 ribus fodrum illud suppeditare. Quamvis  
 etiam Rudolphus multa præter morem pos-  
 sidenda Pontifici tradiderit, eoque opima Im-  
 perii bona fisco regio fuerint subducta, si  
 tamen scriptoribus aliis credimus, factum id  
 est certis additis conditionibus. Diserte  
 Aventinus *lib. 7. Annal.* cum narrasset, prætex-<sup>10</sup>  
 tu belli sacri gerendi Gregorium Decimum  
 Papam à clero omni & monachis decimas  
 extorsisse, nisi quod eas nonnulli redemissent,  
 ita pergit: *A ceteris omnibus decima superbe  
 atque avaro exacta; & licet Decimus eodem*<sup>15</sup>  
*anno animam efflasset, nihilo secius tamen Ro-*  
*mani flamines decimas per sex annos, extorta*  
*per vim pecunia, à Germanis emunxerunt. Ru-*  
*more dissipabant se suo periculo atque stipendio*  
*Palæstinam, Ægyptum, Asiam, Africam,*<sup>20</sup>  
*erepturos Turcis Sarracenis Tartaris. Quamo-*  
*brem & Rudolphus, ILLA LEGE atq; omi-*  
*ne primario sacerdoti dono Romam, præfectu-*  
*ras, Ducatus, Vrbes, Regiones Italia hæctenus*  
 Impe-

Imperatoribus parentes ( Romaniolam Marti-  
 nus vocat ) qua quotannis millia drachmarum  
 auri septingenties pensitarant, concessit. Quem-  
 admodum & Imperator Maximilianus anno  
 5 abhino decimo Principibus aperuit, edicto que  
 dato ex Oenobriga 13. Kl. Aug. anno Christi 1511  
 conquestus est. Dum eodem anno ad Calendas  
 Septembris Pisam adversus Julium secundum  
 Pontif. Max. Senatum Christianum, novem  
 10 Romani flamines, idem Maximilianus, atque  
 Ludovicus Francia Occidentalis Rex convoca-  
 rent, pro reformatione morum ( ut eorum ver-  
 bis utar ) universalis Ecclesia in capite & mem-  
 bris plurimum collapsorum, ac emendationi cri-  
 15 minum gravissimorum, interiorum, continuo-  
 rum ac incorrigibilium, universalem Ecclesiam  
 enervantium. Sed ego heic missa faciam: extant  
 hujusmodi diplomata; qui curiosus & ea legere  
 velit, inquirat & ipse. Hæc Aventinus. Quæ si  
 20 ita sese habent, ne utile quidem dominium Bo-  
 noniæ & Romandiolæ acceperit Pontifex aliter  
 quam titulo oneroso, idque in commo-  
 dum in-  
 signe totius Imperii.

Nihil hujus habet quidem Bzovius in sua

summa : sed ejus silentium non meretur oppo-  
 ni Maximiliani laudatissimi Cæsaris voci & que-  
 relæ publicæ. Sine dubio non nisi gravi caussa  
 permotus, ultra Ottonis & Friderici liberalita-  
 tem, bonorum Imperii prodigus adeo fuit Ru- 5  
 dolphus. Bzovius tamen tomo 19 in historia  
 anni 1530, acta coronationis Caroli quinti di-  
 scribens, non dubitavit ea de re num. 3. ita refer-  
 re : *Rudolphus primus ex Austriaca stirpe  
 Habsburgia Imperator, accepti gratius beneficii 10  
 à Gregorio X collati ; videlicet quod Paulum  
 Castellum Principem Nabartium, habitu Fran-  
 ciscano ( ut res occultior securiorve esset ) in-  
 dutum ad se miserit, deque futura electione  
 admonuerit, operamque suam omnem ad eam 15  
 dignitatem consequendam obtulerit, ut Joannes  
 Baptista Collecipolius in Fastis suis memorat ;  
 quod, audiens congregatos esse Imperii Princi-  
 pes, & petierit & mandaverit, ut sincera pu-  
 raque electioni intenderent, ac tam Ecclesia 20  
 quam Imperio providerent, adeoque Rudol-  
 phum Imperatorem eligerent, ut Cuspinianus  
 scripsit, quod denique audita electione ipsius, ut  
 res illius consilio suo & opera constabiliret, non-  
 nisi*

nisi eodem Paulo Castello socio & conscio, privatus ad fines Germania usque, occultata alieno habitu majestate Pontificia processerit, eique animum ad res preclare suscipiendas, ut Petrus  
5 Messias insinuat, addiderit, adeoque Imperatorem fecerit. Hujus, inquam, beneficii memor Rudolphus, ex Tabula confirmationum seu donationum, quas ANTE SE CVM CERTIS ONERIBVS Romana Ecclesia Casares offerebant, omnibus his  
10 abrogatis, pure, simpliciter, absolute, sine ullis conditionibus aut oneribus, eadem concepit dedit obtulit confirmavit: suadente Paulo Castello Romana Sedis studiosissimo. Ita quidem Bzovius. At non est verisimile, Rudolphum unius privati commodi causa voluisse rei  
15 publicæ juribus multum adeo detrahere: aut in Rudolphi gratiam Electores Principes in illud facinus consensisse, quo haud aliud temere magis iniquum & venia nulla dignum invenias. Sed & nonnulla eorum, quæ de  
20 Gregorii studio in Rudolphum narrantur à Bzovio, fabulis per sunt similia; carent sane testimonio fide digno. Nec vero quisquam forte ante Bzovium de Rudolpho impia adeo suspi-  
catus

410 DE FINIBUS IMP. GERMANICI  
catus est. Itaque totum hoc videtur deberi Bzo-  
vianis commentis. Tutius utique credi potest  
Maximiliano Cæsari, allectum Rudolphum pro-  
missis illis (etsi vana fuisse eventus docuerit) à  
Papa in sacrum bellum subsidiis, affirmanti. 5  
Accessit haud dubie petentis Papæ inportuni-  
tas, & memoria tot funestorum tumultuum,  
qui inter Cæsares & Papas de bonis hisce fue-  
runt ab aliquot seculis, cum primis Ottone quar-  
to & Friderico II regnantibus, exorti. Illa 10  
certe antea acti temporis memoria non potuit  
non terrere in futurum. Vt tranquillitatis pu-  
blicæ interfuerit, jacturam facere eorum quæ  
servari non poterant contra vim Papalem, nisi  
cum summo reipubl. periculo. Vt sit, nec 15  
donatio illa vim habet, utpote quæ ab Impe-  
rii Principibus non est confirmata: nec Impe-  
rii summæ quidem auctoritati per eam quid-  
quam decessit.

Post Rudolphum etiam ALBERTVS<sup>20</sup>  
tabulas aliquas Pontifici Bonifacio IIX fer-  
tur dedisse anno 1303. Meminit quidem il-  
larum Bzovius in illius anni historia: sed non  
nisi paucis verbis earum summam atigit.  
Baroni-

Baronius partem illarum recitat ad annum 996  
 num. 4. unde eam transcripsit in sua Goldastus:  
 sed illa nihil facit ad nostrum negotium. Ba-  
 ronius addit: *Confirmat itidem privilegia ab*  
 5 *eodem Rudolpho & aliis Imperatoribus eidem*  
*Ecclesia Romana concessa. Ratiſicat que ſta-*  
*tuta fuerant per Ludovicum Imperatorem*  
*Paschali Papa, & per Ottonem Joanni Ponti-*  
 10 *fici. Et poſt reverentiam Patri exhibitam,*  
*& filialem amorem inſinuatam, Eccleſie jura*  
*defendit, & libertatem ejuſdem Eccleſie defen-*  
*ſurum adverſus quoscuſque ejuſdem perturba-*  
*tores, adverſus quos bella movere, ſi opus ſit,*  
 15 *pollicetur, ſpondens ſuum cum exercitu in Ita-*  
*liam adventum, ſi placeret. Hæc Baronius.*  
 Unde diſcimus, nihil novi ab Alberto datum, ſed  
 vetera tantum & patris domæ eſſe ratihabita. An-  
 tiqua autem illa Cæſaream auctoritatem plane  
 confirmant: & Rudolphi donum utut nimis  
 20 ſit pingve, ſummo Cæſareo juri nihil detrahit:  
 itaque nec per Albertum quidquam illi de-  
 ceſſit.

HENRICI Septimi tabulas ipſas ſuo quidem  
 loco itidem non habet Bzovius: at vero reci-  
 tat

tat ille ad annum 1336 prolixas Ludovici IV Cæ-  
 saris literas ad Benedictum XII Papam, quibus  
 reconciliationem suam expetiit, & ad 1355 annum  
 Caroli IV tabulas Papæ transmissas, quæ utræ-  
 que insertas illas Henrici complectuntur. Ne  
 fraudare velle videamur quenquam rerum ejus-  
 modi æquum & veri cupidum judicem, recita-  
 bimus illas hoc loco quales à Bzovio accepi-  
 mus. Licet enim nonnihil possint videri proli-  
 xiores, tamen vitandæ suspicionis omnis causa,  
 ne verbulum quidem detrahemus.

*Sanctissimo in Christo Patri & Domino  
 suo, Domino Clementi Sacrosanctæ Romanæ ac  
 Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Henri-  
 cus Dei gratia Romanorum Rex semper Au-  
 gustus, cum reverentia debita, devota pedum  
 oscula beatorum. Ferventi desiderio cupientes  
 Sanctitatis vestra pedibus, & Apostolica Sedi  
 toto corde & animo zelum nostræ reverentia,  
 fidei, & devotionis offerre, vestris sanctis mo-  
 nitis exhortationibus & mandatis, nos pro viri-  
 bus cooptando, & honorem vestrum, & Sanctæ  
 Romanæ Ecclesiæ & aliarum Ecclesiarum jura  
 diligere, & pro posse protegere & servare; at-  
 tenden-*



tendentes propensius, quod nihil est, quod lumine clariore praeferat, quam recta fides in Principe, nihilque est, quod ita nequeat occasui subicere, quam vera religio: Et quod ad Dei timorem servandum, mandataque ejus custodienda factus est omnis homo, sed precipue Imperialis Et Regalis potestas, quae a Domino Deo est Et ad ejus ministerium exequendum, Et ad fidem Et reverentiam sui nominis dilatandam in omnes regiones Et regna: promittimus Et obligamus nos cum omni efficacia Deo omnipotenti, Vobisque Domino nostro Clementi summo Pontifici, vestrisque successoribus, Et Sacrosanctae Sedi Apostolicae Et Romanae Ecclesiae, quae Ecclesiarum omnium est caput Et magistra, quod sacrosanctam Catholicam Et Apostolicam Ecclesiam, Fidemque Catholicam fundatam super fundamentum Apostolorum Et Prophetarum, ipso scilicet angulari lapide Christo Jesu, in quo omnis edificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino, in cuius nomine omne genu flectitur, caelestium terrestrium Et inferorum, nec est nomen aliud sub caelo in quo salvari oporteat

Hbb 2

creden-

credentes, toto corde & animo, pura fide & san-  
 cta intentione conseruabimus, reuererimus  
 atque defendemus totis viribus, & toto posse: ac  
 omnem heresim & schisma, extollentem se con-  
 tra sanctam Catholicam & Apostolicam Eccle-  
 siam exterminabimus pro viribus: ac omnes ha-  
 reticos cuiuscunq; secta & conditionis existant,  
 facies quidem habentes diversas, sed caudas ad  
 invicem colligatas, quibus vineam Domini Dei  
 Sabaoth perdere & vastare nituntur, omnesque  
 fautores, adiutores, valitores, & receptatores,  
 ac defensores eorum; & quod nullo tempore  
 conjungemur confœderabimur parentela vel  
 fœdere, vel unione quacunque, cum quocunque  
 Sarraceno vel pagano, vel schismatico Rege,  
 vel Principe, vel quocunque alio, fidei Catholica  
 communionem non habente; neque cum aliquo  
 rebelli vel inimico ipsius Romane Ecclesie, vel  
 eidem manifeste suspecto. Item promittimus  
 & obligamus nos omni efficacia & effectu, quod  
 personam vestram, statum & honorem & suc-  
 cessorum vestrorum, contra quemcunq; seu quos-  
 cunque homines, cuiuscunque status præeminen-  
 tia, vel dignitatis existant, conseruabimus, de-  
 fende-

fenderibus, manutenebimus: nec non omnia privilegia Regum & Principum & Imperatorum Romanorum praedecessorum nostrorum, cujuscunque tenoris vel continentia existant, quocunque tempore, concessa Sanctae Romanae Ecclesiae, ac Romanis Pontificibus, & Sedi Apostolica, & quibuscunque Ecclesiasticis Prelatis & Ministris ipsorum, conservabimus & manutenebimus, nec in aliquo unquam tempore contraveniemus, vel aliquem quantum in nobis erit, venire permittemus, quacunque occasione, vel titulo allegato juris vel facti. Imo ad perpetuam rei memoriam, & sanctae Ecclesiae securitatem, atque cautelam, ipsa privilegia omnia, pro nobis & successoribus nostris ratificamus, confirmamus, recognoscimus, innovamus, & denuo concedimus, prout melius & plenius possumus, ex certa scientia, ac omni efficacia, & effectu: volentes, ac etiam decernentes, quod ipsa generalis ratificatio confirmatio, recognitio, innovatio, & de novo concessio perinde robur obtineat perpetuae firmitatis, ac si omnia & singula privilegiorum verba singulariter, & expresse, ac de verbo ad verbum praesentibus inserta fuissent. Specialiter

autem & expresse, cum omni efficacia & effectu  
 supradictis, ratificamus, confirmamus, recogno-  
 scimus, innovamus & denuo concedimus omnia  
 privilegia Constantini, Caroli, Henrici, Ottonis  
 quarti, Friderici secundi, atque Rudolphi Re- 8  
 gum & Principum seu Imperatorum Romano-  
 rum, quocumque tempore concessa super quibus-  
 cunque, cujuscunque continentia vel tenoris exi-  
 stant, Sancte Romana Ecclesia Romanisque  
 Pontificibus & Apostolica sedi. Promittimus 10  
 etiam & obligamus nos eam omni efficacia & ef-  
 fectu, omni modo & forma, quo melius & effi-  
 caciuss fieri potest, manutere, & conservare o-  
 mnia privilegia cujuscunque conditionis, vel teno-  
 ris existant; & nullo unquam tempore contra- 15  
 venire, vel aliquem quantum in nobis est venire  
 permittere, quacunque occasione, vel causa, vel ti-  
 tulo allegato juris vel facti, per quoscunque Reges,  
 vel Principes, seu Imperatores Romanos, & pra-  
 cipue per supra dictos Constantinum, Carolum, 20  
 Henricum, Ottonem quartum, Fridericum se-  
 cundum, atque Rudolphum concessa Sancte Ro-  
 mana Ecclesia ac Romanis Pontificibus & Apo-  
 stolica sedi, super recognitione, innovatione,  
 adnota-

adnotatione, concessione, quietatione, renunciat-  
tione, & libera dimissione Terrarum & Pro-  
vinciarum Sanctæ Romana Ecclesiæ ubicunque  
positarum, præcipue Marchia Anconitana, cum  
5 omnibus civitatibus, Terris, limitibus, terminis  
& consinibus suis, integraliter cum omnibus ju-  
ribus, & jurisdictionibus earundem, Exarcha-  
tus Ravenna & Pentapolis ac Romandiola &  
Bertenorii Comitatus, cum civitate Bononiensi  
10 & cum omnibus Civitatibus, Terris, limitibus  
terminis & consinibus, integraliter & cum om-  
nibus juribus & jurisdictionibus earundem,  
Vallis quoque qua Spoletana dicitur sive Ducatus  
cum Civitatibus Perusii atq; Castelli, & cum  
15 omnibus Civitatibus, terris, limitibus, terminis  
& consinibus integraliter & cum omnibus ju-  
ribus & jurisdictionibus earundem: Massa  
quoque qua Trebaria nuncupatur: cum omnibus  
civitatibus, terris, limitibus & consinibus inte-  
20 graliter, & cum omnibus juribus & jurisdic-  
tionibus earundem: Patrimonium etiam beati Pe-  
tri in Tuscia, cum civitatibus Tuderti, Narnia,  
Urbis veteris, & Reata & cum omnibus civi-  
tatibus, Terris, limitibus, terminis & consini-  
bus

bus, integraliter cum omnibus juribus & jurif-  
 dictionibus earundem: Comitatus quoque Sa-  
 bina, civitate Interamnensi: & cum arce Cesa-  
 ris & terra qua dicitur Arnulphorum, cum o-  
 mnibus Civitatibus, terris, limitibus, terminis  
 & confinibus integraliter & cum omnibus ju-  
 ribus & jurisdictionibus earundem: Comitatus  
 quoque Campania atque Maritima, cum omni-  
 bus Civitatibus, Terris, limitibus, terminis &  
 confinibus suis, integraliter & cum omnibus ju-  
 ribus & jurisdictionibus earundem. Et ex abun-  
 danti, denuo, & ad majorem cautelam, supra di-  
 ctas omnes terras atque Provincias cum omni-  
 bus juribus & jurisdictionibus, terminis, limiti-  
 bus & confinibus earundem, & jus, & possessio-  
 nem, & proprietatem ipsorum, cum omni pleni-  
 tudine recognoscimus, jure plenissimo ad jus &  
 proprietatem Sanctae Romanae Ecclesiae spectare  
 & omnimodo pertinere. Ac ipsas omnes terras  
 atque Provincias adnotamus, innovamus, atq;<sup>20</sup>  
 concedimus, quietamus libere & dimittimus,  
 restituimus & renunciamus. Nec non ad omnem  
 scrupulum removendum, & ut pax & quies,  
 atque tranquillitas inter Ecclesiam & Imperium  
 jugiter

jugiter vigeat, & futuris dante Domino tem-  
 poribus feliciter augeatur, & omnis contentio-  
 nis & dissensionis cuiuslibet materia praecludatur,  
 prout melius & efficacius fieri & intelligi potest,  
 5 concedimus ipsas, conferimus & donamus de  
 novo. Promittentes, & obligantes nos, prout  
 plenius & efficacius possumus, quod nullo unquam  
 tempore occupabimus, vel occupari quantum in  
 nobis est permittemus, Civitates loca, castra,  
 10 Terras & Provincias supradictas, vel aliquam  
 ipsarum, vel earum partem, nec in ipsis vel ali-  
 qua ipsarum, vel earum parte, jurisdictionem  
 aliquam per nos, vel per alium geremus, vel ex-  
 ercebimus, nec iura aliqua, possessiones, vel tenu-  
 15 tas habebimus, vel possidebimus in eisdem Terris  
 vel Provinciis, vel aliqua ipsarum, seu parte  
 earum, nec officium aliquod geremus per nos  
 vel per alios Potestaria vel Capitanea, seu quo-  
 cunque nomine censeantur, in ipsis, vel aliqua  
 ipsarum vel earum parte: & quod tanquam  
 20 Princeps Catholicus, Advocatus & Defensor  
 S. Romanae Ecclesiae, iuvabimus ipsam, sibi que  
 assistemus contra quoscunque occupantes, inva-  
 dentes, vel turbantes Provincias ipsas, Civitates,  
 loca

loca, castra & Terras, vel aliquas ipsarum vel earum partem: & quoscunque inobedientes seu rebelles Ecclesie, precipue in Provinciis, Civitatibus, locis, Castris, & Terris eisdem in nullo fovebimus, vel manutenebimus, seu per quoscunque foveri, seu manuteneri, quantum in nobis est, permittemus; sed contra ipsos assistemus, consiliis, auxiliis, & favoribus opportunis Sanctæ Romanæ Ecclesie, ac Romanis Pontificibus & Apostolica Sedi, quousque rebelles & subditi ad plenam reverentiam & obedientiam reducantur. Promittentes quoque, Sanctam Romanam Ecclesiam, & Ecclesias alias, & libertatem Ecclesiasticam, & bona, jura, Pralatos & Ministros ipsarum manuteneri, conservare, & pro viribus defensare: Vasallos quoque Romanæ Ecclesie contra justitiam non offendere; & quod devotos & fideles Ecclesie, etiam in Imperio constitutos, benigne tractabimus, & contra justitiam non opprimemus, nec per alium, quantum in nobis est, opprimi permittemus, sed conservabimus in juribus & justitiis eorundem. Predicta autem omnia & singula inviolabiliter observare & observari facere; & nullo unquam tempore



tempore contra venire, juramus ad sancta Dei  
Evangelia, facto libro in manibus discreti viri  
Joannis de Malans Scholastici Ecclesie Tullen-  
sis, vestri Capellani nomine Romana Ecclesia &  
5 Sedis Apostolica ac vestro, ac de vestro manda-  
to specialiter recipientis, de qua etiam receptione  
tam per nostras presentes quam per ipsius reci-  
pientis literas seu publicum instrumentum plane  
constat. Et ad predictorum omnium perpetuam  
10 rei memoriam, & sancta Romana Ecclesia ac  
Sedis Apostolica & Romanorum Pontificum se-  
curitatem atque cautelam, presentes literas Re-  
gio Majestatis Sigillo munitas fecimus commu-  
niri. Promittentes & obligantes nos cum omni  
efficacia & effectu, quod post Imperialis diade-  
15 matis coronationem susceptam, predicta o-  
mnia ratificabimus, confirmabimus, & recogno-  
scemus, & faciemus, & servabimus atque ju-  
rabitur, & de supradictis omnibus infra octo  
20 dies nostras patentes dabimus literas quadru-  
plicas, harum seriem continentes, ad perpe-  
tuam rei memoriam, & ad securitatem, &  
cautelam vestram, & successorum vestrorum,  
& S. Romana Ecclesia, & Apostolica Sedis, Im-  
peria-

*perialis Majestatis typario communitas. Datum  
Lausanna V Idus Octobris, Anno Domini Mil-  
lesimo Trecentesimo Decimo, Regni vero nostri  
anno secundo.*

Hæ sunt tabulæ Henrici illius Luxelbur-  
gici Cæsaris, per sane liberales in Romanum  
Pontificem, & bonorum Imperii multum pro-  
digæ. Verumenimvero parum in iis robo-  
ris invenitur, nec Imperium illæ obligant.  
Non enim Electorum multo minus reliquo-  
rum Imperii Principum consensu probatæ  
sunt: quod ad robur earum unice requiritur.  
Ad hoc certum est Imperatori fuisse dolose im-  
positum à Legatis Pontificiis, quasi tantum juris  
Papæ competeret per antecedentium Cæsarum  
liberales donationes. Bzovius utiqve in hi-  
storia anni 1304 num. 1. notat ex ore Cardinalis  
Neapolionis Clementis Papæ nomine, Legatos  
Henrici Avenione *formulam inaugurationis  
Henrici audiisse & scriptam accepisse, in se reci-  
pientes, ut Henricus futurus Imperator verba  
quædam in præjudicium Apostolica Sedis &  
omnium Ecclesiarum prolata antiquaret. Et  
tamen in formulis donationum antea*  
ævi

ævi tale quid inveniri, nemo docuerit : præ-  
sertim cum & ipsarum plæræque sine dubio ex  
præscripto Romanæ curiæ fuerint confectæ.  
Quid est notius præterea, quam donationem  
Constantini merum esse curiæ Papalis com-  
5 mentum? & tamen Cæsar inductus est eam  
hisce suis tabulis, contra morem omnis retro  
ævi, confirmare. Non tangam fraudulen-  
tas dolosasque persuasiones reliquas in claris-  
10 sima luce. Itaque cum mala adeo fide cum  
Cæsare fuerit actum, summo merito restitui  
in integrum jura Imperii debuerunt; si illa  
imprudente isthac donatione aliquid detri-  
menti cœpissent. Et vero vix illas tabulas  
curaverat confici Henricus, cum meliora  
15 edoctus, itinere in Italiam suscepto, minime  
omnium ex præscripto illarum videndum sibi  
existimavit: si Bzovio hosti jurium Imperii  
credimus illa narranti num. 4. 5. & 6. Quam-  
20 vis amplissima porro sit donatio isthæc, tamen  
summam auctoritatem Cæsarum per eam non  
esse extinctam, argumento luculentissimo est,  
quod ipsemet Clemens Papa in eam mitem  
sententiam tabulas illas fuerit interpretatus.

Etenim ipsi Vrbi Romæ Henricus usque in ad-  
 ventum suum, Senatorem sive Præfectum sum-  
 mum dedit Ludovicum Sabaudum quingen-  
 tis equitibus armatum; ubi advenisset, primo-  
 res Romanos in fidem suam sacramento ade- 5  
 git, obsides imperavit: hisce inter alia verbis  
 Romanos cives affatus est: *Non longi itineris  
 laborem sibi fuisse gravem, consideranti SUOS  
 se Romanos, amantissimum SIBI populum  
 visurum, cum quo latus jucundosque dies pera- 10  
 geret.* Nihil horum latuit Clementem jam  
 ante coronationem: & tamen per delectos  
 Cardinales Henricum ungi & Imperatorem  
 renunciari curavit, nullo verbo injuriam ali-  
 quam conquestus. Cum peracta corona-  
 tione Henricus gravissime tulisset scriptum 15  
 sibi à Clemente, quasi *sacramentum fidelitatis*  
 præstitisset: Clemens hoc quidem ad animum  
 revocavit, edita in Concilio Viennensi illa  
 protestatione quam lib. 2. tit. 9. Clementinarum 20  
 edidit Joannes XXII: at ne tum quidem in-  
 clementer quidquam in Henricum jam defun-  
 ctum dixit, quasi Pontificum jura Romæ in-  
 yasisset. Non profecto silentio præterisset  
 talia

taliam Clemens & quidem offensus, nisi rite & jure facta illa ab Henrico existimasset. Habet hæc omnia ipse Bzovius ad annum 1310 num. 2 & sequentibus, multum quidem conquerens de Cæsare, sed ex suo perverso ingenio, non autem quasi idem fecerint Clemens & delecti ab illo Cardinales.

Henrico defuncto qui successit LUDOVICVS IV Cæsar, cum iniquissimis Pontificibus omnem vitam colluctatus, tabulas donationis nullas edidit. Nam etsi in iis literis, quas anno 1336 ad Benedictum XII datas, recitat Bzovius atque ex illo Hervvartus, longe amplissimorum munerum spem fecerit, pacis ergo: effectu tamen caruit negotium per insolentiam ipsiusmet Papæ. Ex adverso jura vetera Imperii multis modis Ludovicus fortissime asserta quasi postliminio recuperasse possit videri: quod sequente capite fiet clarissimum.

Omnibus Cæsaribus qui antecesserant magis benignum se Papis exhibuit CAROLVS quartus. Hujus autem binæ donationum tabulæ feruntur, alteræ anno 1355 Innocentio

nocentio sexto, alteræ 1368 Urbano VIto data. Priores ipsas recitat Bzovius num. 8, carum argumentum num. VII. posteriorum summam num. I: suo utrumque anno. Nimis prolixæ sunt tabulæ ipsæ: ergo satis videtur esse, si summas ambarum adferamus, & quidem quales eas produxit ipse Bzovius. Priorem hisce verbis auctor ille una cum coronationis Cæsareæ historia proponit. *Inter Missarum solennia, Petrus Ostiensis Episcopus, & Aegidius S. Clementis Cardinales Legati, postquam Sacramentum ab eo ex præscripta formula Ecclesie & Summo Pontifici dictum audivissent, sacro oleo inunxerunt, & Imperatorem consecratum, diademate, ac reliquis insigniis Imperii ornarunt: cum is omnia, quæ olim V. Cal. Maji, anno 1347. Tridentini, in manibus Gerardi Archidiaconi Sedis Apostolica Nuncii, nunc Episcopi Tridentini, ad instar Henrici VII promiserat ( de quibus videatur Bzovius ad annum illum ) tum antè, tum post coronationem confirmasset, innovasset, concessissetque Romana Ecclesia; datis litteris, in quibus Henrici VII diploma datum Lausanna V. Idus Octob. inseruit, & ad*

Et ad cuius instar, Romanum Ducatum,  
 Marchiam Anconitanam, Exarchatum Ra-  
 venne, Pentapolim, Romandiolam, Comita-  
 tum Bretenorii, Civitatem Bononiensem, Val-  
 5 lem Spoletanam cum toto Ducatu, Comitatum  
 Perusii & Castelli, Massam Trebariam, Patri-  
 monium Beati Petri in Tuscia cum civitati-  
 bus Tuderti, Narnia, Urbis veteris, & Reata,  
 Comitatum Sabina, Civitatem Interamnem,  
 10 Arcem Caesarum cum terra Arnulphorum, Cam-  
 paniam & Maritimam cum omnibus civita-  
 tibus, Romam & Ferrariam cum omnibus ad  
 eam spectantibus, Regnum Sicilia cis & ultra  
 Pharam, Sardiniam & Corsicam, Comitatum  
 15 Venusinum, civitatem Avinionem, & omnia  
 alia bona ac iura Ecclesie, Pontifici Romano  
 ab Imperatoribus olim data approbavit, & au-  
 rea bulla quatuor diplomata eius approbatio-  
 nis, innovationis & concessionis signata, Lega-  
 20 to Sedis Apostolice dedit Laterani Nonis A-  
 prilis, Anno Domini M. CCC. LV, Regnorum  
 IX Imperii I. Inter alia Carolus iuravit,  
 quod 1. In Italia, nullos Vicarios Urbibus Im-  
 perialibus praeferret, sine scitu Pontificis. 2. Vi-  
 Kkk caris

cariis quos urbibus praeficeret, necessitatem ju-  
 risjurandi imponeret, ut Ecclesiam Romanam  
 adversus quosvis hostes tuerentur. 3. Ipse pro  
 Ecclesia bonis ac juribus, propriis sumptibus  
 tamdiu militaret, quoad illa ab iniquis posses-  
 soribus vindicaret. 4. Pontificiarum partium  
 homines à Gibellinis tueretur, neq; illos opprimi  
 sineret. 5. Agidium Cardinalem Legatum  
 adversus tyrannos laborantem juvaret.  
 6. Processus ab Henrico avo contra Florenti-  
 nos & Robertum Sicilia Regem factos abroga-  
 ret. 7. Universitatibus, communitatibus, ac  
 singulis personis in Italia omnes injurias ante-  
 cessoribus Imperatoribus & sibi quoquo modo fa-  
 ctas remitteret. 8. Ex eo, quod propter absentiam  
 Pontificis, formula antiqua inaugurationis Im-  
 peratorum, in eis consecratione servata non  
 fuit, nihil contra recens in litteris Legatorum  
 praescriptam opponeret, aut privilegii Apostolica  
 Sedis derogaret; quominus ejus in posterum suc-  
 cessor, aut non possit à Romano Pontifice corona-  
 ri, aut eidem Romano Pontifici ea omnia obse-  
 quia prestare, quae in antiqua formula praescri-  
 pta sunt. 9. Romana urbe statim à coronatione  
 discede-



discederet, neque invito Pontifice reverteretur.  
 Extat in libr. 3. privileg. Rom. Eccles. pag. 132.  
 234 328. Et autographum in mole Hadriani.  
 De posterioribus Bzovius ita loquitur. Carolus  
 5 antequam Italiam intraret, Gerardum Naum-  
 burgensem Episcopum Oratorem misit qui Pon-  
 tifici adventum Imperatoris inprimis renuncia-  
 ret: deinde solitum diploma Imperiale confir-  
 mationis jurium Ecclesie Romana, Et obedi-  
 10 tia debita deferret. In eo, ad 3 Idus Aprilis,  
 bulla aurea signato Et iurejurando affirmat,  
 se pro dignitate Sedis Apostolice in Italiam ve-  
 nire: neque velle iuribus Et libertatibus illius  
 quicquam detrabere: quin potius tyrannos ad-  
 15 versus eam sevientis, bonaque illius usurpantes  
 Et occupantes reprimere, neque vel minimum ei  
 eripere, quod exemplo antecessentium Imperato-  
 rum, Et presertim HENRICI avi (cujus di-  
 ploma suo diplomati inseruit) presenti instru-  
 20 mento, consentientibus Imperii Principibus, Ro-  
 mana Ecclesia confirmaret omnia jura privi-  
 legia, bona, urbes, terras, provincias, regna olim  
 ab Imperatoribus Christianis, Constantino Ma-  
 gno, Ottone, Carolo, Et reliquis seu donata seu  
 Kkk 2 proba-

430 DE FINIBUS IMP. GERMANICI  
probata: & precipue Marchiam Anconitanam, Exarchatum Ravenna, Pentapolim, Romandiolam, Comitatum Bretenorii, Civitatem Bononiensem, Vallem Spoletanam cum toto Ducatu, Comitatum Perusii & Castelli, Massam<sup>5</sup> Trebariam, Patrimonium B. PETRI in Tuscia, cum civitatibus Tuderti, Narnia, Urbis veteris & Reata, Comitatum Sabina, Civitatem Interamnensem, Arcem Cesarum cum terra Arnulphorum, Campaniam & Maritimam<sup>10</sup> cum omnibus civitatibus, Romam & Ferrariam cum omnibus ad eam spectantibus, Regnum Sicilia cis & ultra Pharum, Sardiniam & Corsicam, Civitatem Beneventi, Comitatum Venusinum, Civitatem Avinionensem cum omnibus pertinentibus. Hec Carolus quartus Romanæ Ecclesiæ instrumento publico, & Sacramento confirmabat, infertis literis Henrici VII. Imperatoris datus Lausannæ. Presentibus testibus, quorum hæc sunt nomina. Albertus Pataviensis, Lambertus Spirensis, Joan. Brixien-<sup>10</sup>sis, Gerardus Naumburgensis, & Otto Mindensis Ecclesiarum Episcopi. Illustres, Albertus & Leopoldus fratres, Austria, Stiria & Carinthia

thia Duces: Johannes & Jodocus Imperatoris filii, Marchiones Moravia. Spectabiles, Johannes de Habesburg: Burchardus Burgravius Magdeburgensis, Joannes & Burchardus de Retz Comites: Nobiles Vlricus de Boczkovicz, Sdenco & Albertus fratres de Sterenbergh, Rudolphus de Eckertson, Stephanus de Lembergh, Conradus de Baccendorff, & alii quamplures Comites, Nobites, Imperatoris & Imperii Sacri fideles. Extat diploma authographum in mole Adriani.

Hæc ita Bzovius. Cujus fides licet multum sit suspecta, nunc tamen in dubium illam non vocabimus, quum à moribus Caroli illius nihil alienum hic deprehendamus. Observandum autem venit, priores tabulas à posterioribus longe diversas esse. Nam in prioribus quidem foeda multa & indigna promisit Carolus: quorum in posterioribus memoria nulla repetitur. Nec tamen in ulla earum alia bona Papæ donantur, præter illa quæ præcedentium Cæsarum tabulis jam continebantur: si Comitatum Venusinum & Avenionensem urbem excipias, de quibus infra

agendum erit in Regni Burgundici rebus. Laborant vero utraqve tabulæ hæ non minus quam illæ Henrici. Nec enim ulla harum consensu Electorum, multo minus aliorum Principum roborata est. Hinc in prioribus nulla omnino fit consensus illius mentio. In posterioribus legas quidem illa: *consentientibus Imperii Principibus*: sed Principum nomine non Electores aut omnium Principum ordo intelligitur, sed soli hi, qui testes scribendo adfuerunt, pauci illi & minime primarii. In fœda certe illa priorum tabularum promissa nemo Principum consensit. Eoque neutræ harum tabularum magni momenti; priores plane nauci sunt. Nec tamen hisce etiam tabulis exhausta est universa Imperii in Papalia bona auctoritas: sed omnia restringenda sunt intra limites dominiî utilis pleni. Hinc statim à coronatione, simul ac Tibur concessisset Cæsar, *Severissimum MANDATVM* dedit, ut finem tandem Romani mutandis novandisque rebus imponerent, memores sacramenti apud Romanum Pontificem semel depositi; quod si violatum iuerint, aut si Legato etiam

tiam Pontificis rebelles fuerint, perfidiam illo-  
 rum se armis vindicaturum: quæ ipsissima sunt  
 verba Bzovii num. 9 ad annum 1555. Nihil ve-  
 ro mandare ille potuisset Romanis, & quidem  
 5 Papa non repugnante, ( ut hoc sane fecit ipso  
 petente ) nisi aliquam Cæsaream auctoritatem  
 credidisset Cæsar in Romanos sibi superesse.  
 Quod enim noluerit Romanis illis assentiri, qui  
 urgebant ut Urbis possessionem invaderet, &  
 10 Romanos in antiquum statum restitueret,  
 ( quod heic refert Bzovius ) id pro indicio omnis  
 Cæsareæ auctoritatis depositæ, minime accipi  
 debet; utpote quum Romanorum illud desi-  
 derium tenderit ad exuendam omnem Papalem  
 15 jurisdictionem, quam tollere non sane fas e-  
 rat, & licebat integram tueri salvis Imperii sum-  
 mis juribus.

QVI Carolum secuti sunt Cæsares, num  
 & ipsi omnes confectis tabulis aut vetera  
 20 confirmaverint Pontificibus, aut dederint  
 nova, non satis compertum habeo. Nec  
 enim tabulæ illæ hæcenus quod sciam pro-  
 dierunt in lucem. Ex Bzovii Annalium to-  
 mis viginti tamen deprehendere est, non  
 tantum

434 DE FINIBUS IMP. GERMANICI  
tantum ab iis qui à Papis coronati sunt, sed etiam ab aliis ad Ferdinandum primum usque, tabulas aliquas profectas esse, in confirmationem donationum priorum. Num quid à nonnullis sit additum demptumve, me, fateor, latet. Additum nihil esse, videtur significare juramenti à Sigismundo Cæsare præstiti formula, quam in historia anni 1433 recitat Bzovius. Inferemus illam heic etiam nos in majorem fidem. Hoc ipso die, tum ante tum peracta inauguratione, Sigismundus, juramenta, que per literas & Oratores Eugenio & Sedi Apostolica aliquoties scripserat, feceratque, tum voce in coram omnibus quorum intererat, tactis Evangeliiis, Cruce, & Sanctorum Reliquiis innovavit, tum datis signatisque ex more quatuor diplomatis confirmavit juravitque, scilicet Ecclesiam & Fidem Catholicam pura fide totis viribus conservare reverenter ac etiam defendere; omnem heresin & scisma & hereticos quoslibet, fautoresque & receptatores, ac etiam defensores eorum exterminare pro posse; nunquam cum Saraceno, pagano, heretico, schismatico, seu alio quolibet communionem Catholica Fidei non

non habente; aut cum aliquo alio Romana &  
 universalis Ecclesia inimico, vel rebeli, seu eidem  
 manifeste suspecto, unionem quamlibet, parente-  
 lam, aut confederationem inire; sed tam Eugenii  
 5 quam eius successorum Rom. Pontificum perso-  
 nas, honorem, & statum manutenere, defendere,  
 ac conservare contra omnes homines, cujuscunq;  
 existerent praeminentia dignitatis aut status:  
 privilegia omnia per praedecessores suos Reges &  
 10 Imperatores Romanorum, Romana Ecclesia ac  
 aliis quibuslibet Ecclesiis, quocunque tempore  
 concessa, & cujuscunque continentia, specialiter  
 per Constantinum & Carolum Magnos, per  
 Henricum, Ottonem IV, Wenceslaum & Ru-  
 15 pertum praedecessores ipsius, praesertim super con-  
 cessione advocacione, recognitione, quietatione,  
 & libera admissione terrarum & provincia-  
 rum Romana Ecclesia ubilibet positarum, preci-  
 pue Marchiae Anconitanae cum omnibus civi-  
 20 tatibus, terris, limitibus terminis & confinibus  
 suis integraliter, cum omnibus juribus & juris-  
 dictionibus earundem: Exarchatus Ravenna  
 & Pentapolis, ac Romandiola, & Bertenorii  
 Comitatus, cum Civitate Bononiensi, & cum  
 LII omni-

omnibus Civitatibus, terris, limitibus terminis  
 & confinibus, integraliter, & cum omnibus juri-  
 bus & jurisdictionibus earundem; vallis quoque  
 qua Spoletana dicitur sive Ducatus, cum Civi-  
 tatibus Perusii atque Castelli, & cum omnibus 5  
 civitatibus, terris, limitibus, terminis, & confi-  
 nibus, integraliter & cum omnibus juribus &  
 jurisdictionibus earundem: Massa quoque qua  
 Trebaria nuncupatur, cum omnibus civitatibus,  
 terris, limitibus, terminis & confinibus, integra- 10  
 liter; & cum omnibus juribus & jurisdictioni-  
 bus earundem: Patrimonii etiam Beati Petri  
 in Tuscia, cum civitatibus Tuderti, Narnia,  
 Urbis veteris, & Reate cum omnibus civitati-  
 bus, terris, limitibus, terminis & confinibus, in- 15  
 tegraliter cum omnibus juribus & jurisdictioni-  
 bus earundem. Comitatus quoque Sabine,  
 cum Civitate Interamnensi, & cum arce Caesaris  
 & terra qua dicitur Arnulphorum, cum omni-  
 bus civitatibus, terris, limitibus, terminis & 20  
 confinibus & cum omnibus juribus & jurisdic-  
 tionibus eorundem. Comitatus quoque Cam-  
 pania atque Maritima, Urbis Roma, Ferraria, re-  
 gnorum Sicilia, Sardinia & Corsica, Comitatus  
 Venay-



Venaysini, cum omnibus Provinciis, Ducatibus,  
Comitatibus, Civitatibus, oppidis, castris, locis,  
terris, limitibus, & territoriis ubilibet positis,  
Sedi Apostolica Romanisq; Pontificibus sub quo-  
cunque tenore concessis, confirmare, & ex certa  
5 scientia innovare, ac etiam quatenus opus est, de  
novo concedere, eaque omnia ad proprietatem  
ipsius Ecclesie pertinentia esse recognoscere;  
quemadmodum de facto per diplomata data,  
10 signataque, recognovit, concessit, innovavit, con-  
firmavitque; addito iurejurando, quod ipsas,  
nullo, inquit, unquam tempore occupabimus vel  
occupari, quantum in nobis est permittemus, ci-  
vitates, loca, castra, terras, regna, & provincias  
15 supra dictas, vel aliquas ipsarum, vel earum  
partem; nec in ipsis, vel aliqua ipsarum vel ea-  
rum parte jurisdictionem aliquam per nos vel  
per alium geremus, vel exercebimus: nec iura,  
aliqua possessiones, vel tenutas habebimus, vel  
20 possidebimus in eisdem terris vel provinciis, vel  
aliqua ipsarum, seu parte earum: nec officium  
aliquod geremus per nos, vel per alios, Potesta-  
ria, vel Capitania, seu quocunque nomine cen-  
sentur, in ipsis vel aliqua ipsarum, vel earum  
Lll 2 parte.

parte: & quod tanquam Princeps Catholicus,  
 Advocatus, & Defensor Sanctæ Romanæ Ec-  
 clesie iuvabimus ipsam, sibi que assistemus, con-  
 tra quoscunque occupantes, invadentes vel tur-  
 bantes, provincias ipsas, civitates, loca, castra,  
 & terras, vel aliquas ipsarum, vel earum par-  
 tem: & quoscunque inobedientes, seu rebelles  
 Ecclesie, præcipue in provinciis, civitatibus, locis,  
 castris, & terris, eisdem in nullo favēbimus, vel  
 manutenebimus, seu per quoscunque favori, seu  
 manuteneri, quantum in nobis est, permittemus;  
 sed contra ipsos assistemus, consiliis, auxiliis, &  
 favoribus opportunis Sanctæ Romanæ Ecclesie,  
 ac Romanis Pontificibus, & Apostolicæ Sedi,  
 quousque rebelles & subditi, ad plenam reveren-  
 tiam & obedientiam reducantur. Promitten-  
 tes quoque, Sanctam Romanam Ecclesiam, &  
 Ecclesias, & libertatem Ecclesiasticam, & bona,  
 jura, prelatos, & ministros ipsarum manutene-  
 re, conservare, & pro viribus defensare, Va-  
 sallos quoque Romanæ Ecclesie, contra justitiam  
 non offendere: & quod devotos, & fideles Eccle-  
 sie, etiam in Imperio constitutos benigne tracta-  
 bimus, & contra justitiam non opprimemus,  
 nec



utraque urbs illa Julio Pontifici ultro sese dedi-  
 disse, hic illas ut partem Exarchatus Raven-  
 natensis Pontificio juri asserere nisus est, sed  
 vehementer conatibus illis adversante Maxi-  
 miliano primo Cæsare: quod ex Guiccardini  
 libro decimo & undecimo manifestum est. 5  
 An noviter electo itaque Cæsari Carolo, non-  
 dum satis Imperii jurium perito, per malas ar-  
 tes aliquid extortum est? In iis tabulis quas  
 Bononiæ in solemnibus coronationis suæ Cle-  
 menti exhibuit, idem esse repetitum, ab omni  
 est verosimilitudine alienum. Plane alio ani-  
 mo fuisse, quando Bononiam Carolus tende-  
 ret, testis est Surius in historia anni 1529: *Hoc*  
*etiam, inquit ille, anno Clemens Pontifex ad-15*  
*ventanti e Genua Cæsari, & Placentiam con-*  
*tendenti tres legatos obviam misit, qui à Pon-*  
*tificie ditionis fines intrante solitum iusjuran-*  
*dum acciperent, nunquam ipsum Pontificis li-*  
*bertatem violaturum. Juravit Cæsar verbis 20*  
*rite conceptis, sed ita tamen ut se de suo jure ni-*  
*hil remissurum testaretur. Quod putant qui-*  
*dam ideo eum fecisse, quod Placentiam & Par-*  
*mam Mediolanensi Imperio antiquitus attri-*  
*butas*

butas repeteret, quandoquidem Mediolanense  
dominium Imperatorum semper beneficiarium  
fuisse. Hæc Surius: aut potius Paulus Jovius,  
qui hæc totidem pene verbis narrat *lib. 27.*  
5 Quinimo jam tum anno 1526 Carolus ad i-  
plum Clementem VII Papam hiisce verbis  
usus est in literis illis apologeticis ex Hispania,  
tum quando aliæ ad Cardinales mitterentur,  
curatis, §. 39: *In quem usum non tam exagi-*  
10 *tandum videretur, si nostri duces & milites,*  
*qui sua virtute ac viribus Parmam & Pla-*  
*centiam Ecclesie reddidere, ac ab hostium fini-*  
*bis evulsere totiensque tutati sunt, ut illis vi-*  
*ctum quærerent, ac de his, prout de reliquis ab*  
15 *hostibus recuperatis disponendum censerent.*  
*Potissimum cum ita hæc civitates essent ex fœde-*  
*re Leonis consignata, tenende duntaxat eo jure*  
*quo ante per ipsum Leonem tenta fuerant.*  
*Quod jus tamen nullum erat, quandoquidem ad*  
20 *feudum pertinerent Imperii, essentq; pars Ducat-*  
*tus Mediolani: & illis nullum Ecclesia Romana*  
*titulum validum, nec ab Imperio, nec ab eo qui*  
*dare posset obtinuerit. Vtcumque vero hæc*  
*sefe habeant, id certum est, Cæsarem Caro-*  
lum

lum diu post, utramque urbem illam, summe licet indignante Paulo III Farnesio, qui illas filio suo Petro Aloisio Romanæ Ecclesiæ nomine dederat, tanquam Cæsarii juris urbes & partes Mediolanensis Ducatus, vindicasse; imo Placentiam à Cæsare occupatam, sero demum & post gravissimum bellum, Farnesii redditam. Quam rem cum alii tum inprimis præclare persecutus est historicorum ævi nostri princeps Jacobus Augustus Thuanus libris quarto sexto & octavo. Non disputabo heic, utrum urbes illæ ad Ravennatem Exarchatum, an ad Ducatum Mediolanensem jure pertineant, quamvis alias non fuerit probatu difficile, saltim unam illarum non fuisse antehac Pontificii juris: Ex iis tamen quæ modo attulimus id patet, ægre Cæsarem Carolum tandem illas urbes Pontifici concessisse: nec id quidem factum prævio Ordinum Imperii consilio: quod fieri par erat, si robore aliquo valere debeat Cæsaris cessio. Papam certe Paulum III propriis juribus diffisum, & Carolum agnovisse non competere sibi alienandi arbitrium, argumento est quod donationem

tionem filio suo factam Papa à Cæsare rati-  
 haberi petierit: Cæsar vero id recusaverit, eo  
 prætextu, *si illa civitates ad Imperium perti-  
 nerent, non posse se in ditionis ac dignitatis Im-  
 perialis præjudicium eas alienare.* Quæ cum  
 narret Thuanus lib. 4, non equidem dubito ita  
 tandem concessisse illas urbes Carolum, ut juri-  
 bus Imperii satis caverit. Et vero proculdubio  
 non in aliud jus transferunt illæ urbes, quam  
 10 quo tenentur à Pontificibus reliqua omnia:  
 hoc est salva summa auctoritate Imperii:  
 quam salutarem clausulam omni donationi  
 Cæsarum tacite subesse, sæpius jam tum mo-  
 nuimus.

15 POST Carolum num quid novatum sit in  
 tabulis Cæsarum, equidem nescio. Id constat,  
 Ordinum Imperii consensu nihil præter solitum  
 Pontificibus accessisse. Ex quibus omnibus li-  
 quido patet id quod probandum initio suscepi-  
 20 mus: aperto aliquo & expressis verbis concepto  
 dono, Imperii limitibus Pontificum bona ha-  
 etenus subducta non esse.

Claudemus hunc omnem sermonem ver-  
 bis magni Jurisconsulti Antonii de Rosellis,  
 Mmm desum-

444 DE FINIBUS IMP. GERMANICI  
desumptis ex libro cui fecit quondam titulum  
*de Monarchia*. Etsi enim liber ille per sacrum  
prohibitorum librorum indicem patrum me-  
moriam proscribi coeperit: quoniam tamen æ-  
tatem habet, & multa est doctrina refertus, 5  
nec alia qua culpam illam meruerit Pon-  
tificiam poenam, quam quod juribus Cæsarium  
plus justo visus sit favere, non est fortasse quod  
nunc quidem illa censura moti, omnem verbis  
ejus auctoritatem detrahamus. Pontifex, in- 10  
quit, *in dictis bonis donatis summi Principis*  
*exequitur potestatem, quasi significet, quod e-*  
*xercitium habet jurisdictionis & potestatis.*  
*Et sic utile dominium jurisdictionis habet:*  
*quia directum est penes Cæsarem quod non po-* 15  
*terat nec potest in perpetuum ab ejus ossibus se-*  
*parari. Habet ergo Papa executionem pote-*  
*statis, & non dominium potestatis, id est, juris-*  
*isdictionis, quia jurisdictio est potestas de publico*  
*introducenda, l. 1. ff. de jur. omn. iud. Unde in-* 20  
*fero, quod quoad directum & utile dominium*  
*ipsarum rerum donatio tenuit, sicut tenuisset a-*  
*lia particularis alienatio rerum particulari-*  
*um: sed quoad jurisdictionem, dico quod quan-*  
*tum*



tum ad utilem jurisdictionem, non directam, adhuc teneat alienatio. Sicut videmus quod cottidie Princeps Ducatus, Comitatus, & Regna elargitur; & tamen retinet in habitu & directo dominio ipsam jurisdictionem & jus Imperii in bonis aliis commissis. Ut in cap. 1. de feud. March. Ducat. & Comit. & in iuribus supra illis. Ita & in his bonis Ecclesia donatis ius Imperii & jurisdictionem retinuit atq; retinet, quamvis utile dominium, eius etiam exercitium Pontifici commiserit.

## CAPUT XXI.

Terras Pontificum Romanorum, non prescriptione vel alio aliquo titulo, Imperii ditione & iuribus excidisse.

**C**Um dono Cæsarum non sublata esse summa Imperii jura in Papparum bona, jam pateat; consequens est, uti videamus num id factum sit titulo quodam alio: aut si nondum sit factum num merito id fieri debeat. Et quidem prescriptione longi temporis amissa illa summa jura, sunt qui censeant. Quos ab aliis fateor minus recte confutari eo argumento

mento, quasi præscriptio adversus Imperii au-  
 ctoritatem locum non inveniatur, propterea  
 quod unice illa valeat ex arbitrio legum civili-  
 um Romanarum. Etenim jam tum asseruimus,  
 ut usucapionem ita & præscriptionem aliquam  
 ex ipso naturæ instituto vim habere. Ergo non  
 omnino improbanda sunt illa Bellarmini lib. 5.  
 de Rom. Pontif. cap. 9 de bonis Pontificum:  
*Etiamsi nihil horum (donationum Cæsarearum  
 scilicet) exstaret, abunde sufficeret præscriptio*<sup>10</sup>  
*DCCC annorum, Nam etiam regna & im-  
 peria per latrocinium acquisita, tandem longo  
 tempore sunt legitima. Alioqui enim quo iure  
 Julius Cæsar occupavit Romanorum Imperi-  
 um? & tamen tempore Tiberii Christus ait*<sup>15</sup>  
*Matth. 22 reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari. Quo  
 iure Franci Galliam, Saxones Britanniam,  
 Gothi Hispaniam invaserunt? & tamen quis  
 hoc tempore Regna ab illis constituta illegitima  
 esse diceret? Ut ingenue etiam ita non omni-*<sup>20</sup>  
*no male Paulus III, cum de summa ipsius po-  
 testate aliquando inter familiares mentio in-  
 cideret, ridere solitus est ut scholasticos & re-  
 rum rudes, qui à Christo eam tam anxie repe-  
 terent,*

terent, cuius se possessionem vel solam optimum  
& firmissimum titulum habere dicebat, quam  
viribus opibusque summis, civitatibus muni-  
tissimis, & potentissimorum Principum sibi con-  
5 jurantium auxilio tueri ac defendere possit.  
Quæ alicubi refert Petrus Pithœus. Hæc in-  
quam non omnino rejicula sunt, si de potesta-  
te sermo sit non illa divinarum rerum & quæ  
ereditur cœlitus collata, quam scilicet nulla u-  
10 sucapio potest tueri, ut quæ in rebus mere  
humanis tantum valeat: nec de omni exce-  
ptione majore aliqua vi in bona Pontificia,  
quæ Imperatoriam excludat; huic enim non-  
dum esse præscriptum, jam demonstrabimus.  
15 Admittimus igitur & nos, si dudum nemine Im-  
perii causam agente, Pontifices in terris suis om-  
ninem excluderunt Imperii auctoritatem, illum  
unum tacitum consentum sufficere Pontificibus  
posse ad omnimodo plenam bonorum suorum  
20 possessionem, nullo licet alio jure suffultam. Ve-  
rum enimvero aliter se rem habere, nisi fallor, li-  
quido probabimus.

Principio enim constat apud omnes, ad  
hæc usque tempora Regibus Germaniæ no-

448 DE FINIBUS IMP. GERMANICI  
men Cæsarum Romanorum illibatum man-  
fisse. Idque non tantum quod ipsi soli hoc  
sibi nominis fortassis dederint, sed quia &  
omnes populi reges ac principes extra Impe-  
rii limites positi, & ipsimet Romani Ponti-  
fices ultro ac communi quodam consensu idi-  
psum, nemine dissentiente, hæctenus semper  
approbaverint. Nec vero cuiquam alii in omni  
orbe Christiano Augustum illud nomen à  
quoquam tribuitur. Involavit quidem bar-  
bara ambitione Russorum Princeps in Cæsa-  
reum nomen, eoque Czar vult audire, quasi  
major Regia dignitate: non Romanorum  
tamen sed Russorum Czar, cupit ipsemet cen-  
seri. Hispanorum etiam nonnulli Reges Im-  
peratorium titulum affectaverunt inani qua-  
dam arrogantia: sed à prudentioribus ca-  
stigata superbia, intra justos modestiæ fines ti-  
tulus illorum dudum rediit. Nec quisquam  
tamen eo vecordiæ processit ut Romano-  
rum se Imperatorem diceret: Hispaniæ vel  
simpliciter Imperatorio nomine, quamvis  
fastu turgidi, fuere contenti. Quum Ferdi-  
nandus id nominis primus Castellæ rex Im-  
perato-

peratorem se fecisset appellari, & Cæsar noster  
 Henricus III ac Victor Papa, acriter eum  
 perstrinxerunt: quam rem late persequutus  
 est Joannes Mariana accuratissimus omnium  
 Hispaniæ historicorum *lib. 9. cap. 5.* Ipsemet  
 Mariana de Alfonso VI ita loquitur: *Omnino*  
*ex hoc tempore Alfonso Rex Imperatoris*  
*(JURE AN INJURIA non disputo) sed*  
*nomen tamen desumpsit Imperii.* Idem de Al-  
 fonso Arragonio *lib. X cap. 8: Alfonso socii*  
*exemplo se Hispania Imperatorem dicit, si am-*  
*plitudinem ditionis consideres haud temere,*  
*cum Regum potentissimus evasisset omnium qui*  
*post Hispania cladem extiterunt: IMPRU-*  
*DENTER tamen, cum ex alieni juris di-*  
 tione atque temporario imperio tantos sumeret  
 spiritus. Ex quibus discimus, non Reges tan-  
 tum Hispaniæ sed & alios quosque Hispanos  
 prudentiores ipsos arrogatum temere nomen  
 improbasse. Certe Romani Imperatoris no-  
 men etiam ipsi illi Regibus nostræ Germaniæ  
 non fecere controversum. At vero non est  
 Romanus Imperator nisi cui summum saltem  
 jus competit in Urbem Romam. Recte enim  
 jam

jam olim Fridericus I Cæsar legatis Adriani  
 Papæ respondit : *Cum divina ordinatione*  
*ego Romanus Imperator dicar & sim, speciem*  
*tantum dominantis effingo, & inane ubique por-*  
*to nomen ac sine re, si Urbis Romæ de manu no-*  
*stra potestas fuerit excussa.* Non negaverim,  
 regalia quæ appellantur Pontifici competere,  
 nec hæctenus bene argumentatum Frideri-  
 cum Cæsarem, quasi regalia illa si sint Pontifi-  
 cis, ipse non sit Romanus Imperator: satis enim  
 est ad Cæsareum nomen tuendum summa po-  
 testas, unde regalia illa Pontificum depende-  
 ant. Hac vero etiam sublata, inane fore no-  
 men illud, ultro fatemur. Cum jure igitur  
 & merito nomen illud convenire Regibus no-  
 stris fateantur ipsi Pontifices, apertissimum est,  
 summam potestatem hodieq; Cæsaribus nostris  
 superesse. Quoniam ipsius Urbis Romæ autem  
 illa est conditio, multo magis & reliqua in ditio-  
 ne esse Imperii, vel uno illo titulo Cæsareo in-  
 nuitur, atque extra omnem controversiam col-  
 locatur.

Illius summæ potestatis perpetuo super-  
 stitem possessionem, indicat quam maxime  
 præte-

præterea, jus illud Regum nostrorum coronæ  
Romani Imperii in ipsa Vrbe sibi sumendæ, idq;  
itidem omni carens controversia. Nec enim a-  
licui fas fuerit coronam capere, nisi ubi eidem  
5 summa potestas competit. Etsi vero non o-  
mnes Cæsares nostri patiantur Romæ se corona-  
ri, in omnium tamen arbitrio id fuisse positum  
& positum esse etiamnum, longe est certissi-  
mum.

10 Haut fuerit absque pretio operæ, recitare heic  
nonnullas sacras preces, quibus ipse Pontifex  
Cæsarem coronaturus Deum obtestatur, repeti-  
tas ex opere illo sacrarum ceremoniarum Ro-  
manæ Ecclesiæ, quod Christophorus Marcellus  
15 Corcyrensis Archiepiscopus Leoni X inscriptum  
publicavit. *Oremus. Deus regnorum omnium  
& Christiani maxime protector Imperii, da ser-  
vo tuo N. IMPERATORI NOSTRO  
triumphum virtutis tuae scienter recolere, ut qui  
20 tua constitutione sit Princeps, tuo semper mu-  
nere sit potens.* Post communionem ante solen-  
nia coronationis: *Deus qui ad predicandum æ-  
terni regni Evangelium Romanum Imperium  
preparasti, prætende famulo tuo IMPERA-  
Nnn TORI*

452 DE FINIBUS IMP. GERMANICI  
TORI NOSTRO N. arma caelestia, ut  
pax Ecclesia nulla turbetur tempestate bellorum,  
per Dominum nostrum IESUM Christum. Fini-  
ta jam coronatione: *Benedic quaesumus Domi-  
ne hunc PRINCIPEM NOSTRUM N.* 5  
*quem ad salutem POPULI NOBIS à te  
credimus esse concessum. Fac annis esse mul-  
tiplicem, salubri corporis robore vigentem, ad se-  
nectutem optatam pervenire felicem. Sit nobis  
fiducia obtinere gratiam populo, quam Aaron* 10  
*in tabernaculo. Similes preces & in libro isto  
& in Pontificali ut & Ceremoniali Romano, eti-  
am illis quæ ex Clementis II X recensione pro-  
dierunt, habentur passim; in quibus identidem  
legas illud IMPERATORI NOSTRO. Non* 15  
*adferam huc verba quibus Papa utitur gla-  
dium, pomum, sceptrum & coronam Cæsari  
tradens: ne videar quasi pulvisculum conge-  
rere velle. Observatu tamen unice dignum  
est, pene eadem esse cum iis, quibus in Pon-* 20  
*tificali jubentur Archiepiscopi uti in solemnibus  
coronationum Regiarum, per orbem  
Christianum. Cum hæc vero omnia pera-  
gantur à Papa in conspectu quasi Dei Opt.  
Maxi-*



Maximi, sine dubio non ludicrus aliquis, sed ferius sensus subest & dicto & facto omni usque adeo sancto. Consequens proinde est, agnosci ab ipso Papa Cæsaris illud supremum jus in Romam & reliqua veteris Imperii Romani bona, quæ à Romanis Pontificibus hodie possidentur. Sane id nisi ponas, fatearis necessum est, in ipsis sacris, ludum ab illo agi: quod vel dictu nefas est. Non me latet, in Pontificali Romano, dum præscribitur *ordo ad recipiendum processionaliter Regem aut Principem magna potentia*, itidem in formulis precum haberi illud *Regi nostro, & Principi nostro*: sed nisi vehementer fallor, illa verba pronuncianda sunt in locis qui Regibus aut Principibus istis sunt subditi. Et vero in opere Christophori Marcelli, ubi l. 1. sect. 3. cap. 2. accurate describitur, quibus ritibus Rex ad Urbem veniens excipi soleat, in omnibus precum formulis vox illa NOSTRI regio nomini haud additur. Utcumque sit; saltem omnis reliqua benedictionis & coronationis Cæsareæ cerimonia, summam Cæsarium auctoritatem in Romam & alias Romani Imperii provincias satis indicat.

Arguit porro confessionem summæ Cæsareæ potestatis etiam id, quod Papæ curent à Cæsaribus recens electis aut ad Urbem proficiscen-  
 tibus novis sibi tabulis demortuorum Cæsarum  
 donationes confirmari: perinde ut alii sibi de  
 privilegiis antiquis caveri faciunt. Nec enim  
 iis opus foret, si illa bona nullo amplius nexu  
 Imperatoribus devincta essent. Certe id si exi-  
 stimarent Pontifices, non sollicitè adeo caveri  
 sibi curarent. Huc pertinet etiam fides, quam  
 Romanis civibus dat coronandus Cæsar, Ur-  
 bem mox introiturus. Ea de re ita legitur in li-  
 bro Marcelli. *consueverunt etiam electi Impe-  
 ratores hac die (pridie scilicet adventus) ante-  
 quam ponticulum, qui primus ante ingressum  
 Urbis post descensum montem occurrit, per-  
 transeant, prestare iuramentum Romanis in  
 hanc formam: Ego Carolus Rex Romanorum  
 futurus Imperator, iuro me servaturum Ro-  
 manis bonas consuetudines suas: sic me DEUS  
 adjuvet.* Nec vero Regum aliquis cui in Urbem  
 nihil est juris, tali sacramento Urbano populo  
 solet cavere.

Indicium superstitis & à Pontificibus ipsis confessi summi juris præstat quoque illa Equitum auratorum creatio, quam Cæsares, Romæ & aliis in locis Papali jurisdictioni subditis degentes, solent instituere ipsis Papis applaudentibus. Imo dum Conites sacri Palatii Lateranensis Cæsares instituunt, produnt eo ipso suam in media Roma superstitem auctoritatem: Pontificibus itidem tamen an-

10 nuentibus. Eodem facit, quod Cæsares, Pontificibus minime reclamantibus, privilegia & immunitates terris Papalibus soleant nonnunquam concedere. Sic de Ecclesia & Schola Bononiensi in historia anni 1365 num. 13. scribit Bzovius: *Eodem anno Urbanus à Carolo Imperatore impetravit confirmationem privilegiorum Ecclesie & Studii Bononiensis, qua alii Imperatores & præsertim Fridericus secundus concesserat. Dedit ea de re diploma*

15 *Praga 4. Id. Februarii anno Domini 1365. Imperii anno X Regnorum XIX. De eadem Schola Middendorpius l. 4. Carolus quintus Romanorum Imperator ad bene merendum de republica Christiana natus Princeps, cum à*

*Clemente Pontifice Bononia coronaretur, optimis eam privilegiis, ne quidquam ejus gloria deesse videretur, ornavit.* Et vero Bononien-  
 ses illi Caroli V tabulas hodieque maxime ja-  
 ctant, tanquam ille scholam illam vera demum  
 libertate atque immunitate ornaverit. Ad si-  
 gnum ejusdem juris Cæsarii merito referas, quod  
 Præfectus Urbis Romæ Cæsari creato ensem præ-  
 terat; imo ipsa illa Præfectura ex parte credatur  
 Cæsarii juris. Quamplures actus summæ pote-  
 statis, exercitos ab Rudolpho Henrico Carolo  
 quarto & aliis jam memoravimus capite præ-  
 cedente. Quibus omnibus nullus Paparum i-  
 tidem intercessit.

Ludovico IV Cæsari cum sui ævi Papis  
 plus fuit litium: eoque ejus actibus reclama-  
 tum quidem à Curia fuit Pontificia; interim &  
 ipsum Cæsarem illum nunquam satis laudan-  
 dum, & Proceres cum Germaniæ omnis tum  
 Italiæ, imo tantum non populum universum  
 Imperii, cum cis tum trans Alpes, illa ætate  
 judicasse, Cæsari Romano in omnia Pontifi-  
 cum bona illa integrum superesse jus sum-  
 mum, plurima utique significant, quæ cum  
 applau-

applausu publico & auxilio Episcoporum & Principum præcipuorum à Cæsare illo Romæ & alibi gesta sunt, quæ heic recensere nimis prolixum fuerit. Cum primis verò lectu & accurata observatione digna sunt gesta anni 1326 & duorum sequentium, ut & anni 1342, qualia illa ad nos per ejus ævi scriptores devenere, & non ita pridem accurato apologetico contra Bzovium defensa ab Joanne Georgio Her-  
 10 vvarto, prudentis stili facundia ornata sunt à Nicolao Burgundo, viris longe præclarissimis, idque cura & auspiciis Maximiliani Serenissimi Bavariæ Ducis & Imperii Electoris Potentissimi. Bzovius fatetur in historia anni  
 15 1327 num.2. persuasum Cæsari & aliis tum fuisse: *Christum adeoque etiam summum Pontificem & reliquos Ecclesiasticos Imperatori terreno subjectos: Imperatorem posse Papam instituere & destituere seu deponere: Papam & Episcopos*  
 20 *amplitudinem jurisdictionis non à Christo sed ab Imperatore obtinere: Papam in Imperatorem nullam potestatem habere: Papam nullum dominium in Imperio in temporalibus possidere, quod scilicet non sit legibus Imperii obno-*  
 xium

xium ad instar bonorum aliorum: *Imperialem*  
*dignitatem immediate ab ipso solo Deo esse,*  
*neque quicquam in eam Pontificem Romanum*  
*aut Ecclesiam posse: Joannem Pontificem no-*  
*torium hæreticum debere censeri.* Ut proinde 5  
 non sit mirum, auctoritatem Cæsaream præ-  
 clare adeo à Ludovico illo Cæsare tum fuisse  
 assertam. Hinc sane ille & Præfectum Urbi de-  
 dit Castrucium, iis tabulis quas Notis ad Pe-  
 trum de Andlo inseruit Marquardus Freherus. 10  
 Hinc multis aliis Pontificiæ ditionis oppidis  
 Principes Cæsarum vicarios præfecit: idque  
 quoniam Papæ suis insanis motibus donata  
 sibi à Cæsaribus jura in illa loca perdidissent.  
 Et vero usque adeo justum illud tunc est vi- 15  
 sum, ut nullis minis aut censuris passi illi sint, à  
 Papis iterum arrepta possessione se excuti: do-  
 nec novis tabulis jussi sunt Pontificia aucto-  
 ritate opida illa retinere. Nec vero hos in-  
 visos sibi Principatus tollere licuit Pontifi- 20  
 cibus, prius quam Alexandri sexti & Cæsaris  
 Borgiæ scelere vi illorum fracta, Julio tan-  
 dem secundo integrum fuit Papalem omnem  
 illam ditionem unum in corpus revocare;  
 iis ar-

iis artibus, quas Nicolaus Machiavellus *l. de*  
*Principe cap. XI.* prudenter & sic accurate satis  
 prodidit. Hinc porro idem ille Ludovicus  
 Joannem vicesimum secundum Papam, ceu  
 multis facinoribus & hæresi infamem, digni-  
 tate exui, & Petrum de Corbonia nomine  
 Nicolai Vti curavit Pontificia dignitate in me-  
 dia Roma ornari. Haud fuerit absque operæ  
 pretio, recitare hoc loco, quæ de illa Joannis Pa-  
 10 pæ Cæsarea abdicatione, ipse Bzovius, ut hostis  
 Ludovici ita Pontificum adulator maximus,  
 narrat in historia anni 1328 num. 5: quamvis  
 nonnihil possint videri justo prolixiora. *Ludo-*  
*vicus inde quatuor post diebus, omnibus qui Jo-*  
 15 *annem Pontificem oderant, quique eum studio*  
*partium diversarum sequebantur, comitatus,*  
*Imperatorio cultu supra gradus Basilica Vati-*  
*cane in throno superius elevato resplendens, im-*  
*posito omnibus silentio, Fratri Nicolao Fabria-*  
 20 *nensi Ordinem D. Augustini Eremitarum pro-*  
*fesso, trina vociferatione inquirere & percunta-*  
*ri iussit, num aliquis in tanto numero esset, qui*  
*Jacobum Cadurcensem (ita Joannem per contu-*  
*meliam nominabat) summi Pontificatus usur-*  
 Ooo pato-

patorem defendere proponeret. Nullo usquam  
 respondente, Abbas aliquis ex Germanis, omni-  
 bus ceteris procacior, propositis illis verbis sacra  
 scriptura, Hæc est dies boni nuncii, multa in-  
 summum Pontificem Joannem dictæ scomma-  
 ta & maledicta evomuit. deinde sententiam de-  
 positionis omnium iniquissimam, cujus initium  
 est. Gloriosus Deus sublimis Dominantium  
 Dominus, impudentissima temeritate, adversus  
 eundem Joannem summum Antistitem divul-  
 gavit: nec non Robertum Sicilia Regem una-  
 cum eo inter Patarenos hereticos prædamna-  
 tum, multis cum derisionibus & contumeliis per  
 calumniam & imposturas, ignibus utrumque  
 addixit seculari potestati tradidit puniendos. 15  
 Summa criminationum fuerat in sententia  
 convitiarum & maledictorum plena. Finge-  
 bat Ludovicus, quasi Joannem Pontificem cle-  
 rus populusque Romanus missis Syndicis & li-  
 teris accusaret, quod is 1. Romanam sedem, à 20  
 Christo principe pastorum, maximis Pontificibus  
 Romæ erectum, desereret, neque præcepto Chri-  
 sti, neque Petri Principis Apostolorum exemplo,  
 de residentia Romana satisfaceret, aut unquam



Avinione Romam reverti, quanquam ab universis & singulis interPELLARETUR, cogitaret. 2. Pecuniarum acervos per impositiones seu decimationes iniquas non tantum à clero, verum etiam ab universo Christiano populo per speciem belli sacri extorqueret. 3. Sacra pecunia, non adversus Saracenos, sed adversum ipsos Christi fideles, recens adversus Gibellinos in Italia suscepto bello, abuteretur. 4. Crucem sanctam, indulgentias & remissiones peccatorum, gratias & thesauros spirituales, in stipendia homicidiorum, schismatum, & sacri Romani Imperii rebellionum, tum predicaret, tum largiretur. 5. Romanos, Mediolanenses, & reliquos, utroque gladio ob id solum persequeretur, quòd Romano Imperio fideles essent. 6. Copias à Rege Galliarum & reliquis Principibus Christianis in subsidia Regie Armeniorum contra Saracenos missa, pars in Romanos, pars in Genuenses, pars in Brandenburgicos submiserit; unde tanta occidio, supra, & rerum Deo sacratarum violatio, ut Saraceni inter cetera Crucem Christi configentes improperarent: Ecce Deus Christianorum. 7. Preces & gemitus Armeniorum Christi fidelium totis quin-

que annis auxilia implorantium, tanquam aspis-  
 jurda non exaudierit, adeoq; illos gladiis barba-  
 rorum objecerit. 8. Cathedrales Ecclesias, nul-  
 lo jure aut merito jure electionis privaverit.  
 9. Beneficiorum Ecclesiasticorum distributio-  
 nem, prater jus & fas sibi de facto reservet, seu  
 usurpet. 10. Dignitates Ecclesiasticas personis,  
 nec atate, nec moribus, nec doctrina prestanti-  
 bus, sed prorsus immeritis ac indignis conferat  
 ac concedat. 11. Per Simoniacam pravitatem,  
 beneficia & bona Ecclesiastica vendat atque  
 largiatur. 12. Potentia auxilio & consilio no-  
 vi Joab Principis militie, & novi Abiathar sa-  
 cerdotis, scilicet Roberti Regis Siciliae & Ursini  
 Cardinalis Legati, fretus, schismata pestifera in  
 Ecclesia Dei suscitet, dum astutis ac dolosis u-  
 tens inventionibus, rebellionem in sacro Impe-  
 rio contra Imperatorem legitimum commovet,  
 & in effusionem sanguinis ovium Christi scele-  
 ratos armat: & velut ille in Apocal. præsigna-  
 tus, equo rufo insidens, gladioq; ancipiti praein-  
 etus pacem tollit de terra, cruoremq; innocentem  
 miscet ac bibit, duobus usus Antichristi prae-  
 soribus, Roberto & Neapoleone. 13. Patriar-  
 chas,

chas, Cardinales, Archiepiscopos Episcopos &  
 ceteros Ecclesie prelatos, potestate sua & suo-  
 rum premat, ut subjugo servitutis gemant, &  
 voluntati ejus in omnibus dictis & factis man-  
 5 cipati, neque verbum mutire audeant aut vale-  
 ant. 14. Non ad seriem Evangelica veritatis  
 aut Apostolica traditionis, sed ad suum reprobum  
 (ita reprobus Bavarus pronunciabat) sensum,  
 tanquam magister erroris & heresiarcha noto-  
 10 rius, doctrinam Christi & Apostolorum verba  
 de superioritate ac dominio temporali Impera-  
 torum super omnes traditam subvertat, adeoq;  
 contra illa verba: Reddite qua sunt Cesaris Ca-  
 sari, prevaricetur, ac prevaricationem coloratis  
 15 verbis & sententiis excusans, Evangelica veri-  
 tatis & potestatis impugnator & subversor, inter  
 heresiarchas censeatur. 15. Imperialem simul  
 cum sacerdotali potestate dignitateq;, à Christo  
 & Apostolis in diversa supposita distinctam, con-  
 20 fundat sibiq; usurpet: cum tamen Christus &  
 fugeret eo tempore, quo turba illum voluissent  
 facere Regem, & regnum suum dixerit non esse  
 de hoc mundo, & recusa verit simul regia ac sa-  
 cerdotali auctoritate prestare. 16. Jus & admi-  
 nistra.

nistrationem temporalium, quod soli Imperatori, à solo Deo immediatè collatum est, sibi arroget, temereque Vicarios Imperii instituat. 17. Præter officium & equitatem Romanos & Romano Imperio fideles processibus infamet, anathemate percellat, sacrorum justitio affligat, ac non nisi impudenter & cognitionem sibi de electione Imperatoris, & auctoritatem in confirmatione aut reprobatione electi, & potestatem in dissolvendis juramentis fidelitatis, ac reliquis in processibus contra Bavarum expressis attribuat. 18. De paupertate Christi & Apostolorum, non ex sensu Catholico definitionem evulgarit, sed inter hereticos notorios propter eam opinionem se rejecerit, adeoque se ipsum is ipse lapsus Pontificatus maximo privum fecerit.

Haëtenus Bzovius. Jure an injuria tot nominibus accusatus damnatusque fuerit Joannes Papa, jam non disputo. Nihil pro defendendo illo adfert Bzovius præter convitia & querelas: Hervartus vero omnium pene illum convincit reum, A me uni huic fini isthæc allata jam sunt, quo liquidum omnibus fiat, illa etiam ætate, qua supersticiosus Paparum cultus religionis  
specie

specie tantum non omnibus imposuerat & Imperii excusserat veterem reverentiam, vera & antiqua Cæsarum in ipsos Papas jura, exemplo ad omnem posteritatem memorabili, fuisse exercitata: multumque adeo abesse, ut isthac ætate Cæsares omnes tacito & ignavo quodam consensu Cæsaream in bona Paparum vim auctoritatemque remiserint. Ubi non possumus non & hoc monere quum defuncto Ludovico Imperatore  
 10 excommunicatos ejus fautores, Urbium Imperialium cives, Papa isthoc vinculo solvi non nisi his conditionibus jussisset: ut jurarent 1. *se credere, quod non spectat ad Imperatorem Papam deponere, & oppositum esse hæreticum.* 2. *Nulli demceps ut Imperatori se velle obedire, nisi prius per Ecclesiam ille fuerit approbatus,* quod ex Rebdorfio ad annum 1347 narrat Bzovius: nusquam fuisse in id absolutionem admissam: ceu præclare in historia ejusdem anni ostendit Her-  
 20 vvattus. Vsque adeo scilicet plane aliud tunc passim fuit persuasum de Cæsarum juribus. Sed de Ludovico Cæsare fati.

ANTE hosce centum annos avorum memoria, quemadmodum occupata per vim ipsamet  
 Urbe

Urbe Roma, & Papa Clemente septimo quasi in  
 custodiam dato, Cæsaream auctoritatem vindi-  
 caverit Carolus quintus Cæsar: nemini est igno-  
 rum. Quid alii fecerint dignum memoratu,  
 præter ea quorum jam tum meminimus, non  
 attinet recensere: quandoquidem jam tum, pro-  
 be expensis iis quæ modo attulimus, satis nemi-  
 ni non liqueat, nequaquam Cæsaribus fuisse ha-  
 ctenus animo, Imperii jura omnia Pontificibus  
 concedere, sed usque huc illos supremam saltem  
 potestatem integram illibatamque studio exi-  
 mio conservasse.

ERGO id quidem jam evicimus, pleni &  
 à Cæsaribus omnino liberi domini possessione  
 nondum reapse potitos Pontifices. Non de-  
 beri id ipsum etiam illis ullo aliquo titulo, sed  
 Cæsares ac Imperii Ordines, jure meritoque  
 nixos, id quod reliquum est auctoritatis Cæsa-  
 reæ tueri, minus operosa indiget probatione.  
 Sufficit unum illud pro argumento, quod  
 nullus juris titulus queat produci, quo illimitata  
 illa potestas Pontificibus adseratur. Etsi enim  
 alia atque alia soleant in id adferri, ea tamen  
 sunt, ut ne quidem digna censeas recitatione.

Omnia

Omnia collimant ad illam quæ divinitus creditur commissa Pontificibus summi fluminis vicariam in terris potestatem. Quæ dignitas videtur tanta, ut ab omni obsequii vilitate Pontificem eximat: perinde atque moribus Romanis antiquis magistratus servo concessus, illum servitutis nexu liberabat. Ut habetur *l. Barbarius ff. de off. prætor. l. 2. cod. de jurisdiction. omn. judic.* Verum enim vero ut admittas, illam dignitatem Papæ divini esse instituti, non tamen sequitur omnia Papæ bona esse nemini obstricta. Tum demum nempe id sequeretur, si omnia bona ab eodem illo divino instituto Papæ essent concessa ad dignitatem istam tuendam. Sic si Princeps jubeat servum suum gerere magistratum, quem solis liberis licet assequi, eo ipso illum tacite manumittit. Si servo alieno illum committat, dispar est ratio: nisi dominus consentiat. Nec enim moribus Romanis antiquis de aliena libertate sive Principi sive populo fas fuit statuere *l. qua religios. in finib. de rei vindicatione*, eoque & Barbarius ille post à domino est vindicatus & in pristinam servitutem redactus teste Suida *in voce Barbarius.*

*barius.* Quod si omnia sane Paparum bona illius divinae dignitatis causa ab omni sunt nexu libera, nullum Papae aes alienum contrahere, nihil solvere cuiquam, teneantur. At vero nulla omnino bona Papae isthoc quidem 5 titulo possident: ne quidem id illi praeseferunt. Certe ista de quibus modo nobis sermo est, ipsimet Papae liberalitati Caesarum ferunt accepta. Et in universum omnia qua ad vitam terrenam spectant subjecta sunt terrene 10 potestati, ut dicebat Hugo de S. Victore. Scite Ambrosius: *Non vis obnoxius esse Caesari, noli habere qua sunt mundi.* & Augustinus: *Noli dicere, quid mihi est Regi? quid tibi ergo est possessioni?* Ipsi Pontifices Clericos quidem iurisdictioni civili divina quadam benignitate 15 volunt exemptos, si quod tamen feudum possident, patiuntur eos sectari forum laicorum: idque passim terrarum solet observari. Et vero ex communi Doctorum sententia, etiam ipsi 20 Papae tenentur feudalibus juribus, & si feudum velint sibi acquirere tenentur praestare ad quae alii adstringuntur, nisi dominus jure suo velit cedere.

Verosi-



Verosimilius pro Pontificibus forte adferas, quod Papæ cum habeant jus Cæsares confirmandi, etiam in bona Imperii summam quasi habeant potestatem. Cæterum illa confirmandi auctoritas per est controversa, imo, ut alibi demonstratur, fictitia & nulla. Utque competat Papæ, atque adeo quadamtenus illi jus aliquod sit in bona Imperii, non tamen hinc jure colligas, bona isthæc Cæsarium jurisdictioni esse exempta. Habent enim & Electores instituendi Cæsares potestatem, nec minus tamen bona Electorum subsunt Cæsarium legibus. Et possit Papa aliquis in Regno Neapolitano quædam possidere obnoxia regni legibus, etsi regnum ipsum feudum sit Papale. Et vero in libera republica constituendorum magistratuum jus penes cives est, qui tamen legibus reipublicæ propterea soluti non sunt: potestque unus idemque ratione una esse sui juris altera subditus.

Nec vero est quod quem terreat & à vero seducat, multitudo Doctorum Pontificibus adulantium, & nihil non iis tribuentium. Fatemur enim eorum numerum sat magnum esse.

esse. At vero totidem, si non plures, ex ipsa Italia, in facili est adducere, qui Cæsari in omnem mundum aliquod æternum, & nullo tempore; nulla alienatione, nulla usucapione aut præscriptione, violabile jus adscribant. Firmis hos rationibus pugnare non dixerim: imo illos, jam alibi affirmavi, minus bene niti dictis nonnullis, petitis ex Juris Romani Corpore Justiniano. Æque infirmæ vero sunt Canonistarum ratiocinationes & perinde ridiculæ, ex Decretalibus Pontificum plerumque desumptæ: quasi jactabundæ hominum voces in propria causa argumentum juris præbeant. Et verò ipsa illa Pontificia volumina de Cæsarum auctoritate non satis sibi constant. Eoque jam Ludovico IV Cæsare prudentiores, teste N. Burgundo l. 2. Historiæ Bavaricæ, agebant, *majestatis Cæsareæ magnitudinem non estimandam esse ex Pontificum Decretis: nihil enim illis hac in parte inconstantius, nihil incertius: modo supra Pontificem Imperatores extollere, modo longe infra deprimere, prout expedisset temporis servientibus: Recentiores constitutiones ambitu plenissimas tum maxime illusisse Imperio, cum adversus publi-*

*publicas injurias nemo se auderet invidia offerre: nihil tamen fastigio potuisse detrabi inconsultis & inuitis Ordinibus.*

Hoc in primis dignum est observatu, quod  
 5 in ipsis Pontificum Decretalibus nusquam discretis verbis, illa Paparum bona omnimodæ jurisdictioni Cæsarum subducta esse, affirmetur: quantumvis multa in iis deprehendere sit Cæsarum & Imperii juribus periniqua. Ne quidem derogat, discrete quidem, juribus Cæsariis  
 10 illa excommunicatio quæ *l. 6. De elect. cap. fundamenta* detonatur in usurpatores dignitatum seu officiorum Urbis Romæ, *absque licentia Sedis Apostolicæ speciali, per ipsius Sedis literas*  
 15 *concessionem licentiæ hujusmodi specialiter exprimentes.* Fatemur enim, nisi Papa indignum se præbeat concessis privilegiis, haud par esse Cæsari, invito Papa Romæ obtrudere magistratus Urbanos. Nec in Processu Cænæ Dominicæ fulmen intenditur in Cæsarem suprema  
 20 jura sibi vindicantem, sed omnino alios. Verba ipsa id indicant. *Excommunicamus & anathematizamus omnes illos qui per se vel alium seu alios directe vel indirecte sub quoque*

titulo vel colore occupant, detinent, vel hostiliter destruunt seu invadunt, aut occupare, detinere vel destruere aut invadere hostiliter presumunt in totum vel in partem, abnam Urbem, regna Sicilia seu Trinacria, insulas Sardinia & Corsica, terram citra Pharam, Patrimonium Beati Petri in Tuscia, ducatum Spoletanum, Comitatum Venaysinum, Sabinensem, Marchia Anthonitana, Massa Trebaria, Romandiola, Campania, & Maritima provincias, ac terras specialis commissionis Arnulphorum, civitatesque nostras, Bononiam, Ferrariam, Beneventum, Perusium, Avinionem, civitatem Castelli, Tudertum, & alias civitates, terras & loca, vel jura ad ipsam Romanam Ecclesiam spectantia & adherentia, ac fautores & defensores eorum, seu in his dantes auxilium, consilium, vel favorem.

Quum omnia ergo hæc ita sese habeant, jam amplius nihil superest, quare non aperte ac libere pronunciemus: omnes Romani Pontificis terras, saltim Italicas, esse limitibus Imperii adhuc comprehensas, adeoque ipsum Papam, ratione utique illorum bonorum, subdi-

subditum Cæsaris esse. Subditum inquam : nec enim cum Joanne Bodino ausim illum Vasallum Cæsaris appellare : quod ille non dubitavit *l. i. de Republ. cap. X. n. 136.* profiteri. Ratione etiam dico bonorum illorum : quoniam hujus loci non est disputare, num etiam Papa ipse, in quantum est Romanus Episcopus, Cæsarium sit legibus obnoxius : multo minus id ipsum heic à nobis demonstratum est.

10 CAPUT XXII.

*Terras Italicæ Pontificum Romanorum beneficiarias, videri etiam hodie pertinere ad ditionem Imperii.*

15 **P**ontificum Romanorum terras, & reapse & summo jure, etiamnum intra limites Imperii contineri, ostendimus. Proximum est, uti investigemus, quemadmodum habeant se Italiæ reliqua. Horum autem quædam à Pontificibus beneficiaria lege aliis sunt concessa : quædam diversis conditionibus tenentur. Quæ citra controversiam semper in Tabulis Cæsariis nominatim traduntur concessa Papis, (cujusmodi sunt ipsa etiam Sardinia & Corfica

474 DE FINIBUS IMP. GERMANICI  
Corfica) illa tametsi ab aliis feudi aliquo jure possideantur, omnino & ipsa non excidisse Imperii juribus, existimandum est. Cum enim non diversa conditione sese habeant, atque alia Pontificibus donata, utique non minus hæc atque illa finibus Imperii nequaquam exempta sunt. Nec vero exemptionis alicujus singularis ullum licet indicium observare.

Terras omnes, quæ (si Calabriam inferiorem excipias) uno Regni Neapolitani nomine veniunt, Juris Cæsarii fuisse, & Cæsarium dono ad Pontifices coepisse pertinere, idque ad seculum usque tertiumdecimum, Normannorum vero nullum fuisse in eas jus recte quidem partum, prolixè demonstravimus capite xi. Etiam sequente tempestate omni, jus suum in terras istas à Cæsariibus per Tabulas publicas curasse Pontifices sibi confirmari, manifestum est ex iis quæ cap. 20 in medium allata sunt. Quamobrem non fortassis etiam loca, ut in Pontificia alia, Imperii summa auctoritate. In quibusdam vero Tabularum illarum comparet nomen simpliciter Regni Siciliae,

Siciliæ, imo diserte memoratur, *Regnum Siciliae cis & ultra pharum*: ceu jam vidimus. Et tamen Insula Siciliæ quæ sit juris Imperii Occidentalis Francici quod penes Germanos est, non facile apparet: ut nec illud, quæ Regnum quod Siciliæ & Neapolitanum dicitur, omnibus suis partibus sit itidem intra Imperii limites, cum Calabria inferior ab ipsius Caroli Magni ævo usque extra fines illos censita sit. Nec tamen est cur credas, temere illa nomina in Tabulas nonnullas irrepisse, utpote quum omnes illæ ex præscripto Curia Pontificiæ sint exaratae. Papas hoc ipso sibi aliquid quæsisisse, quis dubitaverit? Ast partum simul aliquid veri ac solidi juris ipsimet Imperio, haud videtur. Sane in Siciliæ insulam Reges Arragoniæ ne Pontifici quidem hodie quidquam concedunt, frustra illo ringente. Notum est, quam acriter Pontificiam causam egerit Cardinalis Baronius undecimo Annalium tomo, quantumque illi sese opposuerit Rex Hispanus. Nos ut incertis rationibus Imperio quidquam arrogemus, adduci non possumus.

At non possumus silentio præterire : Cæsares nostros dudum post Fridericum secundum non semel vi summæ suæ potestatis usos in Neapolitanos Reges Imperii rebus adversos. A Ludovico IV Cæsare, anno 1328, non minus Robertum Regem proscriptum esse atque Joannem Papam, jam tum patuit ex breviario illo sententiæ Cæsareæ, quod ex Bzovio præcedente capite recitavimus. Profcripserat vero eundem Regem jam anno 1311 Henricus Luzelburgius Cæsar, tanquam reum læsæ Majestatis, ac *privationis omnium dignitatum quocunque comprehensarum titulo* illum damnaverat. In ejus defensionem, defuncto jam Henrico, Viennæ in Concilio promulgavit quidem bullam aliquam Clemens V Papa, cujus pars potior hodie constituit cap. secundum tit. xi. libri secundi Clementinarum; inter alia prætendens, Regem, quo tempore citatus fuit, extra Imperii territorium in Regno suo degisse. Sed non est quare ejusmodi nudis assertionibus in damnum Imperii credamus: cum suppetant rationes plurimæ pro Cæsarum juribus. Nisi fortassis degerit tum Robertus Rex in Calabria





mis omnes secundum merita sua iudicans, su-  
 perbientem illum spiritum, qui ante suum thro-  
 num demens se gloria & honore ornatum con-  
 spiciens, sedem suam ad Aquilonem, ut esset si-  
 milis Altissimo, ponere cogitavit; de altis celo- 5  
 rum fastibus ad inferiora terra in opprobria  
 sempiterna demergens, ipsum omni gratia &  
 spe minime condigne privando duxit eternali-  
 bus ultionibus exponendum. Sic ad presens  
 justitiam respiciat, & equitatem videat ipse 10  
 caelestium, terrestrium, & infernorum Domi-  
 nus, qui novit occulta cordium, & ante cuius  
 tribunal cessat omnis calumnia, & veritas nul-  
 lius nequitiae tenebris obscuratur. Deponat  
 & nunc de sede potentem, qui tentavit & exa- 15  
 cerbavit ipsum, & concitavit eum in iram:  
 perdat eum qui male querit, & dat illi qui obsti-  
 nato animo viam innocentiae refugit, & gloria-  
 tur in malitia, opprobrium sempiternum: faciat  
 in eum iudicium conscriptum, & sit gloria omni- 20  
 bus sanctis eius. Nequitiae siquidem & prodi-  
 tionis alumnus Robertus, natus clara memoria  
 Caroli secundi, qui se Sicilia Regem intitulat,  
 & Imperii Romani adipe impinguatus increas-  
 satus

satus & dilatatus, contra illud (cui etiam causa  
 feudorum multorum & honorum ipsius Imperii,  
 qua haecenus tenuit, & qua iniuste principaliter  
 occupat, humiliter obedire debet) vitiis & ini-  
 5 quitatibus eminens, odia dolos & fraudes pro fi-  
 delitate retribuens, ex detestando ingratitude  
 vitio calcaneum rebellionis resumpsit erigere:  
 & contra stimulum indurata nequitia recalci-  
 trare non cessat, nefandaq; superbia tumefactus  
 10 sedem ab Aquilone, hoc est ab opposito Majesta-  
 tis Caesarea, quam eius dominam & magistram  
 revereri & honorare tenetur, supponere sata-  
 gens, ipsam convitiis & contumeliis provoca-  
 vit haecenus, & continuo animo protervo con-  
 15 tinue provocare praesumit. Ipse namque inter  
 ceteros sua malignitatis conatus, licet ante-  
 quam Imperialis coronationis causa proficisce-  
 remur ad Urbem, per suas litteras speciales plu-  
 ries culmini nostro scripsisset, quod ipse (sicut ex  
 20 causa praedicta debebat, & nos qui nec opere,  
 nec verbo gravavimus, nec gravare sed potius  
 gratiose tractare intendebamus, eundem ex gra-  
 vitate conscientiae credebamus) ad exhibendam  
 nobis debitam reverentiam & honorem, tam

in dicta coronatione quam alibi intendebat, & ad id pro viribus se parabat: confœderationes tamen, conspirationes, uniones & ligas in offensam & impedimentum processus Cesarei unacum Florentinis, Lucanis, Senensibus, & aliis nostri Imperii Romani subditis per Lombardiam, & ut eos in rebellionis precipitium excitatos foveat, omne contrarium (sicut expresse dignoscitur) per se suosque procuratos nuncios & ambasiatores, in nostra Majestatis injuriam & offensam, & impedimentum processus Cesarei, facere procuravit & fecit. Tractavit etiam, quod civitas Cremona Parma & Rhegii, que sub nostra obedientia consistebant, contra nos & Imperium rebellarent, inducendo tam communia ipsarum Civitatum, quam subditos nostros predictos ad rebellionem hujusmodi, & eis ad id pollicendo auxilium consilium & favorem. Et nihilominus dicti Roberti fulti favoribus, suaque nequitia conscii & ministri civitatis Assen-<sup>20</sup> sis, & castra Valentia, Casalis, S. Evasii, & alias nonnullas Civitates & castra Provinciae Lombardia, que mandata nostra juraverant, & nos in eorum Dominum recognoverant, & officiales nostros

nostros receperant & habebant, officialibus ipsis  
violenter eiectionis, nequiter occupatis, & occupa-  
tas, & occupata pro Roberto detinent suprascri-  
pti. Denique Robertus Joannem fratrem &  
5 stipendiarios Romanam, videlicet ea intentione  
transmisit, ut Vrbe (si posset) sua proditioni do-  
lose subiecta, vel saltem turbata, in ejus periculo  
nefanda seditionis immissio dicta coronationis  
impediret solemniam. Prout dicti Joannis & stipen-  
diariorum in ingressu nostro in Urbem predictam,  
10 quamdiu in partibus illis moram traximus, ef-  
ficaciter operum argumento probantes, una cum  
copiosa subditorum dictorum multitudine, que  
per instigationem dicti Roberti submissi sibi sub-  
15 sidii & defensionis fiducia cum armis & equis  
ad opponendum se nobis, & exercendum per ex-  
cogitatum malitiam, simul cum Joanne stipen-  
diariisque predictis convenit, ibidem contra nos  
& gentes nostras hostiliter posuerunt insidias, fe-  
20 cerunt insultus, spoliaciones, violentias, & homi-  
cidia perpetraverunt, viasque publicas & loca  
per que ad tendendam Basilicam Principis Apo-  
stolorum de Vrbe omnibus religionem profitenti-  
bus Christianam liber aditus patere debebat, bel-  
licosis

licosis apparatibus claudere nobis ac gentibus no-  
 stris ad basilicam ipsam, ne ipsa coronatio cele-  
 brari valeret, accessum totis viribus prohibere,  
 ac aliàs omni modo quo poterat Majestatem  
 nostram offendere procurarunt. Aliaque pra- 5  
 fatius Robertus committebat, & erat in situ con-  
 tra nos committendi omnia, quae ad nostri Im-  
 perii damnum tenderent, & ad eamodis omni-  
 bus, quibus poterat nitebatur. Hec siquidem  
 crescente clamore notorio, & in pluribus rerum<sup>10</sup>  
 experientia edocente, licet ipsa tam publica &  
 notoria essent, quod nulla possent tergiversatione  
 celari, & nos qui subjecti non sumus, contra di-  
 ctum Robertum propter praemissa eo irrequisito  
 potuissemus procedere: tamen ex Augusta clemen-<sup>15</sup>  
 tia (quae libentius emendat in subditis poenas, quae  
 puniat, nec exercet ferrum in eos quos sanare  
 potest lenitas medicina) post secessum nostrum  
 de Urbe praedicta, super dicto notorio, & prae-  
 dictis per ipsum Robertum contra nostram Maje-<sup>20</sup>  
 statem commissis, ad inquisitionem descendi-  
 mus, quam, ut fidei vel amoris scintilla (si qua  
 forsitan remansit in eo) ipsius viscera tangeret,  
 & ipse interim spatium ad cor redeundi haberet,  
 usq;

usque in praesens deliberationibus rationis duximus protrahendam, Robertum praedictum citari legitime fecimus, ut comparere curaret, suam (si posset) innocentiam ostensurus. Verum idem Robertus in sua protervia perseverans, in terminis sibi ad hoc praefixis, vel eorum aliquo, vel per se vel per alium comparere contumaciter non curavit. Quare nos super praemissis in ipsius Roberti contumacia fide dignis & sufficientibus receptis testibus, & eorum dictis in scriptis redactis, & per nos solemniter publicatis, & de mandato nostro à proceribus nostri Palatii cū diligentia recensitis, & facta nobis de ipsis & per ipsos relatione fideli, per ea quae probata fuerunt, praedicta omnia & singula publica & notoria esse, in scriptis interloquendo pronuntiavimus & declaravimus exigente justitia & postmodum eum requiri & citari sufficienter & peremptorie fecimus, ut certo termino jam elapsocoram nobis (ubicumque essemus) ad hanc nostram sententiam audiendam comparere curaret. Quod ipse praescius, & diffusus injuriis & offensis in sua obstinatione & contumacia & fraudibus perniciosis induratus, facere praetermisit.

R.rr

Quia

Quia igitur de premissis omnibus & singulis ( prout apertius in inquisitione continetur ) specialiter per dictos testes plenarie nobis constat, nos predictos & alios predicti Roberti excessus nefarios & opera detestanda maturo & justo librantes examine, ac illud notissimum nullatenus omittentes, quod ipse Robertus dum in Urbe predicta causâ predicta coronationis essemus, dilectissimi nostri Pisani ( qui inter ceteros nostros subditos, fidelitatis ac opinionis sinceritate, galeas ac gentes ad nostrum servitium & honorem Romam miserant ) galeas ipsas in nostra Majestatis injuriam invadi, spoliari & gentes predictas capi & incarcerari & in carcere detineri mandavit & fecit; & nihilominus in hujusmodi continuationis terminis perseverando mala malis addendo, & pejora continue committendo, dum contra rebelles nostros direximus signa Casarea, rebellibus ipsis ( sicut publicum, & notorium est, & facti evidentia docebat, & docet ) misit plures armatorum in subsidium, ut eos diutius in eorum rebellionis erroribus confoveret; & attendens, quod dum ipse potuit pacem



pacem & quietem habere, dum debuit tranquillitatem expectare, ad nostram benevolentiam & dilectionem, quam sibi ex animi sinceritate paraveramus obtinere, noluit, bella quasi vit, iniquitates exercuit, & pro posse curavit, sicut etiam procurare non cessat in Imperii populos seminare zizania, suscitare odia, immittere scandala, concitare tumultus, nutrire schismata, & fovere discordias; & sine intermissione in actu committendi continuandique perstare contra nostrum Imperium non omisit, non solum in nostri Imperii contemptum, Reique publica detrimentum, sed etiam in perturbationem prosperitatis Ecclesiasticae, quae ad Imperii statum plurimum dignoscitur tendere, & in retardationem negotii Terra sancta, ad quod (teste Deo qui omnia novit) totis conatibus & affectibus anhelamus, & videntes aperte, quod dictus Robertus irrevocabiliter in signum erroris prolapsus, & obstinatus in dolis, viam veritatis expiavit omnino, & tanquam aspis surda non obtinens auditum, nec mandata nostra nec legis poenam, in quam suis culpis (nam omne quod est ex Deo vincit mundum, & haec est victo-

ria, qua vincit mundum fides nostra) incidisse  
ac incidere noscitur, nec etiam Imperatoria ple-  
nitudinem potestatis veretur, sed quotidie cer-  
vicis durioris efficitur, & quantum ipsum ad  
pœnitudinem expectamus, tanto majorem assu- 5  
mit audaciam malignandi. Considerantes et-  
iam, quod ipse Robertus de Imperii crapulatus  
pinguedine dilatatur, & ex illicitis sibi laxatis  
habenis furit, & nobis pro obedientia rebellionem,  
& pro fidelitatis debito injurias refert, nosque ac 10  
quoscumque fideles Imperii nobis obedientes pro  
posse impugnare conatur, ejusque pravitas non  
in adificationem, sed in destructionem, non ad  
fructum & juvamen, sed ad pestem esse dignos-  
citur: & volentes præmissis injuriis & ipsius 15  
fraudibus obviare, & Evangelicam sequi do-  
ctrinam, qua nos monet, quod omnis arbor que  
fructum non fert bonum, abscindatur & mit-  
tatur in ignem, licet fideles Reges & Principes  
in suorum dignitatis eminentiam libenter con- 20  
dignis honoribus & gratiosis favoribus prose-  
quamur, tamen ut culpa supplicium timeat, &  
virtus retributionem expectet, Robertum præ-  
dictum, cujus elegimus domare superbiam, &  
pra.

presumptionem erectam conterere; ipsumque à  
 statu suo quantumcunque sublimi deponere,  
 cum propter premissa Majestatis criminis reus  
 sit, universis & singulis dignitatibus quocum-  
 5 que titulo comprehensis, quibus se intitulat &  
 decorat, auctoritatibus, honoribus, libertatibus,  
 immunitatibus & privilegiis, provinciis, comi-  
 tatibus, civitatibus, castris, terris, villis & aliis  
 feudis, vasallis, bonis, rebus, juribus & jurisdic-  
 10 tionibus universis tam perpetuis quam temporali-  
 bus, quos quas & qua habet, tenet & possidet, vel  
 quasi, seu habuerunt & possederunt hactenus quo-  
 modo libet ipse vel sui predecessores, privamus:  
 eundem Robertum rebellem, proditorem & hostem  
 Imperii, dictæq; Majestatis crimine reum, de toto  
 15 prædicto Imperio exbannimus & diffidamus: I-  
 psam, si quo tempore in nostram & Imperii for-  
 tiam pervenerit, vita, per capitis mutilationem  
 privandum, in his scriptis sententialiter con-  
 20 demnamus. Statuentes & mandantes, quod nul-  
 la persona cujuscumque nobilitatis, excellentia,  
 status, vel conditionis existat, nullaque civitas,  
 castrum, villa, vel universitas eidem contra nos  
 & Imperium præbeat publice vel occulte consi-  
 Rrr 3 lium,

lum, auxilium, vel favorem, sub pœna centum  
 librarum auri, pro qualibet civitate libras 50,  
 pro quolibet castro, villa, Marchione, Duce,  
 Comite, Barone & quolibet nobili, viginti libra-  
 rum auri, & pro qualibet singulari alia perso- 5  
 na, pro vice qualibet qua contra fecerint, com-  
 mittenda: quodque cuilibet liceat impune, Ci-  
 ves, Incolas, habitatores Civitatum, Castrorum,  
 Villarum, & quaslibet alias singulares personas,  
 cujuscunque status vel conditionis existant, qua 10  
 contra nostrum honorem obediant ei, vel darent  
 consilium auxilium vel favorem, publice vel oc-  
 culte offendere in persona rebus & juribus; &  
 ipsos, & ea capere, & arrestare, & retinere.  
 Inhibentes etiam & precipientes expresse, ne a- 15  
 liqui debitores ipsius Roberti, de bonis in quibus  
 ei tenentur in aliquo satisfaciant, vel reddere  
 quomodolibet prasumant, sed alioquin tantundem  
 Camera nostra persolvant, & ad hac sine strepitu  
 & figura judicii compellantur. Adhac univer- 20  
 sitates & provincias nostras, Civitates, Villas,  
 & singulares personas cujuscunque, praeminentia  
 vel excellentia, etiamsi Regia dignitate, vel cu-  
 juscun-

juscunq, alterius dignitatis conditionis vel status  
existant, qua ex aliquo pacto vel promissione seu  
obligatione dicto Roberto, aut predecessoris sui  
facto, pacto, vel pœna sub qualicunq, forma com-  
prehensio, vel comprehensi sint, ratione, causa,  
5 vel titulo, & specialiter de aliquo servitio faci-  
endo, vel hominum armatorum aliudque subsi-  
dium dando, per mare vel per terram, teneretur  
eidem Roberto: ab ipsis, pacto, promissione, obliga-  
10 tione & pœna apposita Vasallos quoq, & feuda-  
tarios, omnes & singulos, qui eidem fidelitatis  
vinculo, vel aliâ quacunq, ratione vel causa, ad  
aliqua servitia realia vel personalia tenerentur,  
ab omni vinculo fidelitatis, subjectionis & obedi-  
15 entia ei vel suis heredibus faciendis absolvimus  
penitus & in totum, ita quod nec civitates, castra,  
villa, universitates & persone predicta, pacto  
vel obligatione predictorum, aut Vasalli, aut  
feudatarii prefati cives, fidelitatis, subjectionis  
20 & obedientia, ratione, causa vel titulo, sibi vel suis  
heredibus quomodolibet teneantur. Ipsas etiam  
Contratas, Civitates, Castra, Villas, feudatarios,  
Vasallos, bona, res, jurisdictiones, servitia & ju-  
ra, & quaecunq, alia sub nostra contenta priva-  
tione

tione & absolute huiusmodi confiscamus. De-  
 mum omnibus & singulis militibus, Auditori-  
 bus, Judicibus, Jurisperitis & Notariis, qui e-  
 jusdem Roberti domestici seu familiares exi-  
 stunt, siue alii qui in eius servitio esse noscuntur,  
 & quibusvis aliis, districte precipiendo manda-  
 mus, quod ab ipsius Roberti familiaritate, con-  
 siliis, directione, & obsequiis quibuscunque, infra  
 duorum mensium spatium ab hodie computan-  
 dum, cum effectu recedant, & nunquam ad eius  
 servitium vel consilium accedere publice vel oc-  
 culte presumant: alioqui ipsos milites honore  
 ac dignitate militiae, iudices adjudicandi & assi-  
 dendis omnibus & singulis privilegiis & immu-  
 nitatibus, ac Notarios Notariatus officio: eos  
 videlicet ex dictis militibus, Auditoribus, Judi-  
 cibus, Jurisperitis, Notariis, qui huiusmodi man-  
 dato nostro non paruerint cum effectu, ex nunc  
 prout extunc, privamus termino supra scripto, &  
 inhabiles & infames reddimus: ita quod elapsis  
 mensibus supradictis, ad nullos actus legitimos  
 quocunque tempore postmodum admittantur.  
 Huiusmodi autem privationis, confiscationis,  
 exbannitionis, diffidationis, condemnationis &  
 abso-

absolutionis sententias in his scriptis fecimus, & omnia alia singula facta & incerta facimus existente iustitia, & bono Reipublica requirente, ac ex certa scientia & plenitudine potestatis, sup-  
 5 plentes omnem defectum, si quis forsan in inquisitione predicta, de quibuscunq; processibus propterea habitis, ob aliquam juris solennitatem omissam esset habitus. Non obstantibus aliquibus legibus, constitutionibus contrariis, vel pri-  
 10 vilegiis sub quacunq; forma verborum concessis: etiamsi oporteret de ipsis de verbum in presentibus fieri mentionem: que contra premissa vel pramissorum aliquid possent quomodolibet aliquid objici, seu opponi, quibus specialiter derogamus.  
 15 Actum Pisis in presentia nostrorum Principum & Baronum, ac populi multitudine copiosa 7 Kal. Masi, Regni nostri anno quinto, Imperii vero anno primo.

## CAPUT XXIII.

20 Quod reliquum est Italia, præter bona Pontificia, paucissimis exceptis, hodieque ad Regni Italici adeoque Imperii, ditionem  
 pertinere.

Vindicata illa Italiae parte quæ Romano  
 Sss Pontif-

Pontifici paret, aut ejus beneficio possidetur, fortassis haud adeo difficile fuerit Imperii jura in id quod Italiae reliquum est, ab interitu quem minatur, defendere. Etiam hic tamen vehementer turbatur à scriptoribus non Italicis solum sed Germanicis etiam, quod mireris. In id enim velut ex compacto videas multos eorum eosque longe praclarissimos consentire, quasi cum Friderico II regnum omne Italiae, quod primus Otto felicibus armis Germaniae asseruerat, conciderit; illum scilicet Italiae Regum fuisse ultimum, qui successerunt vero in Italiam nihil habuisse juris, saltim nunc ejus nihil quicquam superesse. Hinc sane politissimus scriptor Carolus Signius suum de Regno Italiae opus Friderici illius temporibus iere definivit. *Oportunam*, ait postumorum operis illius librorum editor Alexander Caprara, *claudenda historia rationem adinvenit. cum enim post perniciosum & Ecclesiae Romanae infestum Friderici II principatum, per viginti circiter annos Imperium interregno laborasset, ita Regni Italiae potestas delibata est, ut sequentes Imperatores ejus possessionem*



sionem aut omisisse, aut amisisse, visi fuerint; vix certe ejus Regni in Italia nomen adhuc extat. ad hoc igitur usque tempus historiam perducere placuit, ad quod, unius quasi auspiciis, in Italia dominante Imperatore, omnia gerebantur. Iisdem de causis Fridericus idem Cæsarum ultimus audit Onuphrio Panvinio, magni sane judicii viro.

Cæterum etsi non abnuam splendorem Regiæ dignitatis cum Friderico fere extinctum: ipsam tamen illam ne nunc quidem omnino interuisse, superstite scilicet etiamnum saltim parte summa Regionum jurium, liquidum facere jam conabor: idque illo argumento, quod nec aperte nec tacite juribus illis Germania hæctenus renunciaverit, eoque ne quidem longi temporis aliqua præscriptione integram libertatem sibi Italia pepererit.

APERTE id factum non esse ex eo colligo, quoniam si excipias id quod pacis publicæ, tabulis nuper Galliæ est concessum, nihil reperire licet solenni quodam contractu alienatum. Rudolphum tamen Habsburgicum Cæsarem pretio accepto Italiæ Urbes potentiores

tiores quasque plena donasse libertate, non de-  
 sunt qui memorent. Carolus Sigonius l. 20. de  
*Regno Italia* colophonem toti illi operi impo-  
 siturus quæ hac de re adfert, digna sunt quæ heic  
 legantur. *Hujus, inquit, Regni jura superiori-*  
*bus temporibus constanti populorum contuma-*  
*cia immutata, ut primus ultrò alienasse Rodul-*  
*phus Caesar DICITVR, sic primus etiam viam ape-*  
*ruisse ipsius Regni excidio EXISTIMATVR.*  
*Etenim Guelfas civitates ad obsequium redi-*  
*gere pristinum cupiens, ut in Italiam ad coro-*  
*nam Imperii accipiendam non venire oportunis*  
*viribus destitutus decrevit, quod diceret, se ine-*  
*untium Italiam vestigia cernere, exeuntium*  
*non videre; sequenti anno Princivallem Fliscum*  
*Genuensem, Vicarium Imperii generalem à se*  
*constitutum hujus officii gratia destinavit: cum*  
*ejus adventus omnium in se animos convertif-*  
*set, ipse in Etruriam progressus Florentiæ trans*  
*Arnum ad S. Gregorii adem consedit, ac magi-*  
*stratus ad se civitatum publico edicto vocavit.*  
*Qui ubi venerunt, Rodulfi nomine antiquum*  
*ac regibus præberi solitum fidelitatis ab eis sa-*  
*cramentum poposcit. Quod illa, veterè jam*  
*pridem*

pridem usurpata libertate prealata, disertissime  
prastituras esse negarunt. Qua re audita ira  
incensus, extemplo Florentia se proripuit, atque  
Aretium profectus, Florentinos, Senenses, Lu-  
censes, Pistorienses, cæterosque populos contuma-  
ces pronunciauit, ac solemni edicto proscripsit.  
Inde cum se à Guelfis desertum, Gibellinis vero  
suspectum esse, quia cum Guelfis aliquando sen-  
serat, ac propterea parum rei ulli administran-  
da idoneum esse videret; protinus ad Rodul-  
fum in Germaniam se recepit, ac difficultates  
oblatae revocande ad regiam auctoritatem  
Etruria rettulit. Quibus Rodulfus permo-  
tus, atque opibus suis, si arma vellet adhibe-  
re, diffusus; vetus ei obsequium remittere, atq;  
integram Italiae libertatem concedere statuit,  
si certam, qua maxime egebat, pecuniam  
pependissent; atque eundem cum his mandatis  
in Italiam se referre præcepit. Is profectus  
populos regia voluntatis ac gratia statim ad-  
monuit, quaque ipse potestate instructus redi-  
set, edocuit. Quod ubi illi cognoverunt, confestim  
singuli, qui luce libertatis aliqua fruebantur,  
indictam pecunia summam solverunt, ac liber-  
tate

496 DE FINIBUS IMP. GERMANICI  
*tate redempta, precipua ad eam rem privilegia  
elicuerunt. Hoc vero non solum Italici sed et-  
iam Germanici scriptores memoria commenda-  
runt.*

Hæc quidem Sigonius. At illis fidem  
memo prudens adhibuerit. Etenim id primo  
observandum, cum tantæ res soleant in robur  
& memoriam tabulis publicis comprehendi,  
in univèrsa Italia tamen nullas reperiri hujus  
argumenti, & proinde vel hinc fabulæ incer-<sup>10</sup>  
to rumori subnixæ ineptias non posse non pa-  
tere. Tabulas sese nullas nancisci potuisse, di-  
tèrtis verbis ac ingenue ipse ille fatetur mox Si-  
goniui, eoque in testimonium rei maximi  
ponderis pro tabulis verba adfert Blondi,<sup>15</sup>  
Platinae, Tritthemii, Cuspiniani, Crantzii &  
Naucleri. Is vero est Sigonius, qui epistola  
qua ad Jacobum Boncompagnum in opus il-  
lud suum est præfatus, non dubitavit affir-  
mare, sese vetera Italia & maxime Lombardiæ<sup>20</sup>  
tabularia perlustrasse, atque omnia fere que a-  
pud civitates, ecclesias, monasteria, Pontificum,  
Regum atq; Imperatorum diplomata residebant,  
aut presentem inspexisse, aut certe absentem be-  
neficio

1 *neficio amicorum hospitumque cognovisse.* Et si  
 etiam controversiæ de libertate & privilegiis  
 motæ sint florentissimis Italiæ Urbibus, à se-  
 2 quentium seculorum Imperatoribus, nulla ta-  
 3 men illatum tabulam aliquam Rudolphi pro  
 4 causa sua adduxit: certissimo indicio nullam e-  
 5 jusmodi tabulam reperiri. In gravissima illa  
 6 lite cum Marchione Finaliensi, ipsamet Genua  
 7 provocate tantum potuit ad Caroli V aliquod  
 10 diploma.

11 Obstat *Secundo* multum, quò minus Sigon-  
 12 nianæ illi narrationi credas, quod nemo etiam  
 13 historicorum ætati Rudolphinæ propinquo-  
 14 rum tale quid memoriæ prodiderit. Antiquis-  
 15 16 simus enim eorum quos in testes citare potuit  
 17 Sigonius, est Flavius Blondus ducentis amplius  
 18 annis Rodolpho junior. Et tamen Sigonius  
 19 ad scribendam historiam suam *singularum*  
 20 *etiam Chronica civitatum, qua post millesimum*  
 21 *à Christo annum confici in Italia cæpta, apud*  
 22 *privatas nunc etiam familias asservantur, ad-*  
 23 *junxisse sese, gloriatur nec vane. Quid quod ex*  
 24 *Blondo Sabellicus & Platina, ex Italis istis Ger-*  
 25 *mani nostri, auctâ, ut solet, non nihil famâ,*  
 nar-

narrationem hanc omnem desumpserint, ipsomet Sigonio observante? Ut merito dixeris omnem ejus fidem unius Blondi auctoritate niti: ceu qui primus hanc fabulam terrarum orbi passim prodidit. Quod itidem magnum est indicium 5  
incertitudinis, si non falsitatis.

Id *Tertio* loco etiam venit cum primis notandum, quod Sigonius affirmet quidem, à Rudolpho *integram Italiae libertatem concessam*, Platina item & hunc secuti Sabellicus 10  
Tritthemius Naucerus dicant, Lucenses Florentinosque *statim omnino liberos* factos esse: Blondus tamen & qui hunc descripsere Cuspinianus & Crantzius caute testentur, pretio accepto Lucenses Florentinos aliosque *in li-* 15  
*bertate quidem dimissos*, simul tamen *Imperii fideles*, à Cæsare isthoc esse *pronunciatos*. Ut proinde ipsomet primo narratore Blondo fatente, nequaquam in plenam aut integram libertatem Italici qui populi sint asserti, per 20  
Cæsarem Rudolphum. Nec enim qui fidelis Imperii esse cogitur is integram libertatem nactus est. Porro discrete dicit Platina: *Rudolphus Imperator comparanda pecunia studiosus,*

diosus, Cancellarium suum è gente Flisca in E-  
 truriam misit, qui populos omnes liberos fa-  
 ceret. Nauclerus idem iisdem verbis repe-  
 rit, nisi quod explicatius dicat, missum Can-  
 cellarium: qui populos in Etruria omnes liberos  
 5 faceret. Verba etiam Blondi sunt: Princi-  
 vallis in Italiam remissus omnes qui pecuniam  
 attribuerunt, in libertate dimissos **IMPE-**  
**RII FIDELIS** pronunciauit. Nec  
 10 vel Blondus, vel Platina, vel Sabellicus,  
 vel Tritthemius, vel Crantzius, vel Nau-  
 clerus, nominatim quidem, alios quam  
 Lucenses & Florentinos memorant, qui li-  
 bertatem ita sint consequuti. Solus Cuspi-  
 nianus addit Bononienses & Genuenses: quem  
 15 falli certum est: utpote quum saltim Bono-  
 nia Rudolphi auctoritate in Pontificum di-  
 tionem concesserit; ceu jam tum præcedente  
 est capite dictum. Igitur si audiendi etiam  
 20 fuerint Blondus & qui eum sunt secuti, ipsis  
 illis testibus constabit, non Italiæ omni sed  
 solis Hetruriæ aliquot populis, nec integram  
 sed minutam aliquam libertatem à Rudolpho  
 impetratam: atque adeo sese rem habere, fer-

me prout de Rudolpho *l. de Comit. Imperialib. cap. 6* loquitur Onuphrius: Rudolphus omnibus Urbibus, qua juris Imperii in Tuscia erant, libertatem multis aureorum millibus vendidit: quo mercatu eis paulatim ab Imperio de-  
 sciscendi occasionem dedit. Quibus verbis iudicio præstantissimus Onuphrius indicat, solas Hetruriæ urbes beneficio quodam libertatis, solito quidem majoris & quæ ansam dederit sibi captandi pleniorē, affectas, tum temporis tamen Imperii omnibus juribus solutas non fuisse.

Quarto ex historia omnis secuti ævi constat liquido, nullam urbium Italici regni omnne obsequium, statim à Rudolphi ævo, negasse Cæsaribus; sed non comiter tantum verum etiam humili modestia Dominos illos observasse, aperuisse adventantibus plerisque portas, obtulisse claves, imperatam pecuniam ministrasse, detulisse illis sæpenumero suas controversias, & sententiæ dictæ paruisse: modo ad clavum urbium sederent Gibellini qui appellabantur. Si quid enim fecius interdum accidit, uni Guelphicæ factioni adscribendum est, quæ non-



nonnunquam prævalebat. Omnes certe cives nunquam obedientiam Cæsaribus denegavere, etsi & ipsi libertatis essent studiosissimi: neque temere patriam Cæsaribus iterum subjecissent, si quidem illis de omnimoda quadam libertate à Rudolpho concessa constitisset.

Repugnant scilicet hæc omnia Sigonianæ isti narrationi: atque adeo sole clarius indicant, si quid datum fuit libertatis à Rudolpho, id omne exigui fuisse momenti. Quid? quod ipse Sigonius eodem libro vicesimo ita loquatur de Cæsare illo, anni septuagesimi septimi decimii tertii seculi historiam describens: *Rudolphus Cæsar Rudolphum Vicarium Imperii in Hetruriam misit, qui sacramenta ab amicis & in fide manentibus civitatibus posceret, ac jura quæ relinquebantur Regni sive Imperii retineret. A quo Gerardus præfectus monachorum Camaldulensium XV Kal. Septembr. confirmationem privilegiorum veterum impetravit.* Ad hoc certum est, vel ex iis quæ Bzovius narrat, & jam ante Rudolphum ægerrime tulisse Carolo Siculo tributum à Pontificibus Vicariatus Imperii per Etruriam titulum, & demum ipsomet

curante Nicolao III Papa anno 1278, armorum  
 minis Carolo invito principatum illum Imperii  
 majestati adversum extorsisse. Antoninus Flo-  
 rentinus summæ historial. tit. 20 cap. 4 § 4  
 in hæc verba scribit: Anno Domini M 5  
 CCLXXXI Rodolphus Rex Romanorum, à  
 pluribus annis electus etsi non coronatus, in  
 Alemannia moram trahens, ad requisitionem  
 Gibellinorum Tuscia, destinavit ex Alemannia  
 quendam Comitem cum trecentis militibus in 10  
 Etruriam, ut Tusci jurarent fidelitatem Im-  
 peratori & sibi obedirent. Sed nulla civitas  
 ei obedivit ( prævalente scilicet factione Guel-  
 phica) aut se subjecit, exceptis Pisanis & Ca-  
 stro S. Miniatis, quod vulgariter dicitur Al- 15  
 tedescho. Et residentiam dictus Comes faciens  
 in S. Miniato, cum copiis suis & adiutorio Pi-  
 sanorum bellare cepit contra Florentinos & Lu-  
 censes, & alias civitates adherentes parti Gu-  
 elpha. Demum compositione facta & pace cum 20  
 Florentinis, reversus est in regionem suam.  
 Hæc Antoninus. quæ tantum non totidem  
 verbis repetiit Sigonius ante recitato ejusdem  
 anni commentario. Omnia autem cum item  
 multum

multum sint diversa ab altera illa Sigoniana narratione, utique illam si non manifesti arguunt erroris saltim suspectam reddunt.

Advertendum *denique* est, ipsummet Sigonium iis verbis uti, quæ ostendunt illum non satis sibi fisum. Subdubitantis enim utique verba illa sunt: *Regni jura primus ultro alienasse Rudolfus Cæsar DICITUR, primus etiam viam aperuisse Regni excidio EXISTIMATUR.*

Quibus omnibus probe, ut par est, expensis, haud temere sane prudentior aliquis amplius persuaderi sibi patietur, illam vulgo receptam hodie fabulam de vendita Italis à Rudolfo integra libertate. Datum aliquid pertinacibus illis Urbibus, in ea virium Imperii debilitate, haud equidem negaverim: non ignarus, tenues Rudolphi res etiam in Germania eum adegisse, ad solito majora privilegia Urbibus passim spe pretii concedenda. Refert sane Spigelius Cæsaris hujus epistolam, qua in gratiam Principum de injuria sibi facta conquestorum, revocavit & imita reddidit nimis prodige de alieno facta beneficia.

At vero quidnam tandem Hetruriae illis urbibus concessum sit, ignoramus. Nec vero vel id satis constat, quod Blondus Platina & alii videntur dicere, auctoritate recenter ita partae libertatis, Florentinos novam regiminis formam instituisse, opificum plebi loco in ea concesso. Id enim jam ante ibi factum Manfredi Rege, notat Machiavellus *l. 2. Histor. Florentinae*. Leonardus Aretinus *l. 4.* & hunc secutus Antoninus illa quidem Rudolphi aetate id institutum narrat, at de aliqua nova per Rodolphum accepta libertate altum apud utrumque, ut & apud Machiavellum, est silentium. Bodino si liceret credere, res expedita fortassis esset. Is enim *l. 1. de Republ. cap. X n. 123.* testatur, quo tempore Maximilianus Caesar junctis Ludovici Galliae Regis legionibus Italiae Urbes terruit, Florentinos legatos ad Caesarem misisse, ut obsequium praestarent, & imperata facerent. Ille, inquit, acceptis aureorum quadraginta millibus, beneficia à Rudolpho indulta confirmavit, ut scilicet sua reipublica statum gubernare ac regere sibi **PRECARIO** liceret. Verum meminit quidem legationis missae à

sa à Florentinis, & privilegiorum juriumq; confirmationis à Cæsare factæ etiam Guicciardinus l. 8, Rudolfinarum tamen donationum nulla facta mentione. Est proinde etiam id incertum, 5 numquam pecuniam Lucenses aut Florentini Rodolfo dederint, aut quem in finem dederint siquam dedere. Nec vero inanis fortassean est Joannis Bodini eodem quem ante laudavimus loco perscripta suspicio: *eas pecunias quæ à ci-* 10 *uitatibus Italia pro libertate adipiscenda exactæ fuerunt, tributi aut pensionis nomine solutas fuisse.* Nihil tamen in re dubia certi definimus.

Cæterum fac ita esse. Vendiderit ita Italicis quibusdam Urbibus imo Italiae universæ libertatem integram Rudolfus: omni tamen jure & omni proinde vi destituitur contractus, quoniam is utique non ex consensu Imperii Ordinum est initus, quo uno alienandi stat arbitrium. Bene enim Bodinus: *Fura majestatis Imperii Germanici venalia non sunt; nec si essent, ab Imperatoribus sine Principum Germanicorum consensione distrahi potuerunt.* Et vero magna Imperium injuria affecisset Rudolfus, si pre-

si pretio inductus jura Imperii, quæ tueri facta  
 tecta debebat, prodidisset. Eoque non sine caus-  
 sa effusæ à suspicacibus animis in illum essent  
 duræ & asperæ increpationes. Merito scilicet  
 factum illud Rodolfi Platina, *rem tanto Prin-* 5  
*cipe indignam*: Tritthemius *rem Principi tur-*  
*pem*: Cuspinianus *gravem Imperii jacturam*,  
 appellassent. Recte etiam in hæc verba eru-  
 pisset Albertus Crantzius l. 8 Metropol. Hic  
 nostrorum Imperatorum primus Italiam pro<sup>10</sup>  
 deserta videtur habuisse. Quamvis nonnulli  
 ex successoribus sint illis colluctati, nullus tamen  
 hanc civitatibus vendidit libertatem. Fecit  
 quod solent qui rebus melioribus desperatis, non  
 quod volunt sed quod velle coguntur faciunt. 15  
 Aliquanto tamen melius erat, si nihil ille armo-  
 rum pro recuperandis Imperii juribus intentare  
 voluit, causam tamen ipsam integram servare  
 successoribus. Cæterum nos & Rudolphum Cæ-  
 sarem & simul Imperii Ordines hæctenus, nisi<sup>20</sup>  
 fallor, ab ejusmodi malignis suspicionibus satis  
 vindicavimus.

NON desunt porro, qui & Henricum Lu-  
 celburgium & Carolum IV. Cæsares ejusdem  
 criminis

criminis insimulent. Hinc Bodinus cum de Rudolfo egisset addit: *Lucenses ac Senenses eadem libertate donati sunt; cum Henrico V* (scribendum vero VI aut VII) *Cæsari pretium libertatis, hi decem, illi duodecim florenorum millibus solvissent. Totidem Petrus Gambacurtius Carolo IV Cæsari numeravit, ut summam in Pisanos potestatem adipisceretur.* At vero Lucensibus Blondus, Platina, Sabellicus, Tritthemius, Cuspinianus, Crantzius, à Rudolfo isthoc pretio libertatem emptam tradunt. Nec est alius antiquior fide dignus scriptor, qui tanto facinore Henricum magnanimum Cæsarem sese maculasse affirmet. Carolum Imperii juriū prodigum fuisse modò suis rebus studeret, notum quidem est. At nec illum quis omnia Imperii in Pisanos jura Gambacurtio cessisse memorat. In fabulis igitur etiam hæc numeranda, aut mitius certe interpretanda sunt. Utque indignum ejusmodi quod facinus horum aliquis commiserit, salva nihilominus manent Imperii jura, Cæsarium ejusmodi venditionibus nequaquam obnoxia.

POST illos Cæsares aliorum nemini aliquid vel tribuitur quidem. Ut proinde jam appareat, verum esse id quod diximus, aperta quidem alienatione nihil Regni Italici veteris omni Imperii ditioni esse subductum, præter id quod nuper admodum in Galliæ potestatem communi auctoritate Cæsaris & Ordinum devenit. Quid vero translatum nuper sit in Gallum, non aliunde quam ex ipsis Tabulis pacis publicæ cum Ludovico Rege initæ rectius potestio peti. Verba earum quæ huc faciunt, ita sese habent:

*Secundo Imperator & Imperium cedunt transferuntque in Regem Christianissimum ejusque in Regno successores, jus directi domini, superioritatis, & quodcunque aliud sibi & Romano Imperio hæctenus in Pinarolum competebat, & competere poterat.* Alibi in iisdem Tabulis, de Montisferratensis Ducatus locis inter Sabaudum & Mantuanum controversis, facto sermone, ita legas: *Conventum est, quod Tractatus Cherasci 6 April. 1609, cum subsequuta super eodem Ducatu Montisferratensi executione, firmus stabilisque in omnibus suis articulis in perpetuum manebit, excepto tamen Pinarolo*



rolo ac pertinentiis, inter Suam Majestatem,  
 Christianissimam ac Dominum Ducem Sabau-  
 dia definitis, & Christianissimo Regi Regnoque  
 Gallie acquisitis per peculiare tractatus, qui ea-  
 5 dem stabilitate & firmitate consistent in iis o-  
 mnibus qua translationem aut cessionem Pina-  
 roli & pertinentium concernunt. Hactenus Ta-  
 bulæ. Ex quibus de alienato Pinarolo quidem  
 satis liquet: num vero & in alia illa, de quibus  
 10 convenit inter Sabaudum & Gallum, perdide-  
 rit Imperium superioritatis jura, multum me-  
 ritò forte dubites. Imo illa mansisse integra, &  
 Gallo confirmatum duntaxat esse per Tabulas do-  
 minium locorum illorum utile, per cui fiat vero-  
 15 simile ex eo, quod disertis quid verbis de solo Pi-  
 narolo id sit expressum, nec fas sit prodiga qua-  
 dam interpretatione uti in negotiis minus fa-  
 vorabilibus, ubi literæ, ut ajunt, strictè est inhæ-  
 rendum.

20 Aperte quidem igitur & rite Cæsar ac Im-  
 perii Ordines nihil Regni Italici præter unum  
 Pinarolum alienavere. Quid TACITO con-  
 sensu in aliorum jura transierit, proximum  
 jam est, videamus. Vbi initiò observandum

venit: ut ante ita & post Fridericum II complures Cæsarum corona Regni Italici insigniri se curasse, aliis omnibus id integrum fuisse hactenus & esse hodieque. Id quod unum certo est argumento, & superesse etiamnum Regnum illud, & esse illud juris Cæsarum Germanicorum. Eoque nec Germaniam sua in Regnum illud jura tacito quidem consensu perire passam, nec Italiam non agnoscere amplius id quod debet obsequium. Quod si excutiantur monumenta gestarum in Italia rerum post Fridericum illum, jam etiam haud difficulter perspicere fuerit, quemadmodum perpetuo quodam tractu ad nostra usque tempora, Regia in Italiam vis & auctoritas Germanicorum Cæsarum perduraverit. Verum operosius id est quam instituti ferat ratio. Itaque nunc duntaxat paucis ostendemus, quemadmodum hodie Regni illius res sese habeant, initio facto à Principatibus, interque hos à MAGNO qui appellatur HETRURIAE DVCATV.

Atque hic quidem binas in partes vulgo solet dividi, Dominium vetus scilicet & novum: quorum illud Florentinae Pisanaeque urbis omnia,

omnia, hoc Senensem urbem aliaque noviter Magnis Ducibus acquisita comprehendit. Jam vero inter nova illa Filaterra & alii Marchionatus, olim à Malaspinis possessi, citra controversiam feuda sunt Imperii, & hactenus vasallum se Imperii Magnus Dux ultro profiteretur, passim recepta scilicet vasallagii lege Cæsari eâ in re obstructus. Raticofanum & Burgum S. Sepulchri in Umbria, à Pontifice accepit cum pignori tum beneficio. Itaque cum Pontificia omnia sint summæ potestati Cæsarium obnoxia, ut proxime quidem Magnus ille Dux horum ergo in Pontificis sit clientela, tamen hactenus etiam Imperii legibus tenetur. Regis Hispaniæ beneficiario jure possidetur Senensium respublica & Illuxæ dominium. Utriusque autem nomine Hispanus ipse agnoscit se Imperii vasallum: ut proinde etsi non proxime, subvasallus (liceat sic loqui) tamen sit Imperii horum etiam locorum ergo Magnus ille Dux. Et vero Senas quod attinet, notissimum est constanti fama si non aliunde, semper eam urbem fuisse Cæsarii juris, morigeram etiam, nisi si quando rebelles

512 DE FINIBUS IMP. GERMANICI  
Guelphi prævalerent. Non alio etiam præ-  
textu præsidium in eam induxit, mutavitque  
ejus rempublicam, iterumque cepit eam aut  
in filium Philippum Hispaniarum Regem  
transtulit Cæsar Carolus quintus. Inter con-  
ditiones, in quas anno 1555 post gravem obsi-  
dionem dedita urbs est, prima fuit (verba sunt  
Thuani l. 15) *Ut Cæsar civitatem ac Rempubl.  
Senensium in fidem suam & Imperii acciperet.*  
Eodem anno cum missus à Cæsare Toletanus<sup>10</sup>  
Senensibus persuasisset, ut se & omnia sua Cæ-  
saris & Philippi arbitrio aut voluntati sine  
conditione & exceptione permitterent, *novum  
Cæsar instrumentum confici mandavit, quo  
ditionem Senensium* (verba iterum sunt<sup>15</sup>  
Thuani) *jure Imperii ad se devolutam Philip-  
po filio concessit.* Jam ante, cum Cæsareum  
Hispanorum præsidium urbe ejecissent arce di-  
ruta, Senenses instigante Cæsare & Imperiali  
*Camera proscripti erant:* ceu apud eundem<sup>20</sup>  
Thuanum refert Monlucius. Par est illæ ratio:  
*quam ad Cæsaream jurisdictionem pertinere,*  
*non ambigitur,* ut idem Thuanus loquitur l. 5  
quo loco prolixè persequitur, quemadmo-  
dum

dum eam cum Plombino Carolus V sui juris reddere cœperit Apianis ereptam.

Vetus dominium quod vocant absolutum & liberum à quam multis creditur, nullique obnoxium, libertate illa à pluribus Imperatoribus jam olim impetrata. At vero jam ante à nobis ostensum est, fabulosum esse id omne quod refertur vulgo, de empta à Rudolpho Cæsare Florentinæ urbis integra libertate, certe momenti nullius; & tamen huic fabulæ unice innititur illa quorundam persuasio. Ut propioris temporis acta nunc tantum expendamus, nemini non constat, Urbem illam à Cæsare Carolo quinto acri bello ad officium revocatam, anno seculi superioris tricesimo. Quo in bello Cæsarem usum esse non alio quam Cæsareo jure, idque ultro petente & consentiente Clemente VII Papa, adeoque omni Medicæ familia, negari non potest. Utemur nunc tantum testimonio fere unius Pauli Jovii, quo nemo alius omnem hanc rem majore est diligentia persequutus. Ille l. 27 leges fœderis inter Clementem & Carolum initi recensens, *Adjectum est, inquit, ut postquam Florenti-*

514 DE FINIBUS IMP. GERMANICI  
rentini adversum Casarem, confisi incerta Gallo-  
rum victoria, arma tulissent, majestatis rei facti,  
libertate & antiquis superiorum Casarum con-  
cessis immunitatibus severe privarentur, obiter-  
que civitati Principem Alexandrum adolescen- 5  
tem imponeret. Florentinorum legatis impera-  
ta omnia cives facturos promittentibus, modo  
urbem vetere consuetudine liberam, sua qua po-  
titi erant libertate frui pateretur, coque ut ci-  
vitati parcendum duceret demisse postulantibus, 10  
respondisse Casarem, narrat idem, Florentinos  
inexpiabili delicto superiorum Casarum concessas  
libertates immunitates vel ingratis vel perfidiose  
corrupisse, se tamen noxam & totum eorum ma-  
jestatis crimen pro sua humanitate magnitu- 15  
dineq; animi remissurum, si Pontificem eundemq;  
civem suum, quem imprudenter patria ejecissent,  
conversis voluntatibus reciperent. Guicciardinus  
l. 19 itidem scribit, responsum à Casare Legatis:  
Civitatem ob fœdus cum Casaris hostibus initum 20  
& copias contra ipsum missas, privilegia amis-  
se, atq; ad Imperium recidisse, ideoq; Casarem de  
ea quicquid vellet statuendi potestatem habere.  
Inter leges porro deditiois prima fuit teste  
Jovio

Joviol. 29: *Ante omnia constituenda atque ordinanda reipubl. facultas arbitrio Caesaris permittitor.* Guicciardinus l. 20 habet: *Pontifex & civitas Casari, quanam esse debeat reipubl. forma, intra menses tres constituendi potestatem dato.*

Cum primis vero digna memoratu & expensione sunt, quæ Jovius ille narrat de Cæsareo diplomate, quo respublica in futurum fuit tunc ordinata, & Mediceæ familiæ Principatui subiecta; simul addens, quemadmodum diploma illud Florentiæ exceptum, & ad illam formulam omnia instituta fuerint. Quamvis enim non nihil possint videri prolixiora; quoniam tamen ad hoc argumentum nostrum unice pertinent, & clarissime ostendunt, sola Cæsarea auctoritate illum, qui hodie Florentiæ obtinet Mediceæ familiæ Principatum, & cepisse & in unum niti, operæ facturi pretium videmur si illa omnia huc adducamus. Per hunc modum temperata severitatis urbe perniciosis civibus repurgata, advenere ab Augusta Vindelicia decreti Cæsarei diplomata, solennibus lata membrana codicillis perscripta, obsignataque

aureo sigillo. Quibus Caesar diserte explica-  
 bat, se idcirco ab Hispania venisse in Italiam,  
 ut sublatis bellis certam atque optimam pacem  
 afflictis Italiae rebus apportaret, contentiones  
 tolleret, partaque cum omnibus, quibuscum an- 5  
 tea armis contendisset, concordia, sacrum bel-  
 lum contra barbaros Turcas indiceret, quo nihil  
 sibi antiquius atque nobilius vel Christianis u-  
 tilius fore existimaret. Vnos omnium vero  
 repertos esse Florentinos, qui pacis & tranquil- 10  
 litatis nomen odissent, animos feroces iniquissi-  
 me retinerent, & cum privato tum publico com-  
 modo obstinatius adversarentur. Utpote qui  
 antea rebelles animos induerint: Mediceam fa-  
 miliam, à qua privatim & publice commoda, 15  
 atque ornamenta ingentia omnibus temporibus  
 accepissent, patria pepulerint: oblitique prorsus  
 beneficiorum, & immunitatum, quas superio-  
 rum Caesarum indulgentia liberalitateque retu-  
 lissent, ab ipsius demum autoritate desciverint: 20  
 ipsorum copias & duces adversum se Neapolim  
 miserint: adventantique exercitui suo portas  
 occluserint. Quas multiplicis injuria contume-  
 lias, quum pati non posset, & sua dignitatis esse  
 statu-



statueret rebellem civitatem perdomare, coactum fuisse inferre arma: postquam tentata saepe concordia, atque aequissimis oblatis conditionibus, vel vitio temporum vel pertinacium quorundam civium malignitate corrupta, a pace se prorsus alienam ostendisset, proptereaque integrum fere annum obsederit. Se tamen quum armis fameque perdomitam jure optimo expugnare, atque militibus diripiendam tradere posset: nihilo secius Casarea clementia nunquam oblitum, populi resipiscentis pœnitentiâ fuisse contentum: atque ipsam Pontificis maxime precibus adductum conservare voluisse. Quum vero, sicuti ex deditiois conditionibus liqueret, ipsius Augusta potestatis Imperatorique arbitrii sit leges condere & rempublicam ordinare, ideo optimum fore existimabat, quod perpetuam civitatis tranquillitatem respicere videatur, Medicæam familiam reduci, atque restitui in pristinam dignitatem. Et quoniam præclare manifesteq; constat, in liberis civitatibus nunquam vigere concordiam propter diversa dissidentium facile civium studia, easque improspere semper atque infeliciter regi, nisi stabili perpetuoque reipublica

capite gubernentur, declarat Alexandrum Medicem, quem sibi generum asciverit, Reipublica caput: cuius singuli magistratus auctoritatem sequantur: eaq; dignitas ad liberos eius legitimos pertineat: atq; his deficientibus, ad proximiores Mediceæ stirpis totius ejus præeminentia & dignitatis jura devolvantur. Subindeq; Casarcuncta veterum beneficiorum atque immunitatum privilegia, quæ aliàs promeruerint, sincero affectu confirmat. Hac ut perpetuo serventur imperat, & his qui violaverint decem myriadum puri auri mulctam indicit. Hujus diplomatis sententias, quæ Latine præscriptæ erant, Italica loquutus lingua, ut ab omnibus intelligeretur, vertit, & promulgavit Antonius Musettola Neapolitanus jureconsultus, qui tum Casaris legati munere fungebatur: membranam explicatam, aureoque sigillo & manu Casaris subscriptam saepe ostendens, & legendam his qui vellent, libentissime præbens. Ipso autem Musettola perorante assurrexit Dictator Benedictus Bondelmontes, qui nuper eductus fuerat è Volaterrana turris carcere, in quem antea populares relegarant. Is juxta assidebat, hisque verbis respondit. Grata nobis

nobis atque latisſima erit hodierna diei recorda-  
tio in omnem ævi poſteritatisque memoriam :  
quandoquidem præclaro magni numinis mune-  
re, & invictiſſimi Caſaris beneficio, optimè con-  
5 ſtituta reipublicæ ac duratura tranquillitatis ini-  
tium auſpicamur. Quod igitur felix fauſtumque  
ſit Florentino populo, tegeſ nobis latas à Caſare,  
ad non dubium huius recte atque appoſite ordi-  
nati ſtatus incrementum ſuſcipio, venerorque, ſer-  
vaturumque polliceor, ac pari ſtudio atque obſe-  
10 quio magiſtratus, cunctique civitatis ordines qui  
preſentes adſunt, ſuſcipient, atque optima fide  
ſervabunt. Tum vero ad Dictatorem, Legatumque  
ſimul à dextris aſſidentem ſinguli magiſtratus  
15 viritim acceſſerunt, tactoque diplomate, atque ho-  
noris cauſa inclinatis capitibus, quæ dixerat Di-  
ctator approbarunt. Primi fuere decuriones, oc-  
to viri, & decem viri, qui ab integritate iudicis,  
famaque probitatis boni viri vocantur. Ad hos  
20 tres Guelpharum partium duces defenſoresque,  
qui magiſtratus in urbe vetuſtiſſimus habetur :  
itemque octo viri qui belli & pacis negotio præ-  
ſunt, ideoque Præctici nuncupantur. Hos ſubſe-  
quuti ſunt octo viri, qui ſummam vitæ & necis  
habent

habent potestatem. Cum his iere quinque viri, qui arario praesunt: itemque septem viri, conservatores legum appellati. Post hos trium viri fisco praepositi, & secundum hos mercatura sextumviratus, & quartum viri urbis munienda curatores. Postremo duodecem viri, quibus ab initio ordinanda reipublica munus fuerat demandatum. His accesserunt ex Mediceorum amicissimis viginti & septem primores. Ita ut universim centum & viginti primatium civium numerum implerent.

Hæc omnia Jovius. Gvicciardinus notat, Cæsareo illo diplomate Carolum civitati omnia privilegia, aliàs à se atque aliis Cæsaribus concessa, restituisse, sed ea lege, ut quotiescunque aliquid contra Mediceæ familiae amplitudinem molirentur, ea privilegia amitterent. Addit de suo, sed quali ægro animo: In hac autem constitutione huiusmodi verba, quæ ipsorum jura non modo potestate sibi à partibus concessa, verum etiam Cæsarea auctoritate dignitateque niti ostenderent, passim inseruit. Testatur Thuanus l. i: Alexandrum primum Ducem accusatum à civibus apud Cæsarem, frustra tamen, quod

*quod contra præscriptum ab ipso ordinem rempublicam administraret.*

Quibus omnibus probe expensis haud sane video, qui possit ullo amplius juris prætextu asseri, dominium antiquum Cæsaribus obnoxium non esse. Esto enim, fuerit Florentia in libertatem plenam extinctis Cæsarum juribus antehac asserta, (quod probari tamen non potest:) utique & familia omnis Medicea & ipsi cives Florentini, facti sunt excidisse Florentiam illo pristino statu, & Cæsari licuisse rempublicam ex arbitrio ordinare, & nunc adeo pœnis obnoxios cives nisi præscriptis à Cæsare legibus pareant: facti imo sunt, etiam olim non nisi ex Cæsarum privilegio immunitatibus ornatos fuisse Florentinos, & quidem mutabili ob admittam culpam. Adhoc nemini non apparet, Mediceos novum illum Principatum suum non urbi & civibus suis sed soli Cæsari debere, atque auctoritate Cæsarea cum Alexandrum tum omnes successores Florentinis præesse.

Hæcquum sint clarissimæ veritatis, mirum sane, statim Alexandri successorem Cosmum, à Pontifice creari se Magnum Hetruriæ Ducem

Ducem, addita regali corona, passum anno 1569  
 idque caussatum, quod *Florentina respublica*  
*sui juris esset, neque ad Imperium pertineret: ad-*  
*ministratio ipsius ex fœdere cum Carolo V ini-*  
*to à Clemente VII ordinata esset; Mediceos il-* 5  
*lius Principes Ducum titulum à se non Cesarum*  
*auctoritate sibi sumpsisse: ceu loquitur Thua-*  
*nus l. 46. Sed bene est, quod illam ignominiam*  
*Imperii juribus fieri, nequaquam permiserit*  
*Cæsar Maximilianus Secundus, & ad meliorem* 10  
*sententiam redierit Cosmi successor Ferdi-*  
*nandus. Nam Cæsar quidem primum ipsis*  
*ceremoniis illis Pontificiis per oratores suos*  
*intercessit: deinde lite Cosmo intentata ab Al-*  
*phonso Ferrariense Duce, nihil motus vel* 15  
*Pontificis legationibus vel protestatione Floren-*  
*tini, Cosmum tanquam Imperii beneficiari-*  
*um (verba sunt Thuani l. 54) citavit ad di-*  
*cendam causam, Cosmo iudicio se sistere coa-*  
*cto, eo eventu quem his verbis narrat Thua-* 20  
*nus l. 60, ad annum 1574: Joannes Baptista*  
*Concinus jam multoties ad Maximilianum*  
*Cesarem, ob concessum à Pio V Magni He-*  
*truria Ducis titulum, Cosmo & Francisco, qui*  
*soro-*

sororem ipsius in matrimonio habebat, succen-  
 sentem, missus, tandem obtinuit, ut hi Fran-  
 cisco tituli **TANQVAM IMPERII BE-**  
**NEFICIARIO** confirmarentur, eaque de  
 5 re amplissimum à Cesare diploma impetrauit.  
 Quæ faciunt, ut nunc quidem amplius, de jure  
 Imperii in Magnum illum Ducatum, non liceat  
 sine aliqua sive incitiæ sive malitiæ nota du-  
 bitare.

10 Multo minus fas est quempiam ambigere  
 de **MVTINÆ & REGII** Principatu. Si-  
 gonius l. 20 de Regno Italiae sub finem, cum  
 differuisset de illa à Rudolpho Urbibus Italiae  
 concessa libertate: *Triennio post*, inquit, Opi-  
 15 zo Marchio Atestinus Mutinam & Regium si-  
 bi, eodem permittente Rodulpho, subjecit. Tradit  
 idem Joan. Baptista Pigna l. 3 Historiæ Atesti-  
 næ. Ex quo discere etiam est: Anno 1312 Fran-  
 ciscum Picum Mirandulanum ab Henrico VII  
 20 Imperatore Vicarium Mutinæ esse constitutum,  
 sic tamen ut integrum Urbis jus Imperator si-  
 bi reservaret: inde Passarinum & Butironem  
 Boneculfium tyrannos Mutinam invasisse ad  
 annum 1327: quadriennio post Manfredum  
 Pium

Pium à Johanne Bohemiæ Rege Vicarium Im-  
 perii constitutum Principis nomine assumpto  
 ab hoc urbem Opizoni secundo Ferrariæ Mar-  
 chioni concessam anno 1336 & in familiæ il-  
 lius Atestinæ ditione permansisse, donec anno 5  
 1510 Julius II Papa à se captam Maximiliano  
 cessit: hunc vero illam quarto post anno Leoni X  
 Papæ decem (Guicciardinus l. 12 scribit *quadra-*  
*ginta*) aureorum millibus pignori dedisse, sed  
 iterum ab Alfonso Atestino illam recuperatam 10  
 anno 1527, possessione per auctoritatem & sen-  
 tentiam Caroli V Cæsaris confirmata, multum  
 licet fremente Clemente VII Papa, & ex sen-  
 tentia Cæsaris oblatam à Ferrariense pecuniam  
 repudiante. Per idem tempus Carolus Cæsar  
*sexcentis* (verba sunt Guicciardini l. 20) *auri* 15  
*libris à Ferrariensum Duce acceptis, ei Car-*  
*porum oppidum in perpetuum beneficium con-*  
*cessit.* Jovius in vita Alfonsi Ferrariensis ita re-  
 fert. *Alio quoque ingente Cæsaris beneficio Al-* 20  
*fonsus cumulate est auctus: nam Carpum op-*  
*pidum, de quo diuturna lite cum Alberto Pio*  
*contenderat, ei cessit legitimeque possessionis ju-*  
*ra per amplius Cæsaris codicillis est consecutus,*  
 quo-



quoniam Albertus Gallicis addictus partibus,  
 proptereaque majestatis reus factus, de jure  
 totius fere decidisset. Ex hac benignitate cen-  
 tum millia aureorum nummum, honorarii mu-  
 5 neris nomine, ab Alfonso persoluta sunt, ut in  
 erarium Cæsaris pervenirent. Hæc proin-  
 de Imperialis juris opida, cum Alfonso II  
 Duce Ferrariense sine liberis anno 1597 mor-  
 tuo cætera Clemens IIX Papali ditioni reddi-  
 10 disse, Cæsari Estensi ejusque posteris à Maxi-  
 miliano II primum, deinde & à Rudolfo Cæsa-  
 ribus facta gratia, remanserunt sed jure fiducia-  
 rio. Auctor Commentarii de Principatibus  
 Italiae à Thoma Segetho editi testatur, pro  
 15 jure illo impetrando numerata Imperatori  
 ducenta millia scutorum, fœnori à Genua-  
 tibus sumpta, ut hodieque cogatur Dux sedecim  
 millia scutorum quotannis in usuram  
 pendere.

20 De PARMA & PLACENTIA, quam  
 hodie Farnesii Principes tenent, complura pro  
 juribus Cæsariis, jam cap. vicesimo diximus: eo-  
 que nunc nihil addimus quam hoc tantum,  
 quum Placentia à Cæsare redderetur Octavio

Farnesio, dilerte adjectum, *manerent Imperio  
salva rationes, quas in Parmensi ditione habet.*  
Etsi vero etiam Principatus illius omnia à Pon-  
tifice dependeant proxime, fuerit tamen totus  
Cæsarei juris saltim remote, prout omnia Ponti-  
ficum, clientibus possessa.

Citra controversiam MANTVÆ & MON-  
TIS FERRATI Ducatus clientelari jure Im-  
perio obstricti sunt: idque fatentur utriusque  
possessores Gonzagæ. Primus ejus familiae<sup>10</sup>  
Mantuanæ capitaneus dominusque, & Vicarius  
Romani Imperii perpetuus, auctoritate publica  
institutus est Ludovicus, qui anno 1369 rerum  
potiri cœpit. Ejus nepotem Joannem Franci-  
scum Sigismundus Imperator anno 1432 Mar-<sup>15</sup>  
chionem dixit: quemadmodum Carolus quin-  
tus Fridericum Gonzagam, anno seculi superio-  
ris tricesimo, Ducem nominavit, quum Cæsa-  
rem Bononiæ coronatum Gonzaga splendidis-  
simo hospitio excepisset. Ducatus hujus quon-<sup>20</sup>  
dam partes fuere, quæ cesserunt minoribus na-  
tu; ut Guastella, Novellaria, S. Martino, Berrolo,  
Guazzado, alia cum opidis & castellis. Sed qui  
illa tenent *non agnoscunt Ducem superiorem:*

*Ilquin*

quin & dicunt directe se *Cæsaris esse vasallos*: quod etiam in *Commentario Sigethiano* est annotatum.

Mantuano MONTISFERRATENSIS

5 Ducatus junctus est, idque primum beneficio Caroli V Cæsaris. Nam cum *Joan. Georgius Palaologus* (verba sunt *Thuani l. i*) qui *Bonifacio Montisferratensi Marchioni Wilelmi fratris filio successerat, sine liberis decessisset, & Fri-*  
 10 *dericus qui Margaritam Bonifacii sororem in matrimonio habebat, hereditatem adire vellet,* contra *Sabaudo & Saluciarum Principe tendentibus, Cæsar oppida & arces imposito presidio sequestris jure occupavit, & postea tradita*  
 15 *possessione secundum Fridericum pronuntiavit.* Alibi *Thuanus* scribit: *Cum postea Guilielmus Gonzaga Friderici fil. idem sibi jus à Ferdinando Cæsare confirmari peteret, non primo tenuit, obreptum Carolo fratri contendentibus*  
 20 *qui circa eum erant.* At vero idem ille *Guilielmus à Maximiliano II Imperatore ex Marchione in Ducem Montisferrati electus, & magnis privilegiis est ornatus anno 1573. Pertinet huc Casale S. Evasii. Id quondam* (verba iterum

sunt Thuani variis & amplis privilegiis & im-  
 munitatibus ab Imperatoribus ornatum, ac po-  
 stremo meri ac mixti imperii jurisdictione do-  
 natum fuit à Friderico I, anno salutis sexto su-  
 pra millesimum octogesimum: quam & gratiam 5  
 illis CXXV. II annis post confirmavit Hen-  
 ricus. Sed cum postea Casalenses tanti benefi-  
 cii immemores cum Ticino, Alba Pompeia,  
 Vercellis & Valentia contra Henricum ipsum,  
 conspirassent, universa illa urbes privilegiis & 10  
 gratia à Cesaribus concessa exciderunt, indicto  
 etiam Imperiali exilio, ut Albericus Rosatensis  
 illius temporis fctus loquitur, h. e. tanquam  
 perduelles edicto Cesareo proscripta sunt. Hu-  
 jus edicti severitatem veriti Casalenses inpa- 15  
 trocinium Andronici Palaeologi Orientis Impe-  
 ratoris confugerunt, cujus filius Theodorus  
 Montisferrati Principatum tenebat. Hoc  
 Theodoro natus Joannes Palaeologus à Ca-  
 rolo IV Cæsare in fidem publico instrumento 20  
 tanquam Montisferrati & Casalii Marchio  
 acceptus est, eique ac successoribus Casalenses,  
 annum tributum pacti, juxta diploma Cæ-  
 sareum, jurejurando fidem obstrinxerunt. Ita-  
 que

que cum Casalenses in libertatem se asseri peterent à Cæsaribus Carolo Ferdinando & Maximiliano II, non auditi primum, denique Montisferrati Principatui per sententiam Cæsaream ad dicti sunt.

5 Igitur non obsequii tantum sed etiam beneficiario jure, utrumque Ducatum illum, Mantuanum inquam & Montisferratensem, Imperio obnoxium esse manifestum est. Et vero  
 10 usque id adeo est certum, ut cum non adeo pridem Sabaudus, Gallicis armis adjutus, partem Montisferratensis provinciæ tanquam sibi debitam occupasset, per leges transactionis Cherasci  
 15 anno 1631 institutæ & post Tabulis pacis Imperii cum Gallo initæ confirmatæ, Sabaudus feudali vinculo sese Cæsari obstringere horum quoq; locorum ergo, sit adactus. Adducam nunc tantum  
 verba Tabularum istarum quæ huc faciunt. *Cæsarea Majestas decenter requisita concedet Domino Duci Sabaudia, unà cum investitura antiquorum Feudorum & statuum, qualem inclytæ memoria Ferdinandus II Duci Sabaudia Victori Amedeo concesserat, Investituram quoque locorum, ditionum, statuum, omniumque jurium*  
 Mon-

Montisferrati, cum appertinentiis, quæ illi vi-  
 gore prædicti Tractatus Cherascensis, nec non  
 executionis inde subsequente, decreta & remissa  
 fuerunt, sicuti quoque feudorum Novelli Mon-  
 fortis, Sinii, Moncherii, & Castelletti cum ap-  
 pertinentiis, juxta tenorem Instrumenti acquisi-  
 tionis, ab eodem Duce Victore Amedeo factæ sub  
 decimo tertio Octobris Anni Millesimi sexcen-  
 tesimi trigesimi quarti, & congruenter conces-  
 sionibus seu permissionibus, nec non approbatio-  
 nibus Casarea Majestatis, cum confirmatione  
 quoque omnium & quorumcumque privilegio-  
 rum, quæ Sabaudia Ducibus hætenus indulta  
 fuerunt, quotiescunque à Domino Duce Sabau-  
 diæ requirentur & postulabuntur. In iisdem Ta-  
 bulis cautum aliquid est ad feudum Mantuanum  
 pertinens, quod proinde itidem adscribemus. Si-  
 militer declarabit Imperator, in Investitura  
 Ducatus Mantuæ comprehendi Castra Reg-  
 gioli & Luzzara cum suis territoriis & depen-  
 dentiis, quorum possessionem Dux Guastalla Duci  
 Mantuæ restituere teneatur, reservatis tamen  
 eidem juribus pro sex millibus scutorum an-  
 nuorum quæ pretendit; de quibus agere & ju-  
 dicio

*dicio experiri coram sua Casarea Majestate valeat adversus Ducem Mantua.*

Pervenimus ad Ducatum MEDIOLANENSEM. Rudolphus Cæsar Napum suo Augustali jure præsidem procuratoremque in Insubribus constituit, alamque Germanorum equitum mirificam ad eum præsidii causamisit: ut loquitur Jovius in vita Othonis Vicecomitis. Adolphus Nassavius Cæsar Matthæum Vicecomitem vicaria potestate iisdem Mediolanensibus præfecit: eundemque loco à Turrianis pulsum Henricus Lucelburgius Imperii nomine restituit. Successit patri in easdem leges Galeacius: sed quum ad Pontificias partes Cæsari inimicas inclinaret, à Marco fratre accusatus, cum Actio filio & duobus fratribus in carcerem conjectus est à Ludovico Bavaro Cæsare. Jovius in Galeacio testatur, Canem Scaligerum, oblata ingenti pecunia petiisse tum à Casare, ut Mediolani Augustali jure princeps diceretur. Marcum item Galeacii fratrem dixisse, si Cæsar impetrari à miseris civibus equi juris libertatem pateretur, Mediolanenses quantam oporteret in stipendium pecuniam

532 DE FINIBUS IMP. GERMANICI  
*cuniam prabituros, nec à fide atque amicitia Ca-*  
*sarum ullo unquam tempore discessuros. Cæsaris*  
*consilio viros insignes viginti quatuor à sin-*  
*gulis tribubus regendæ reipublicæ creatos, im-*  
*perata pecunia honorarii subsidii nomine: 5*  
*nec multò post qui summæ rerum præset*  
*cum Germanorum manu delectum Guiliel-*  
*lum Monfortium: Galeacium denique cum*  
*suis jussu Ludovici Cæsaris à Castruccio exorati*  
*carcere liberatum. Volunt alii eundem pri- 10*  
*stino loco restitutum, sed id Jovius non ha-*  
*bet. Galeacii filius Actius ( verba iterum sunt*  
*Jovii in Actio) ad Casarem Pisas profectus, post*  
*multa colloquia, egregie navante operam Marco*  
*patruo, Cæsaris animum inflexit, promissaque 15*  
*pecunia ad summam quindecim myriadum, ut*  
*paterni imperii princeps appellaretur, impetra-*  
*vit. Erat autem nomen dignitatis illud, ut*  
*Vicarius Imperii audiret: isque titulus man-*  
*fit ad Wenceslai ( Jovius perperam Ladislaum 20*  
*vocat ) Cæsaris ætatem, qui Joannem Galea-*  
*cium sceptro pileoque transmissis Ducem*  
*nuncupavit. Id quod ægre adeo tulerunt*  
*tunc Electores, ut inter alia hoc quoque ju-*  
*stam*



stam crediderint causam Wenceslai abdicandi. In tabulis abdicationis, *Mutilasti*, inquit Electores, *Imperium Mediolano & provincia Langobardie, qua juris sacri Romani Imperii fuerant, redeuntibus inde ad Imperium amplissimis emolumentis, in qua ditione Mediolanensis veluti minister Sacri Imperii partibus fungebatur; eum tu, contra quam tuam sublimitatem & dignitatem decebat, accepta pecunia Mediolani Ducem & Comitem Papiensem creasti.* Et vero illis quidem verbis subinducari videtur, haecenus aliquam proventuum partem fisco Caesareo cessisse: nonnihil scilicet ejus quod olim Caesaribus depensum fuit. Quo de ita loquitur Philippus Cominaeus l. 1 de bello Neapolitano: *Quo tempore Mediolanensem provinciam Caesares administrabant, magna erat populi libertas, & singula domus aureum solummodo pendebant annuum.* Quicquid hujus fuerit, in Joannis Galeacii duobus filiis Joanne Maria & Philippo, quorum alter alteri successit, stirps illa legitime natorum Vicecomitum interiit. Inde cum Carolus Aurelianensis Joannis Galeacii ex filia Valentina

nepos, & Franciscus Sfortia Blancae spuriae  
 maritus, sibi opimum illum Ducatum vindica-  
 rent, atque ille niteretur tabulis dotalitiis quibus  
 matri, fratribus sine prole mascula defunctis,  
 jus succedendi erat datum, intercessit Fride- 5  
 ricus III Cæsar, & ceu caducum ex feudorum  
 legibus Imperio asseruit, idque quoniam in  
 dotalitias illas tabulas non Cæsarum aliquis  
 sed Pontifex tantum, cujus in talia nullum jus  
 est, consensisset, & Blanca natalium infamia à 10  
 succedendi jure arceretur. Etsi vero omnem  
 illam provinciam in potestatem suam rede-  
 gerit, eximia armorum felicitate, Franciscus  
 Sfortia: *pacatis tamen rebus* (verba iterum sunt  
 Pauli Jovii in historica narratione Mediolanen- 15  
 sis hæreditatis) *ut imperium armis partium Ca-*  
*saris auctoritate stabiliret, per legatos postula-*  
*vit à Casare, ut quod adoptionis jure conse-*  
*cutus esset, Augustali diplomate confirmare-*  
*tur.* Nec ille tamen nec filius Galeacius, quod 20  
 neuter imperatos sumptus vellet facere, gra-  
 tiam Cæsarum impetraverunt. Ludovicus  
 tamen Galeacii frater, quem Morum false  
 cognominant, quater centum millibus au-  
 reis

reis nummis à Cæsare Maximiliano primo, sibi  
suisque legitime natis successoribus, consecu-  
tus est. Cum hunc captum omni ditione exu-  
isset Ludovicus XII Galliaë Rex, justum se hæ-  
redem ferens, quod armis vindicaverat *aucto-  
ritate tamen Cæsaris corroborandum existi-  
mavit.* Igitur (ait Jovius) cum Maximili-  
ano Cæsare, qui ex Tridentinis Alpibus ad  
Benaci lacus forte pervenerat, numerata pe-  
cunia transactum est, in hanc formulam: Ut  
Ludovicus ejusque gener ex Claudia filia Fran-  
ciscus Angolismorum regulus, liberique demum  
ejus posterii successores beneficiario jure Medio-  
lani Duces appellarentur. Sed caute additum  
erat, id fieri, *salvo jure tertii.* Itaque non  
multo post, quod Sfortiis jura integra crede-  
rentur relicta, Julii Pontificis cura, ut Maxi-  
milianus Sfortia in paternum principatum  
reduceretur, laboratum est. Et vero Galli  
tandem omni illa Italiaë parte iterum ejecti  
sunt, restitutis Sfortiis. Quibus extinctis,  
Carolus Cæsar, quod Franciscus Rex Gal-  
liaë juribus, si quæ habuisset, reddidisset se  
indignum, universum Mediolanensem Duca-

um, tanquam feudum Imperii vacuum, jure  
 Cæsareo occupavit, & mox in filium Philip-  
 pum ejusque posteros transcripsit, beneficia-  
 ria lege ab Imperio acceptandum. Ex eo Hi-  
 spaniæ Reges & hunc Ducarum, & Marchio-  
 natum Finaliensem, & Senas, & Plombinum  
 in Italia clientelari jure possident. Vt proinde  
 clarissimum sit, jam pene à Rudolphi tempo-  
 ribus usque, citra controversiam Principatum  
 illum Mediolanensem in Imperii fuisse ob-  
 sequio; perinde ut ante institutum Principa-  
 tum terræ illæ omnes Imperii legibus parue-  
 runt,

Post Mediolanensia de Pedemontanis  
 differendum esset. Quandoquidem vero illa  
 Sabaudia Ducem agnoscunt dominum, de  
 hujus vero rebus inter Burgundica est agen-  
 dum, in id usque Pedemontana quoque dif-  
 ferre, haud inconsultum arbitramur. Non vi-  
 detur etiam ex re fore, ut de aliis minutio-  
 ribus Italiae Principatibus singulatim hoc  
 loco tractemus, quum præcipuos illos & po-  
 tentiores jam asseruerimus Imperii ditioni.  
 Et vero plerosque illorum clientelari jure te-  
 neri

neri ab Imperio, partim proxime, partim quasi in subseudo, constat. Si qui sunt allodiales, Imperii tamen legibus tenentur, haud secus ac bona alia ejusdem notæ. Nec enim vel aperto  
5 vel tacito quodam Imperii consensu hætenus integram & exceptione carentem libertatem se-  
se consequutum, eorum quisquam vel probare conatus est: & tamen nihil est certius, quam omnia illa in univertum, florentibus Italici Regni  
10 rebus, & omnimoda salva adhuc prisca Germanicorum Cæsarum majestate, Imperii leges devote audivisse.

Sunt qui de MIRANDULÆ Principibus dubitant, eo quod seculo superiore, prius  
15 Ludovicus fratrem Joannem Franciscum maximum natu Mirandulæ possessione ejecerit, inde restitutum Ludovici filius Galeottus miserri-  
me obtruncaverit, Mirandula in Henrici II Gallia Regis manus tradita, acceptaque in Gallia ex  
20 regio patrimonio compensatione, sed mox regio beneficio Mirandula Galeotto reddita. Cæterum Picorum gentem, jam a temporibus Ludovici  
IV Bavari, in clientela fuisse Cæsarum, & Fridericum III Cæsarem adjecisse Comitatum  
Con-

Concordiæ, vacat dubio. A Ludovico porro violatum jus gentium, & hujus filium Galeorum immuni parricidio in patrum sæviisse, & per summum scelus Mirandula potitum, ingenuè fatetur magnus, Gallicis tamen partibus addictus: scriptor, Thuanus l. 8. Sed & abundè liquet, nec Galeotto fuisse fas Mirandulam Gallo cedere, nec Gallo defendendam illam sibi capere. Jamdudum vero etiam ad justum obsequium Pici redierunt, & nunc adeo, ut olim, Principatum fiduciario jure ab Imperatore agnoscunt: ut rectè observavit auctor commentarii illius, quem Segetho nos debere non semel jam diximus.

Ergo de Principatibus Italicis hæc fortasse nunc sufficiunt. Adjicienda nonnulla etiam sunt de URBIBUS hodieque LIBERIS, hoc est, Principis alicujus imperio non obnoxiiis. Has inter LUCAM sibi nummo comparasse libertatem integram ab Imperatore Rudolpho, vulgo quidem fertur, eoque & Socinus junior consil. 83 in pr. vol. 4. non dubitat illam nulli superiori addictam pronunciare. Verum illam fabulam jam supra  
talsi

falsi convicimus. Sed & ex historia abunde constat, etiam non multo post Rudolphum, aliam plane fuisse illius urbis conditionem. Et vero saltem id nemini temere est ignotum, Castrucium Lucensibus auctoritate Cæsarea præfuisse, Ludovico IV imperante, qui illum Ducem Lucensem & Lunensem appellavit. Huius successor Carolus IV. Vicarium eidem Urbi præfecit Cardinalem quendam Gallum; quem tamen, acceptis 25000 aureis, deseruisse provinciam demandatam, refert Leander Albertus in descriptione Italiae, ubi de Tuscia agitur. Ex eo sibi quidem & suæ libertati fuit relicta Urbs, tamen & ipsa haud illubenter Urbis Imperii hodiernum audit, nec à Cæsaribus aut vulgo etiam illa aliis solet titulis usurpari: eoque & Carolum Cæsarem excepit prout dominum excipere par erat, quod vel ex Jovii l. 26 abunde notum est.

GENVÆ item plena libertas & ab Imperii legibus exemptio à quam multis vulgo tribui solet: imo ipsa non obscure illam satis diu jam affectavit. Qua in asserenda risui sese historiae peritorum hominum exponere non

dubitarunt præclari aliquot Romani Juris  
doctores. Quos inter Menochius in Responso  
in causa Finaliensi pro Genuensibus conscri-  
pto art. 1 n. 46. asserit, Genuam plena semper  
libertate eminuisse, non tantum florentibus  
Francorum & Germanorum Cæsarum rebus,  
sed etiam rerum adhuc potentiibus Romanis:  
idque probat testimonio Episcopi Nebiensis  
(is autem est Aupustinus Justinianus) & Lean-  
dri Alberti: quorum neutri fortassis unquam  
hoc in mentem venit. Verum hæc narrasse  
refutasse est. Citra controversiam enim po-  
nendum esse, Genuam Imperii Germanici le-  
gibus paruisse usque ad Rudolphum, cuius  
monumentorum veterum paulo peritiori,  
non potest non constare. A Rudolpho Ge-  
nuensibus non esse concessam libertatem, jam  
tum demonstravimus. Quantum illa non  
multò post coluerit Henricum Cæsarem, di-  
gnum est, quod ex Conradi Vecerii libro de  
rebus gestis Imperatoris illius, hic memore-  
tur. *Cæsar, ait, ad diem undecimum Calenda-  
rum Octobrium maximo apparatu Genuam  
est inuectus.* **PRINCIPEM DOMINUM-  
QUE**



*QVE* solenni more appellantibus: mox componenda discordia ratio habita. Itaque Opicino Spinola sociisque jam pridem exulantibus confert a restitutio. Quæ res ingentem illi dilectionem civium pepererunt. Ipsi millia aureorum dono data centum, Regia vero conjugii viginti. Sed & à nemine Cæsarum plenum rerum suarum arbitrium Genuenses impetrasse, luculento argumento est id, quod in nobilissima illa causa Finaliensi tabulas nullas potuerint pro asserenda illa sua libertate producere, præterquam Caroli V. Cæsaris, quæ plane aliud liquido præ se ferunt. In illis videlicet multum quidem Urbi illi indulit Carolus, sed diserte addita salutari illa clausula: *salvo jure Imperii*; ita etiam, ut non semel inserta tabulis sint illa verba: *Civitas NOSTRA Genua*. Vtique enim pronomen illud *nostrum* dominium arguit; quod apud omnes est in confesso, ne sit necessum ad *id quod nostrum de R. J.* aliaque testimonia provocare: & qui jus Imperii salvum excipit contra privilegiorum auctoritatem, agnoscit profecto esse ipsis privilegiis majora Imperii jura. Asseruit itaque

que potius Imperii vim Carolus, quam pro-  
 diderit. Imo dum ejusmodi Tabulas tradi sibi  
 fecerunt Genuenses, non uno modo ipsi agnos-  
 verunt Imperii superioritatem: cum per illas  
 clausulas & inserta quæ diximus verba, tum  
 petita à Cæsare immunitatem libertatumque  
 suarum, non quæ extra urbem debeant ob-  
 servari, sed quæ ipsam rempublicam tangunt,  
 confirmatione. Ea Imperii majestas cluxit et-  
 jam Ferdinando I & Maximiliano Cæsaribus  
 in negotio Finaliensi. A variis illud scri-  
 ptoribus agitatum est, qui alterutrius partis  
 defensionem susceperunt: narratum etiam  
 est à non uno historicorum, breviter à Thuano  
 l. 36 initio. Quæ scripta sunt in medio.  
 Contenti nunc erimus uno Joanne Bodino,  
 cujus hæc sunt verba l. i. de republ. cap. x n. 124:  
*Tametsi Genuenses mino quam cætera civitates  
 Italica Imperatorum jussa antea fecerint: cum  
 tamen à Marchione Finaliensi, quem domo expu-  
 lerant, ac bonis omnibus spoliatum ejecerant, ad  
 Imperatoris Maximilianus II tribunal vocaren-  
 tur, sese judicio stiterunt 1559. Et cum arbitrum  
 putarent non judicem, Imperator tamen judicem  
 se fe-*

se ferens, Genuenses antea vocatos citari iussit, ac post edicta peremptoria, cum abessent, vadium deseruisse pronunciauit, hoc addito, nisi feziali suo parerent, urbem & agrum Genuensem sese proscripturum. Paulo post: Itaque cum Genuenses à sententia interlocutoria Maximiliani Pontificem Romanum appellassent, appellatione deserta iudicato paruerunt. Ac tandem Imperator pro Marchione pronunciauit, cum se Imperii Germanici Vasallum profiteretur, Genuenses verò quasi suum vindicarent. Nec multo post ab eodem Imperatore, alio iudicio damnati sunt, cum in exilium egissent Antonium Fliscum, qui provocatione ad Casarem vicit.

Hæc omnia Bodinus.

Cum VENETIS nihil heic nobis rei esset: illi intra littora & insulas suas, quemadmodum antea sese continuissent: jam tum enim facti sumus, in ipsam illorum civitatem nihil juris Germanico Imperio competere. Anonymus ille auctor Scrutinii quod appellavit, conatur quidem ostendere, Venetos ante annum millesimum trecentimum pro liberis sese nunquam gassisse. Verum illa quæ antecedunt Fri-

dericum II tempora, cur nunc attingamus,  
 nihil refert. Attamen nec Rudolpho impe-  
 rante inclytam Urbem illam integra fuisse  
 libertate, verosimile videtur reddi eo, quod  
 auctor ille *cap. 16 §. 49* referat ex Sansovino,  
 verba quædam privilegii producti de cu-  
 denda moneta, à Rudolfo Cæsare concessi,  
 traditiqve in manus Mediolanensis Dominici  
 Metamaucensis Episcopi, & Venetorum Le-  
 gati Stephani Caleprimi. Et vero fidem  
 Sansovini, nec is qui Auctori illi Anonymo se-  
 se objecit singulari libro pro libertate Veneta,  
 Theodorus Grafvvinckelius ausus fuit in du-  
 bium vocare; tantum conatus est persuadere,  
 talem cudendæ monetæ concessionem, non  
 esse argumentum alicujus Cæsarei in Vene-  
 tos superstitis juris: utpote quum ejusmodi  
 concessio nullum arguat superioritatis jus, in  
 eum cui conceditur. Verum hoc ipsum haud  
 ita in universum est verum; sed tunc demum,  
 si quando concessum sit cudere monetam,  
 quæ alibi extra territorium debeat valere.  
 Alias vero non video, quæ talis concessio non  
 arguat, & illum, cui tale quid conceditur,  
 propria

propria auctoritate jus monetæ cudendæ non habere, adeoque destitui saltim aliqua parte *αὐτῆς ἐξουσίας*, & illum qui concedit isthoc loco supremi aliquid juris obtinere. Videtur autem, consecutos Veneros à Rudolfo monetæ jus, non simpliciter, sed ejus quæ in Regni Italici vicinis locis possit & debeat valere. Quæ domi (Venetiis nimirum) valeant, fuit illis jam olim liberum ex usu suæ reipubl. cudere; non tamen ille idem nummus etiam alibi valuit, in Regno Italiae videlicet, nisi auctoritate Cæsarea accedente. Interfuit autem Venetorum, quod cum in illa continenti Italiae parte sibi frequentissima atque opulentissima commercia intercederent, nummo uti, cui & in illis Regni Italici locis, auctoritate publica Imperii, de pretio esset autum. Hanc mentem esse privilegii illius Cæsarii à Sansovino in lucem producti, videntur non obscure ipsa illa verba indicare: *simulq; eis nummi monetam concedimus, secundum quod eorum Duces à priscis temporibus habuerunt.* Quapropter in eundem sensum accipienda etiam sunt, si fidem meren-

546 DE FINIBUS IMP. GERMANICI.  
merentur, quæ Petri Participatii Venetorum Du-  
cis imagini subscripta sunt.

*Multa Berengarius mihi privilegia fecit.*

*Et nunc monetam cudere posse dedit.*

Nec vero Berengario in Venetias quidpiam uti-  
que fuit juris.

Quicquid sit, saltim Rudolfum aut ejus  
ætatis Cæsares, in Venetos ipsos nihil sibi  
arrogasse, clarum adeo est, ut putidum sit  
velle id negare. Non ignoro, Albericum de  
Rosate, magni quondam nominis Jurisconsul-  
sultum, testari ad l. cunctos populos Cod. de san-  
cta trinitate: Vidisse se privilegium exemptio-  
nis, concessum Duci & civitati Venetiarum,  
bullatum bulla aurea: & per illam dicunt (in-  
quit) se Imperio non debere subesse, & ita et-  
iam videtur sentire magister Joannes Parisi-  
ensis. At vero vidit fortassis ille aliquam ta-  
bulam Cæsaream, sed in confessionem libertatis  
confectam, non in testimonium à Cæsare  
quodam factæ exemptionis: quæ inter ingens  
discrimen est. Utque viderit Albericus quod  
vidisse sese existimavit, non addit tamen, fuerit  
ne illud documentum impetratæ libertatis.  
Vtq;

Vtq; demum ab anno supra millesimum trecentesimo integram sibi libertatem Veneti adscripserint : cum tanto temporis spacio nemo id vocarit in dubium (ut nemo fortassis vocavit) etiam ita libertati illius Urbis ab Imperio jam satis fuerit cautum.

At de iis quæ Veneti in Italiae continente ora occupaverunt , multum dispar est ratio. Nec enim vel ipsi negaverint, illa fuisse in ditio-  
 10 ne Regni Italici, saltim etiamnum Rodolfo Cæsare. Adhuc autem Henrico VII Cæsare, anno MCCXXI, tributum illos ex more veteri sol-  
 visse, locuples auctor est Conradus Vecerius I. de rebus gestis Cæsaris illius. Ejus verba sunt  
 25 hæc de Episcopo Genevensi Cæsaris Legato:  
*Idem Antistes profectus Venetias, TRIBV-  
 TVM PRO VETERE CONSVETU-  
 DINE postulavit. Appulso honor ingens  
 habitus, adnumerat aque in tiaram Romanam  
 20 talenta Veneta mille.* Hæc sine dubio data fue-  
 runt earum terrarum caussa quæ Regno Italico  
 tum adhuc accensebantur, à Venetis licet possi-  
 derentur. Ex eo demum suorum saltim plæra-  
 que possessione Imperii excidisse, Veneti ipsimet

ultra fatentur. Et tamen hodie Marchiam omnem Tarvisinam, Forum Julium, Istriam, Lombardiæ transpadanæ partem, territorium nimirum Brixienſe Bergomenſe & Veronenſe, Cremam deniq; in regione Cenomannorum tenent. 5  
 Multa alia per Italiam jam tenuerunt: quorum bona pars Pontificibus & Mediolani Ducibus potentioribus reddita quidem, hæc tamen in ditione illorum ita permansere, quasi Cæſarum jurebus extinctis, extra Imperii territorium jam ſunt 10  
 collocata.

Verum enimvero aut juſto aliquo bello cum Imperio geſto illa Venetis ceſſerunt; ut ſolent belli jure ea quæ devicta ſunt in victorum poteſtatem pervenire, atque ita armis & vi 15  
 veteri dominio exciderunt: aut acceſſit aliqua Imperii conſenſio ſive aperta ſive tacita. Bello pleraque occupata haud negaverim. Nullum autem cum Imperio bellum eſt geſtum, aſt cum Scaligeris, Carariis, Vicecomitibus, aliis, quorum 20  
 nemini integra fuit in bona ſua poteſtas, ſed Imperio obnoxia. Itaque ut illi Venetorum hoſtes jure ſuis exciderint ( nec enim hoc nunc diſputo ) illo tamen belli, jure Imperium ſummam  
 ſuam



suam majestatem non perdidit. Numquam etiam Imperium, aperte quidem & non dissimulante, jure suis in vetus illud suum patrimonium renunciavit.

5 Majus dubium est, an non tacite consenserit, quando nunquam illud sibi iterum vindicaverit. At vero non qui rem sibi non vindicat consentit in possessionem alienam: est enim ut prohibeatur recuperare desiderata. Sed & Maximilianus Cæsar magnam partem occupatarum à Venetis urbium asseruit quondam Imperio, in primis, Patavium, Vicentiam, Veronam: etsi vicissitudine fortunæ rursus amiserit. Cum primis lectu digna est accusatio publica  
15 Cæsaris illius, qua tanquam per fecialem Venetis, initio anni 1509, bellum indixit, post foedus Cameracense: quapropter illam heic, saltem potiore ex parte, recitabimus, ut omnibus appareat, tunc temporis utique, non dissimulato  
20 dissensu, turbatam Imperii nomine Venetorum quietam aliquamdiu possessionem. *Maximilianus divina favente clementia electus Romanorum Imperator semper Augustus, Rex Germania, & Hungaria, Archidux Austria.*  
Bbb 2 Bur.

Burgundia, Lotharingia, Brabanitia, Styria,  
 & Carinthia, ac Marchio Sac. Rom. Impe-  
 rii &c. Recognoscimus, & presentium tenore  
 notum esse volumus universis, quod quum  
 sanctissimus in Christo Pater & Dominus, Ju-  
 lius, divina providentia Sacrosancta Romana  
 Universalis Ecclesia Summus Pontifex, Domi-  
 nus noster Reverendissimus, saepius & repetitis  
 vicibus, nos pariter & Serenissimum atque Ex-  
 cellentissimum Principem, Dominum Ludovi-  
 cum Regem Franciae, fratrem nostrum charissi-  
 mum, aliosque Christianos Principes instantissi-  
 me admonuerit, ut tanquam veri & devoti fi-  
 lii Ecclesiae, vellemus ad conservationem Chri-  
 stiana reipublicae intendere, quae indies à trucu-  
 lentissimis Turcis, & ceteris infidelibus maxi-  
 mas jacturas patitur, ac etiam ad conservatio-  
 nem jurium & bonorum Sanctae Sedis Apostoli-  
 cae, atque Beatitudini suae totis viribus assistere,  
 ad recuperationem eorum, quae postposita fide,  
 omni religione contempta, nulla habita ratione  
 aequi honesti & justo, Veneti, pluribus jam an-  
 nis de Beati Petri Sanctae Romanae Ecclesiae pa-  
 trimonio tyrannice invaserunt usurparunt.  
 & ac-

Et occuparunt, ac de presenti nullo iusto titulo  
indebite occupant Et detinent. Cui exhorta-  
tioni Sanctissimi Domini Nostri, Nos Impera-  
tor prefatus, pro sincera nostra in Sedem A-  
postolicam observantia, (ut par est) parere, vo-  
lentes, huiuscemodi defensionem Et conserva-  
tionem Reipublice Christiane, nec non incre-  
mentum Sanctae Sedis Apostolicae, juxta mayo-  
rum nostrorum vestigia Et exempla, tanquam  
etiam illius Advocatus Et Protector, cum sum-  
mo desiderio amplecti Et suscipere fuimus sem-  
per ex animo inclinati. Considerantes etiam  
gravissimas jacturas injurias rapinas Et da-  
mna, quae prefati Veneti nedum Sacrosanctae  
Sedi Apostolicae, sed Et Sacro Romano Imperio,  
domui Austriae, Ducibus Mediolani, Regibus  
Neapolitanis, Et aliis multis Principibus, vio-  
lenter intulerunt, illorum bona, possessiones, civi-  
tates, oppida, perinde ac si in communem omni-  
um perniciem conspirassent, tyrannice occupan-  
do Et usurpando. Propter quod non solum sa-  
lubre utile Et honorificum, sed omnibus predi-  
ctis necessarium esse existimamus, ut omnibus  
ad justam vindictam excitatis, tandem ad re-  
strin-

tringendum insatiabilem Venetorum cupidita-  
 em, & dominandi libidinem, tanquam ad com-  
 mune incendium accurratur, junctisque viribus  
 & armis, bona per eosdem Venetos ablata, &  
 occupata recuperentur & redintegrentur. Ea-  
 que de causa nuper Illustrissimam Principissam,  
 Margaritham Archiducissam Austriae, Ducis-  
 sam Burgundiae, relictam viduam Sabaudiae, si-  
 liam nostram charissimam, ad civitatem no-  
 stram Imperialem Cameracensem misimus, quae  
 vigore pleni & sufficientis mandati nostri, tan-  
 quam specialis nostra in hac parte procuratrix,  
 post conclusam generalem pacem inter Nos, su-  
 pranominatum Serenissimum fratrem nostrum  
 Regem Franciae, cum Reverendissimo in Christo  
 patre, D. Georgio de Ambrosia tit. V. Sixti San-  
 cta Romana Ecclesiae presbytero Cardinale Ro-  
 thomagensi, ac Sedis Apostolicae per Franciam  
 à Latere Legato, faciente se in hac parte for-  
 tem nomine Sanctissimi Domini Nostri, & eti-  
 am jam dicti Serenissimi Regis Franciae fratris  
 nostri ad haec deputato Procuratore, ac cum spe-  
 ctabili Jacobo de Albion milite Serenissimi Re-  
 gis Arragonum Oratore, & ad haec etiam spe-  
 ciali

ciali procuratore; tractavit, fecit, conclusit,  
Et juravit, ac litteris suis roboravit fœdus,  
confœderationem, unionem Et ligam, contra i-  
psos infideles ac etiam contra Venetos, juxta  
5 capitula, puncta Et articulos: quarum littera-  
rum capitulorum punctorum Et articulorum  
tenor de verbo ad verbum sequitur, Et est ta-  
lis Et c. Imprimis, quia hodie nos cum prefato  
Domino Cardinali Rothomagensi Legato, Et ex  
10 predictorum Sacratissimi Domini Imperato-  
ris Et Christianissimi Francorum Regis nomi-  
nibus, inivimus, Et conclusimus pacem genera-  
lem, atque confœderationem, in qua etiam inter  
cetera Sanctissimum in Christo patrem Et Do-  
15 minum, D. Julium II divina providentia San-  
ctæ Romanæ Ecclesiæ Summum Pontificem, Do-  
minum nostrum observandissimum, Et Sere-  
nissimum Arragoniæ Regem inclusimus, atque  
utrique parti adhuc facultatem reservavimus,  
20 infra quatuor menses posse alios suos confœde-  
ratos nominare, Et eidem paci, seu confœdera-  
tioni includere. Et quoniam Veneti in maxi-  
mum præjudicium Sanctæ Sedis Apostolicæ, Sa-  
crique Romani Imperii, Et Dominorum Au-  
stria

554 DE FINIBUS IMP. GERMANICI  
striae, ac Christianissimi Regis Francia, ad cau-  
sam Ducatus Mediolani, ipsiusque Serenissimi  
Regis Arragonia ad causam Regni Neapolita-  
ni, jamdudum tyrannice & violenter occupa-  
runt, detinuerunt, & presentialiter usurpant;  
occupant & detinent quamplurimas provinci-  
as, urbes, & dominia, ipsis Sacratissimo Domino  
Imperatori, & Regibus prænominatis, singula  
singulis referendo pleno jure pertinentia: Tra-  
ctatum & conventum est, inter nos nominibus  
antedictis, quod nec Sacratissimus Dominus Im-  
perator Romanorum, nec Christianissimus  
Francorum Rex, debeant nec possint Ducem &  
Dominium Venetorum, aut eorum subditos,  
nec alios communes hostes, contra quos est mo-  
vendum bellum, pro confœderato vel confœde-  
ratis suis nominare, seu huic paci seu confœde-  
rationi hodie facta qualitercunque includere:  
quinimo præfatus Dux & Dominium Veneto-  
rum, atque eorum subditi, à præfata pace & con-  
fœderatione prorsus debeant excludi. Item a-  
ctum est & conventum, quod sit una specialis  
liga unio amicitia & confœderatio, inter San-  
ctissimum Dominum nostrum Papam, & inter  
prædi-

predictos sacratissimum D. Imperatorem Romanorum & Serenissimum Francia & Arragonia Reges, contra ipsum Ducem, & Dominium Venetorum, atque ipsorum subditos, pro recuperatione, seu redintegratione omnium perditorum. Item pro celeriori hujus rei expeditione actum & conventum est, quod ipsi Sanctissimus Dominus Noster, Serenissimi Francia & Arragonia Reges, & ipsorum quilibet cum sufficienti militum, & peditum exercitu, ac cum artellaria necessaria, teneantur infra diem primam Aprilis proxime venturam, pro recuperatione antedicta, communibus armis eosdem Venetos hostiliter invadere: nec prius a predicta invasione, seu guerra, aut armis per aliquem eorum desisteretur, quam omnino & integre Apostolica Sedes recuperaverit Ravennam, Cerviam, Faventiam & Ariminum eorumque districtus, ac alia oppida Imola & Casena, cum omnibus earum juribus & pertinentiis, ac omnia alia, que de statu & juribus Ecclesie Romanae dicti Veneti occupant & detinent: & prefatus Sacratissimus Dominus Imperator recuperaverit Roveretum, Veronam, Paduam, Vicentiam,

tiam, Tarvisium, Forum Julium, cum territo-  
 riis ac pertinentiis eorum: nec non Patriarcha-  
 tum Aquilegiensem, cum singulis suis pertinan-  
 tiis, omniaque alia loca & dominia, per ipsos  
 Venetos in hoc ultimo bello capta, & occupata,  
 ex terris & dominiis domus Austria. Et pari  
 modo ipse Christianissimus Francorum Rex re-  
 cuperauerit totaliter Brixiam, Bergomum, Cre-  
 mam, Cremonam, Geradaetam, cum singulis i-  
 psorum locorum districtibus, territoriis ac perti-  
 nentiis, & generaliter omnia ea que fuerunt  
 antiquitus de Ducatu & dominio Mediolani, ac  
 predecessorum ipsius Christianissimi Regis in eo-  
 dem Ducatu. Et similiter ipse Serenissimus  
 Rex Aragonum recuperauerit ea omnia, que i-  
 psi Veneti de regno Neapolitano & ex predeces-  
 soribus in ipso regno quovis modo abstulerunt, &  
 usurparunt, ac de presenti quovis colore usur-  
 pant detinent & occupant, videlicet Trantum,  
 Brundisium, Otrantum, & Gallipolim, ac o-  
 mnia alia que de regno Neapolitano per eos oc-  
 cupantur. Item poterunt etiam illustris Dux  
 Sabaudia pro regno Cypri & Marchis Man-  
 tua pro recuperatione eorum, que dicti Veneti  
 eis de-



eis detinent & occupant, se huic liga ad iungere,  
 & in hanc confederatione se includere. Item  
 quod etiam sit facultas Serenissimo Regi Angliæ  
 se includendi in hac confederatione & liga, siue  
 5 ad offensionem, siue ad defensionem tantum, si-  
 ve ad utrumque, prout ei melius videbitur.

Hactenus Cæsar Maximilianus. Non mi-  
 nus digna memoratu est oratio, quam post infe-  
 lix ad Abduam prælium, eodem anno Anto-  
 nius Justinianus, Venetorum tunc legatus, co-  
 10 ram Cæsare habuit, qualem illam l. s. Guicciar-  
 dinus refert. Sane probe expendi illam, argu-  
 menti hujus plurimum interest. Veteres Phi-  
 losophos, atque summos illis temporibus viros, In-  
 victissimos Cæsar, cum eam gloriam que ex sui  
 15 ipsius victoria comparatur, veram, firmam, æ-  
 ternam, immortalatemque esse affirmarunt, eam-  
 que super omnia regna trophea atque triumphos  
 extulerunt, minime errasse manifestum certum-  
 que est. Hæc Scipioni majori tot victoriis claro,  
 20 majorem splendorem quam Africa devicta &  
 Carthago domita dedit. Nonne hæc eadem res  
 magnum illum Macedonem immortalitate do-  
 navit? cum Darius maximo prælio ab illo vi-

etus, Deos immortales, ut regnum suum stabi-  
 lissent, precatus est: quod si secus statuissent, se  
 non alium successorem, quam tam benignum  
 hostem, tam mansuetum victorem ab illis pete-  
 re. Caesar ille dictator, à quo Caesaris cognomen- 5  
 tum habes, & cujus fortunam, liberalitatem,  
 magnificentiam, aliasque virtutes obtines, non-  
 ne concedendo, remittendo, condonando, qui in  
 Deorum numerum referretur, dignus est judi-  
 catus? Denique Senatus populusque Romanus, 10  
 ille mundi domitor, cujus imperium in terris in-  
 te solo est, cujusque amplitudo & majestas in te  
 conspicitur, nonne plures populos atque provin-  
 cias, clementia, equitate & mansuetudine quam  
 bello armisque imperio suo subiecit? Quae cum 15  
 ita sint, minime inter postremas laudes id tibi  
 adscribetur, Caesar, si cum victoriam adversus  
 Venetos in potestate tua habeas, quam humana  
 res caduca sint memor, ea moderate uti noveris,  
 magis ad pacis studia, quam ad dubios belli e- 20  
 ventus propensus. Quanta enim rerum huma-  
 narum inconstantia sit, quam incerti casus,  
 quam dubius, varius, fallax, obnoxiusque peri-  
 culis sit mortalium status, externis praevisque e-  
 xemplis

xemplis ostendere non est opus. Satis superque  
Veneta Respublica docet, qua paulo ante florens,  
splendens, clara atque ita potens erat, ut ejus no-  
men & fama non jam Europa finibus contine-  
retur, sed egregia pompa Africam Asiamque  
51 percurreret, atque in extremis orbis terra termi-  
nis magno cum plausu resonaret: hac eadem  
nunc, unico coque levi adverso praelio, rerum ge-  
starum gloria orbata, opibus spoliata, lacerata,  
10 conculcata, atque eversa, omnium rerum ac pra-  
sertim consilii egens ita corruit, ut omnis pri-  
stina virtutis imago consenuerit, omnisque ar-  
morum ardor deferbuerit. Sed falluntur procul  
dubio, falluntur Galli, si hac propria virtuti tri-  
buunt. Antehac enim Veneti gravioribus in-  
15 commodis agitati, maximis detrimentis cladi-  
busque perculsi atque attriti, nunquam animum  
abjecerunt, ne tum quidem, cum ingenti pericu-  
lo cum sevissimo Turcarum tyranno multos  
20 annos bella gesserunt: imo semper ex victis vi-  
ctores facti sunt. Idem & nunc sperassent, ni-  
si Majestatis tuae tremendo nomine, copiarumq;  
tuarum vivida invictaque virtute audita, ita  
omnium animi concidissent, ut nulla non modo  
Cccc 3 vincen-

vincendi, sed ne obsistendi quidem nobis spes re-  
 licta fuerit. Quocirca armis abjectis, in Maje-  
 statis tuae incredibili clementia, vel potius di-  
 vina pietate spem omnem locavimus, quam nos re-  
 bus nostris perditis inventuras minime diffidi-  
 mus. Itaque Principis, Senatus, populi que Ve-  
 neti nomine, humili devotione supplices oramus,  
 obtestamur, atque obsecramus, ut clementia ocu-  
 lis res nostras afflictas respicere digneris, iisque sa-  
 lutarem medicinam afferre. Omnes pacis leges  
 quas tu nobis imposueris amplectemur: omnes  
 justas, honestas & ab aequitate rationeque minime  
 alienas ducemus. Sed fortasse qui nobis ipsis  
 mulctam imponamus digni sumus. Ad te VE-  
 RVM & legitimam Principem omnia quacunq;  
 majores nostri sacro Imperio & Austria Duca-  
 tui ademerunt, redeant: quae ut decentius ve-  
 niant, omnia quaecunq; in Continenti possidemus  
 adjungimus, quarum rerum juribus quocumque  
 modo partis cedimus. Praeterea quotannis tuae  
 majestati, & legitimis Imperii successoribus in-  
 perpetuum quingenta auri pondo tributi nomi-  
 ne pendemus. Imperiis, decretis, legibus prae-  
 ceptisque tuis libenter obtemperabimus. Defende nos  
 quaeſo

quaso ab illorum cum quibus paulo ante arma  
nostra conjunximus, insolentia: quos nunc seruis-  
simos hostes experimur: qui nihil aliud expe-  
tunt, quam Veneti nominis interitum. Tua  
5 ista clementia conservati, te Urbis nostrae paren-  
tem, genitorem, conditoremque appellabimus: in-  
gentia beneficia tua in annales referemus: libe-  
ris nostris perpetuo memorabimus. Nec vero  
parva haec erit ad tuas laudes accessio, te pri-  
10 mum esse ad cuius pedes Veneta Respublica sup-  
plex se humi prosternat, cui cervices supponat,  
qua velut Deum caelo delapsam colat, reverea-  
tur, observet. Si Deus Opt. Max. eam men-  
tem majoribus nostris dedisset, ut res aliorum at-  
15 tingere non studuissent, jam nostra Respublica  
gloria plena reliquas Europa civitates longe su-  
peraret: qua nunc in squalore & foetore lan-  
guescens, ignominia probroque deformis, ludibrio  
atque contumelia referta, unico momento omni-  
20 um victoriarum laudem amisit. Sed ut unde  
incepit, eo mea revertatur oratio: in tua potesta-  
te est Caesar, Venetis tuis ignoscendo & condo-  
nando nomen laudemque comparare, qua nemo  
unquam vincendo majorem splendidiorumque  
adeptus

adeptus est. Hoc monumentum nulla vetustas, nulla antiquitas, nullus temporum cursus ex mortalium mentibus delebit: sed omnia secula te piū, clementem, omnium Principum gloriosissimum predicabunt, appellabunt, confitebuntur. Nos tui Veneti, quod vivemus, quod auras cœlestes carpemus, quod hominum commercio fruemur, id omne tue virtuti, felicitati, clementiaeque tribuemus.

Haec oratio Legati Veneti Ex quo illud tantum addisci nunc cupio, quod Venetorum quæ in Continenti Imperio abstulerunt, verum & legitimū dominum Imperatorem agnoverint, eoque omni Continentis possessione cedere ultro fuerint parati. Sunt qui omnem illam orationem in dubium vocent: sed satis fortiter fidem ejus defendit anonymus Scrutiniū auctor, nequicquam hic sudante doctissimo Grasvinkelio. Injurius tamen ille idem anonymus est in eo, dum orationem istam ita interpretatur, quasi Venetipfammet etiam urbem suam Maximiliani imperio obtulerint: haec usque eos strenue defendit & recte Grasvinkeliū. Utcumque sese oratio illa

illa habeat fatemur, Venetos pace tandem constituta, vix sperata felicitate omnia recuperasse. An ex eo tempore Imperii nomine Venetis controversia sit mota, non satis competentum habeo: quamobrem non meum quoque est definire, num longi temporis præscriptione, per diuturnum Imperii silentium, Veneti firmum sibi jus acquiverint in continentem, an vero etiamnum Imperii jura integra supersint. Certe ante hosce centum circiter annos, non satis causæ suæ adhuc fidos Venetos, eoque à Germanis, si quidem illi in unum conspirent cum primis, sibi vehementer tum metuisse, non obscure significavit apud Janottum l. de repub. Veneta Tryphon Gabriellus Senator. *Germania vires, inquit, quantumvis magna cum distracta sint, hoc tempore non videntur valde formidanda, & qui res illius rationesque teneat facillime cognoscere potest, age eas admodum in unum contrahendas esse. Quæ si dissociata non existerent atque dissipata, nulli dubium est, quin multo plus terroris atque adeo periculi impenderet ab iis Italia, quam ab ipsis Turcis.*

Dddd

Sed

SED de Venetorum atque adeo de liberarum Italiae urbium rebus, in quantum illae sint Imperii juribus obstrictae, pro institutione satis. Nec enim libet adferre pro Imperii causa quasi vice argumenti numerum magnum Doctorum, qui illam omnem, quae Tabulis Pacis, inter Fridericum I. & Italiae Urbes tum foederatas initae Constantiaeque conscriptis adversatur, libertatem Urbium, iniquam arbitrantur. Potest enim aequae magnus numerus dissentientium opponi; & hi pro fundamento sententiae suae habent nihil aliud, quam quod Tabulae illae in Juris corpus receptae vulgo sint. quod sanctorum ridiculum magis est quam dignum confutatione: quasi scilicet res humanae non sint vicissitudinibus obnoxiae, quae jura populorum utique multum immutant. Absit igitur ut inepto ejusmodi argumento nos quidem Imperio patrocinemur. Et vero ( nisi vehementer fallimur ) sic satis rite intra limites antiquos Imperii Urbes illas Italiae jam revocavimus. Imo haud dubitamus, omnibus quae



in medium adduximus cum cura expensis, li-  
quidum jam esse, id quod hoc capite sumpsi-  
mus demonstrandum, & in fronte statim col-  
locavimus: *Quod reliquum est Italia præter*  
*bona Pontificia, paucissimis exceptis, hodieque*  
*ad Regni Italici, adeoque Imperii ditionem per-*  
*tinere.* Quod si & præcedentium aliquot ca-  
pitum doctrina, de Pontificum ditione addatur,  
simul jam in propatulo est, quam justis de  
10 causis per sacras Imperii leges Ferdinando  
secundo tertio & quarto, Augustis Cæsaribus  
& Regibus nostris, disertis verbis id ab Electo-  
ribus datum negotii fuerit, ut serio & diligen-  
ter Imperii per Italiam jura ab interitu vindi-  
15 cent, ne quid hinc detrimenti respublica capiat.  
Ecquis enim non dixerit nefas, ingentem  
adeo thesaurum Imperii, à majoribus, quo-  
rum virtute & sanguine est comparatus, ad  
posterios translatum, si non ignavia saltim in-  
curia & negligentia perdere?

## CAPUT XXIV.

*Quæ Reges Gallia possident in Regno Burgundico  
vel Arelatensi, ea paucis exceptis etiamnum  
ad Imperii ditionem pertinere, haud  
esse vero absimile.*

**L**ustratis Italiae rebus licet jam trans Alpes  
proficisci, & quæ propius Imperii sunt Ger-  
manici percurrere. Italiae scilicet & sua sem-  
per propria corona Regia atque Imperatoria, & 10  
sua quondam propria comitia fuerunt: Trans-  
alpina vero omnia in unam magis rempublic.  
coierunt, observatis communibus comitiis, &  
abolitis dudum propriis diadematibus Burgun-  
dici & Lotharingici regni, una superstite omni- 15  
bus communi corona, quæ aliquot jam seculis  
Norimbergæ media in Germania ex lege publica  
adservatur. Servabimus tamen nos priscum  
ordinem, scorsim de iis quæ ad Burgundicum  
aut Lotharingicum regnum quondam perti- 20  
nerunt, dicturi, inde demum com meaturi in  
Germaniam, sive regnum ut vulgo loquuntur  
Teutonicum. Objicit sese autem primum Italia e-  
gressis **BVRGVNDICVM** regnum, cujus potiora  
cum

cum hodie Reges Galliaē teneant, in illa ante omnia inquirendum venit, exciderint ne omnino Imperii juribus, nec ne.

Ac supra quidem cap. xiii multis evicimus, adhuc Friderico // Cæsare Galliaē regibus trans Rhodanum, sive ( ut nostro more loquamur ) cis Rhodanum, nihil juris, illudque flumen Imperio & Galliaē regno pro certo fuisse limite. Jacobus Augustus Thuanus l. 2 etiam nunc memoriam rei illius fatetur superesse in ipso sermone vulgi. *Regnum Arelatense, inquit, antequam in potestatem Regum nostrorum veniret, sub Imperio fuit: cuius rei memoria post sublatam Imperii jurisdictionem aboleri non potuit; nam & hodie in sermone vulgari ulterior Rhodani ripa IMPERII, ceterior REGNI indigitatur.* In ea tamen quæ possident Galliaē Reges, summa quæque sibi adscribunt hodie, omni Imperii reverentia excussa: idque competere illis veteri Cæsarium beneficio, præclaris auctoribus asseritur. Cæterum si excepias illa quæ nuperrime Gallo cesserunt, hæctenus equidem nihil vidi, quo liquido ostendi queat, sive Imperii Ordinum

dinum omnium, sive quorundam Cæsarum prodiga ejusmodi in Gallie Regem liberalitas, etiamsi non de omnibus, sed de aliquibus solummodo Gallicanis possessionibus moveatur controversia.

Idipsum uti omnibus fiat manifestum, producam primo varias nonnullorum narrationes, inde examine instituto quid veri falsive subsit, definiemus. Alberti Argentinensis verba sunt: *Circa idem tempus Rex<sup>19</sup> Arelatensis sine heredibus moritur, & hereditas ad Regnum devolvitur Romanorum. Rudolfus tunc temporis Rex extitit Romanorum: qui propter nimias occupationes quas habuit in Teutonia, ad Arelatense regnum non potuit pervenire, ut in potestatem traheret. Intelligens hoc Rex Francie, mandavit Baronibus quibus Rex regnum Arelatense commiserat custodiendum, ut sibi regnum in potestatem suam darent, alioquin totum regnum cum armatis hominibus devastaret. Addit mox, re à proceribus ad Rudolfum delata, respondisse hunc, quod se defenderent, vel cum Rege Francie componerent sicut possent, quia secundum temporis*

poris statum non possit eis in aliquo subuenire.  
 Goldastus vero in epistola dedicatoria operis  
 cui titulus Reichshandlungen ita loquitur: Es  
 seynd noch aber Königlische diplomata verhanden/  
 5 darinnen sich befindet / dasz der Römische König  
 Wilhelm aus Holland anno 1251 alle seine Berech-  
 tigkeit / Renten / Gülten / Einkommen und Nutzbar-  
 keiten / so er als Römischer König im Königreich Ar-  
 les und den Reichs Stätten Bisantz und Losannen  
 10 hatte / den Grafen in Burguud um zehentausend  
 Mark Silbers versetzt und verpfendet hat. Doch  
 ist es bald nach Keyser Wilhelms Tod durch Reich-  
 arden aus Engeland erwähltem Römischen König  
 wieder abgelöset / und darnach von Rudolffen von  
 Habsburg auch erwähltem Römischen König / mit  
 15 Hülf und Beystand der Fürsten Herrn und Städte  
 in Oberland / zu des Reichs Händen mit Gewalt er-  
 obert und wiederbracht worden. Als aber der Kö-  
 nig in Frankreich in Zwytacht und Uneintigkeit der  
 Teutschen Fürsten die Gelegenheit bey den Haaren  
 20 erhascht / und den besten Theil dieses herrlichen Kö-  
 nigreichs unter seinen Klauen mit Hülf und zuthun  
 des Papis von Rom gerissen / that Keyser Adolph  
 von Nassau anno 1295 den Frankosen in seine und  
 des Reichs Acht / zog drauff mit einem Teutschen  
 Heer / sonderlich der Oberlandischen Fürsten Herrn  
 und Städten / in Frankreich den König zu bekriegen  
 und

und daß Königreich Arles wiederum zu dem Heil-  
 gen Reich als desselben getreuen Voget und Gehab/  
 zu bringen. Aber der Pabst verschaffet so viel durch  
 Königs Albrechts Anhang / daß Keyser Adolph  
 von seinem Heldennuth und Heroischen Fürnehmen  
 müste abstehen / die Heeresart quitiren / und seinem  
 Feind in Teutschland begegnen. Nach Keyser A-  
 dolphen Niederlag / als Albrecht im Keyserthumb  
 confirmiert und bestetigt worden / soll er haben einen  
 Reichs. Tag in Lothringen außgeschrieben / auff  
 welchen auch der König in Frankreich beruffen und  
 erschienen sey. Da schreibt man / sey die Erbteilung  
 zwischen den Teutschen und Franzosen erneuert /  
 und der Spann beyder Reichen und Marchen auff  
 folgende manier entschieden / daß nemlich der König  
 von Frankreich behalten und haben soll alle Fürsten-  
 thum Land und Herrschafften / die seine Vorfahren  
 und Er in dem Königreich Arles dem Teutschen  
 Reich abgenommen und entzogen: hergegen soll der  
 Keyser für sich eigenthümlich besitzen und herrschen  
 alle Fürstenthüm Städ und Herrschafften in Loth-  
 ringen und Elsas gelegen / zu welchen der Frankos  
 vermeint anspruch und Gerechtigkeit zu haben.  
 Hæc omnia Goldastus. Qui etiam addit non-  
 nulla, sed quæ heic nunc repetere nihil attinet:  
 partim etiam infra commodiorem locum  
 nar cis-

nancifcentur. Discimus autem hinc, primum Albertum Austriacum credi nonnullis, donasse Imperii in Arelatense regnum jura Gallorum regi.

5 Joannes Bodinus l. i de republ. cap. 9. n. 128  
 initium jurium Gallicorum in Regnum Arelatense, videtur adscribere contractui cuidam emptionis & venditionis, inter Henricum Cæsarem & Philippum Valesium inito. Verba ejus  
 10 sunt. *Philippus Valesius Caroli VI proavus Arelatensis Regni ditionem universam ac jura majestatis sibi coëmit ab Henrico V Casare: qui argenti pondo ducenta millia pretit nomine solvit: coëmptionem vero Imperii Ordines ratam habuerunt; cujus ratihabitionis pradem,*  
 15 *dedit Caesar Johannem Bohemia regem. Emptionum tabula & solutionis & ratihabitionis exstant in archivis Regum nostrorum; quas legi decuisset ab iis, qui ab Rege Henrico legati ad*  
 20 *Allobrogum Ducem ad controversias utriusque Principis componendas missi sunt anno M D LXII. Illud autem animadversione dignum mihi visum est, quod emptionum tabulis omnia jura majestatis comprehensa sunt, que*  
 Eccc Im.

*Imperatores Germani sibi tribuunt in omnes Arelatensis regni regiones, quibus continentur Allobroges, Belloioci, Provinciales, Burgundia libera, quam Carolus IV Caesar Philippo Audaci Burgundia Duci, prole mascula Comitum extincta, Imperiali jure fruendam dedit. Idem Bodinus paulo ante, Regum Gallicorum jura illa derivaverat, à perpetuo quodam vicariatu, quem Carolus IV Caesar Carolo VI Viennensium Delphinati concesserit. Carolus, inquit, IV Imperator Carolum VI Viennensium Delphinatem Vicarium perpetuum creavit anno MCCCLXXVIII: & quia nondum excesserat ex ephebis adjecit aetatis beneficium copiosissimo & gratiosissimo diplomate, unde aurea sigilla dependent, quod in archivis Regum nostrorum me legisse memini. Vicarium autem perpetuum Arelatensi Regno praefecit (excepta Sabaudia) eique jus vite ac necis in Imperii subditos, ac potestatem quae à Regia proxime abesset concessit: id est, ut capite damnatos supplicio eximere, tributa imperare, vectigalia indicere, vacationes munerum concedere, beneficia ac munera publica largiri, bellum decer-*



decernere ac finire, leges jubere aut latas antiquare, provocationes ad Casarem disceptare, & id genus alia efficere possit: qua inepte provinciarum prasidi seu Vicario ab Imperatore tributa videmus. Mox subjungit: Provincie Comites ab Imperio Germanico jampridem seipsos exemerunt. Inter quos extitit Raimundus postremus, cujus filia altera Ludovico IX Francorum Regi, altera Carolo Duci Andium nupsit: hinc ad Comites Andium Provincia, inde ad Reges nostros Renati Comitibus largitione delata est. Hæc cum ita <sup>ὕπερ</sup> <sup>ἔτι</sup> <sup>ἔτι</sup> <sup>ἔτι</sup> more suo attulisset Bodinus, tandem concludit: Ex quo planum fit, Reges Francorum in omnes Arelateasis regni populos jura majestatis habere: nec Imperii Germanorum fiduciarios esse.

Porro Joannes etiam Aventinus, & dudum ante illum Theodoricus de Niem, Germani scriptores, alienationem Arelatenfis Regni per Carolum IV Imperatorem factam esse, & agnoverunt & graviter conquesti sunt. Hujus hæc sunt verba: *Ecce Carolus IV Augustus & Bohemorum Rex,*  
*Eccc 2 hypo-*

*hypocrita insignis, & avaritia alter Crassus,*  
*cum quali pertinacia & calliditate ad Imperii*  
*culmen ascendit? Ecce quales fructus attulit*  
*illi? Nam quondam Ludovico Andegavensi*  
*Caroli Francorum Regis germano, simulq; here-* 5  
*dibus, pro uno prandio solenni, sibi apud Villam*  
*novam prope Avenionem preparato, Regnum A-*  
*relatense, ab Imperio dimembrando seu separan-*  
*do concessit. Aventinus in hunc modum loqui-*  
*tur l. 4. Annal. Bojoar. de Carolo IV Cæsare* 10  
*verba faciens: Galliam Narbonensem, quam*  
*Vienna principatum, Delphinatum, Regnum*  
*Arelatense vocamus, ab Imperio abalienavit,*  
*Joanni sororis sue marito ejusque filio Carolo V*  
*Regi occidentalis Francia tribuit. Sigismun-* 15  
*duus filius ejus, qui post rerum potitus est, adpro-*  
*bavit. Diploma in Bibliotheca Parisiensium*  
*amplissima, quæ in templo suburbano D. Victori*  
*dedicata exstat, legi anno abhinc decimo octavo,*  
*cum Lutetia Philosophia operam darem. Idem* 20  
*ab aliis proditur. Quibus tamen sese oppo-*  
*nunt recentiores quidam Gallici scriptores,*  
*quorum alii non dubitant asserere, ne quidem*  
*in Delphinatum à Cæsare Carolo quidquam*  
*juris*

juris datum esse Gallo, quoniam ille Principatus jam tum multis retro temporibus fuerit sui juris. Illos inter Scipio du Pleix Historiæ general. Francicæ tomo 2. pag. 484 num. 6 & 7. cum multis fuisset invecus in Niemium, & qui cum sequuntur Germanos, in hæc verba suæ linguæ prorumpit : *Tout cela est notoirement supposé, puisque long temps auparavant il y avoit en des Seigneurs particuliers, qui possedoient en propriété le pais du Daulphiné. Lequel par l'union qui en a esté faicte à la couronne de France, est cense de mesme nature, & portant independant que de Dieu, & le espée royale.*

Hæc autem tametsi ita à variis vulgò tradantur, in quam multis tamen à vero fortassis abeunt : ac proinde nostrum jam est, heic etiam ingenue, procul amore & odio, sententiam nostram in medium depromere.

*Principio* igitur etiam atq; etiam duco observandum : Gallix Reges nunquam hisce quinque proximis seculis, vel rerum potitos per omne Regnum Burgundicum, vel in omnes ejus partes jus aliquod summum sibi arrogasse. Utrumque ex historiis est notissimum. De priore

certe nemo dubitat. Sed nec in Sabaudiam, nec  
 in Burgundiam minorem, nec in Helvetios,  
 aliosque Burgundici regni incolas, hæcenus  
 Gallicorum regum quisquam, tanquam sibi  
 jure subditos quid tentavit. Et vero juris, quod  
 in Arelatense regnum sibi competere volunt,  
 nomine videas plærumque non intelligere  
 eos aliud, quam supremam in Provinciam  
 potestatem. Quodiptum usque est adeo no-  
 tum, ut non dubitaverit diserte idem affir-  
 mare ipsemet Nicolaus Vignierius Gallus, parte  
 tertia Bibliothecæ historicæ quam appellavit,  
 ubi de juribus Christianissimi Regis sui in Re-  
 gnum Arelatense disputat. Verba enim de illo  
 faciens subnectit sua lingua: *l'entendens encor*  
*ce droit sur la Provence seulement: car les Rois*  
*de France a' ont iamais cherché aucun droit*  
*sur les autres provinces du Royaume d'Arles.*  
 Unde obiter patet, perperam ab Aventino pro-  
 nunciatum, quasi Gallia Narbonensis, Viennæ  
 Principatus, & Regnum Arelatense idem si-  
 gnificent: quamvis haud negem Arelatensis re-  
 gni vocem Viennæ illum Principatum sive Del-  
 phina-

phinatum ut & alia quam multa solere olim comprehendere.

Notandum *Secundo*, neutiquam admitti posse, quod de Delphinatus & Provinciæ Principibus antiquis Bodinus Scipio & alii tradunt, illos dudum in libertatem assertos Imperii leges non audivisse. Nos certe jam tum cap. xiii cum de aliis, tum discrete de Provinciæ dominis, longe alia probavimus. Sed & non multo post liquido ostendemus, ipsos Gallicæ familiæ Regiæ Principes aliquot, simulac in bona ista successerunt, ultro in clientelam sese Imperii dedisse, Cæsaribus nonnullis difficulter eos admittentibus. Quod profecto haud fecissent, si terras illas Imperii finibus jam tunc antehac excidisse fuissent arbitrati, sive Cæsares sive Regii illi Principes. Et vero videas Bodinum & alios sine ullo teste hæc ita asserere, idque in gratiam Regum suorum, quo illos omnibus Imperii juribus eximant.

Id *Tertio* dignum est observatu, Rudolfo Cæsare Provinciam in potestatem Regiæ familiæ Gallicæ quidem pervenisse, non alio tamen quam fiduciario jure à Rudolfo collato. Nugatur

gatur sane Albertus ille Argentinensis narrans, obiisse tunc ultimum Regem Arclatensem, atque ita regnum illud per vim à Galliaë rege occupatum, Rudolfo frustra indignante. Nec enim illa tempestate rex aliquis Rex Arelatensis vixit. Fabula vero nata est inde, quod sine masculis hæredibus defuncto tunc Raimundo Berengario, ultimo familiaë suæ longe tamen potentissimo Provinciaë Comite, generi illius duo, Ludovicus IX Rex ejusque frater Carolus Andegavensis post Siciliaë Rex, uxorum suarum nomine hæreditatem illam crevisserent. Id initio proceres illius regionis ægre tulisse, ut qui maluerint mollibus Imperii habenis regi; nec placuisse Rudolfo, utpote cum novo exemplo in tam amplum patrimonium Imperii, familia Regia, æmula semper Imperii rebus, tum perveniret; haud quisquam negaverit. Nec tamen in Gallicarum rerum diligentissimis scriptoribus, quales utique sunt Gaguinus & Æmylius, de Regni Arelatensis illa occupatione quidquam legas: idque quantum arbitror, quod tum temporis non tam Regibus Galliaë illa possessio cesserit quam

Carolo

Carolo ejusque posteris Siciliae Regibus. Nec  
 temere item reperias in ejus ævi monumentis, id  
 quod Goldastum audivimus memorantem, à  
 Rudolfo per vim assertum Imperio Arelatense  
 5 Regnum: itaque vix est ut huic fidem tuto ea  
 in re adhibeas.

At vero à Rudolfo concessam fiduciario  
 jure regionem illam Carolo Siculo, indubitatis  
 licet testimoniis probare: imo ex iisdem per  
 10 fit verosimile, ipsum Ludovicum Sanctum Gal-  
 liae Regem, vel certe uxorem ejus Margaritam  
 Raimundi filiam, illo nexu fuisse Imperio ob-  
 strictum. Provocabo nunc duntaxat ad unius  
 Nicolai III Papæ epistolas: quoniam vero  
 15 illæ & numero complures sunt & prolixiores,  
 quam ut commode huc queant adferri, con-  
 tentus nunc ero historia, quam ex illis Bzovius  
 confecit, & rebus anni cum septuagesimi no-  
 ni tum octogesimi post millesimum ducente-  
 20 simum, decimotertio Annalium Ecclesiastico-  
 rum tomo inseruit. Priora hæc sunt num. 3  
*Per id tempus nondum erant pacata omnia,  
 Rudolfum inter & Carolum Sicilia Regem. Is  
 autem est Andegavensis ille, alter gener defuncti*  
 Ffff Rai-

Raimundi Comitis Provincialis. *Margareta Divi Ludovici Galliae regis id nominis ix itidem jam defuncti, relicta jus in Provincia Comitatum atque Folcaquerii provinciam prae-  
debat: seque BENEFICIARIO TITULO (erat 5  
igitur jam in clientelari jure Caesaris Rudolphi Provincia) isthaec possidere asserens, Rudolphum rerum ad Imperium spectantium vindicem im-  
plorabat, adeoque contra Carolum possessorem incitabat. Negotium proinde Carolo Rudolphus<sup>10</sup>  
facebat, & armis contra susceptis, possessione exuere cogitabat. Intercessit Nicolaus Ponti-  
fex ne ferro inter se decernerent, sed arbitrio Sedis Apost. totum negotium permitterent, huic-  
que rei nuncios ad subsellia Romana destinarent.<sup>15</sup>  
Quamobrem tam Rudolpho quam Carolo ad pacis consilia inclinante, & auxilia à Nicolao implorante, is Regina Margarita scripsit, au-  
thorque fuit dissidii dirimendi atque concordiae ineunda: misso ad eandem Simone Cardin. tit. S.<sup>20</sup>  
Cecilia, tunc Legato in Gallis. Ad Rudolphum quoque misit Episcopum Tripolitanum, qui ca-  
pitula & articulos conventionis illi proponeret atque exponeret, ut tandem pax atq; concordia  
inter*



inter Reges stabiliretur: inter quas precipua  
 fuerat conditio, ut Rudolphus Clementiam fili-  
 am Carolo Principi Salernitano, Caroli Regis Si-  
 cilia primogenito, in matrimonium collocaret, do-  
 5 tisque nomine Comitatum Provincia & Folca-  
 querii concederet, seque molestia inutili libera-  
 ret, ac insuper eadem ratione finem controver-  
 sis inter Margaritam & Carolum imponeret.  
 Cumque Carolus Rex Petrum Episcopum Capu-  
 10 taquensem, Lucam de S. Aniano, & Richardum  
 Ayrolam, milites consiliariosque suos primum  
 ad Nicol. Pontif. deinde ad Rudolphum ire  
 nuncios in eo negotio iussisset, Nicolaus illos re-  
 mittens ad Rudolphum majorem in modum com-  
 15 mendavit. Plenius & accuratius omnia tra-  
 duntur in historia anni octogesimi num. 2 &  
 quidem hunc in modum. Cum haec in Italia  
 agerentur, non intermisit Nicolaus majora &  
 gravia odia componere, inter Rudolphum Re-  
 20 gem Romanorum & Carolum Sicilia jam pri-  
 dem exorta. Jam dignitatem Senatoriam, &  
 potestatem Vicariam Carolus deposuerat. Co-  
 mitatus Provincia & Folcaquerii possessio in  
 controversiam vertebatur. Rudolphus ad Im-  
 perii

perii iura pertinere, asserebat; Carolus Rex & Margarita D. Ludovici relicta, altrinsecus contendebant, praestantiamque juris beneficiarii obtendebant. Nicolaus itaque Pontifex, arbitrio partium arbiter factus, Matthaeo Ursino tituli, S. Mariae in Porticu Cardinali, & Benedicto Anagnino Notario Apostolico, id quicquid erat controversiae commisit, ut cognoscerent & dissidentes animos conciliarent. Convenit, ut Carolus utramque Provinciam jure beneficiario retine-<sup>10</sup>ret, Rudolphus Clementiam filiam Carolo Principi Salernitano in matrimonium daret: Nicolaus id quicquid impedimenti, ex eo quod Clementia Andreae Fratris Regis Hungariae, avunculo Caroli Principis, promissa, atque ipsi Carolo<sup>15</sup> Gottae Clementiae Soror desponsa jam fuerat, toleret; Margarita si quid juris se habere existimaret, apud subsellia Rudolphi Romanorum Regis proponeret, declarationem autem & sententiam, quam ajunt, definitivam à Sede Apostolica<sup>20</sup> expectaret, Carolus Rex & Princeps, ex formula à Rudolpho Rege praescripta, Regi & Imperio homagium ligium praestarent, atque Sacramento se obligarent. Rudolphus literas in  
forma

forma privilegii omnium transactorum concederet: & ad extremum Nicolaus Legatum à Sede Apostolica destinaret, qui non solum praesens omnibus actionibus interesset, verum etiam omnia auctoritate Apostolica stabiliret. Misit in eam rem Nicolaus Pontifex Hieronymum tit. Pudentiana Presbyterum Cardinalem Legatum, qui pacem inter Reges Rudolphum & Carolum conciliavit. Nicolaus quoque ipse, ut desideratum matrimonium contraheretur, omne impedimentum tulit; atque ut quam citissime sponsalia accelerarentur, omnino precepit. Rudolphus porro ex pactis conventis utramque Provinciam Carolo ejusque heredibus & descendentibus in perpetuum, jure quod vocant fiduciario concessit; & Margarita Regina, ne vel ipsa vel aliquis alius nomine suo, impedimentum Carolo prestaret edixit: ac si quid juris se habere putaret, ut ad se deferret, atque declarationem à Sede Apostolica expectaret, prescripsit. Haec tunc Bzovius. Cui tuto possumus utique credere hac in re, cum literæ Pontificis Nicolai, unde hæc deprompsit, passim vulgatæ sint. Quin imò extant inter illas Nicolai epistolæ

stolas tertio anno scriptas, loco septimo decimo, ipsius Rudolphi Cæsaris literę beneficiarię, Carolo Siculo tunc concessę : id quod Bzovius quoque jam monuit.

Quarto præterea hoc quoque meretur notari, etsi in illum modum in ditionem familię Regię Gallicanę fiduciario titulo Provincia devenerit, visam tamen rem illam indignam & minime ferendam successori Rudolphi Adolfo Nassavio. Verissimum scilicet est quod audivimus Goldastum narrantem de Adolpho, Provinciam illam Gallis eripere conato. Hinc etiam Eberhardus Ratisbonensis Archidiaconus in chronico ad annum 1294 annotavit: *Orta est controversia inter Regem Francia (is erat Philippus Pulcher) ex una parte & Eduardum Regem Anglię ex altera. Et Adolfus Romanorum Rex plus favens Regi Anglię, repetivit à Rege Francia Regnum Arrelatense, & quasdam alias terras, quas dicebat esse Imperii, easque quod in manu forti vellet requirere demandavit.*

Albertum Austriacum Cæsarem cum Philippo Pulchro anno MCCXCIX firmam pacem

cem

cem & concordiam pactum esse, haud videtur quidem negari posse: jamque tum cap. 8 in id conditas tabulas produximus. Nec negaverim, à patre in Gallos collatum beneficium circa Arelatensem Provinciam, quod impugnaverat Adolfus, ab illo confirmatum esse. At vero ( id quod *Quinto* loco est observandum ) Imperialia omnia jura illum alienasse, neutiquam fit verosimile. Vtique enim in 10 tabulis illis quas attulimus, quibusque pax tunc publica constituta est, nihil ejusmodi reperias. Sed & repugnat huic narrationi usus subsequenti temporis: qui liquido ostendit, Imperialem summam potestatem in Arelatensia isthæc, diu etiam 15 post, Gallo haud repugnante, fuisse superstitem: ceu mox demonstrabitur. Qui vero id contigerit, si ea prodigalitate Imperii omnia isthæc jura Gallo cessissent? Ad hoc usque adeo de Alberti illo dono Galli inter se dissident, ut 20 ipsum illud dissidium fabulam omnem suspectam reddat. Quid, quod eorum nonnulli adeo impudenter nugentur, ut à prudentioribus aliis vapulent? Ejusmodi sane est commentum Wilhelmi Nangiaci & aliorum concessum

cessum ab Alberto, ut Regnum Francia, quod  
 solummodo usque ad Mosam fluvium, illis in  
 partibus se extendebat, de cetero usque ad Rhe-  
 num potestatis suæ terminos dilataret. Præcla-  
 re enim in illud animadvertit Belleforestius to-  
 mo 1. l. 4. cap. 43. docens, Philippum Pul-  
 chrum & successores ejus Francia Reges illa  
 nunquam potitos jurisdictione; quinimo fluvium  
 Mosam semper fuisse limitem Regni Fran-  
 ciæ: quæ ultra Mosam sunt ad Rhenum usque  
 a supremo Imperii jure dependisse. Vignierius  
 satis habuit Nangæi narrationem illam attulisse:  
 minime probavit. Producam illius de Al-  
 bertino illo dono sententiam, qualem illam ex  
 Gallico Latine vertit diligentissimus Linnaeus  
 in Addition. ad l. 1. c. 9. Juris Publici, quoniam  
 digna sunt quæ memorentur. Imperator  
 Albertus Austriacus & Rex Gallie Philippus  
 convenerunt Vocoloribus in Lotharingia, ma-  
 gno Principum & Prelatorum tam Germano-  
 rum quam Gallorum comitatu. Ubi pacto i-  
 nito & renovatione antiqui fœderis facta, Im-  
 perator renunciavit juri, quod nomine Impe-  
 rii habere poterat in Regnum Arelatense, cuius  
 possessio.

possessionem Reges Gallia post mortem Imperatoris Friderici invaserant. Rex autem Gallie cessit in emolumentum Rudolfi filii primogeniti Imperatoris, favore matrimonii, quod cum Blanca sorore Regis contraxerat, anno autem insequenti consummavit, omne illud quod sibi competere arbitrabatur, tam in Lotharingia quam in Comitatu Aussenfi & districtu Friburgensi. Vti scriptum vidi in copia transactionis hac de re confecta, & in quadam historia Archiepiscoporum Trevirensium nondum impressa. Quod (ut eadem historia refert) maxime displicuit Archiepiscopis Trevirensi Moguntino & Coloniensi, sic ut Imperator postea fuerit coactus se apud ipsos excusare, prout refert Cuspinianus. Licet Annales Wilhelmi de Nangiaco & Annales Gallie etiam hoc addant; eodem pacto fuisse concessum, ut limites potestas & jurisdictio Regni Gallie, qua antea Mosella terminabantur, impofterum ad Rhenum usque se extenderent. Hæc Vignierius. Qui si legit Tabulas illas Alberti, & quidem usque adeo liberales, quare non vulgavit eas & omnium examini exposuit? Certe quoniam

Gggg

niam

niam hoc neglexit, etiam ipso illo fides illius suspecta redditur. Jam vero subjungit mox Vignierius, Henricum Lucelburgium vendidisse Imperii jura Gallo: quod profecto fieri non potuit, si paulo ante Alberti illa donatio fuisset instituta. Quod si porro Electores Principes Alberti illud donum improbavere, non accessit utique, ipsomet Vignierio teste, consensus Principum: quo uno stat robur Cæsareorum munerum. Non dicit vero id Cuspinianus, quod Vignierius illius testimonio vult probare, sed hoc: Blancam Philippi Regis sororem Rudolfo filio in matrimonium datam esse, id *Moguntino & Coloniensi Episcopis displicuisse, easque ob nuptias Alberto dehinc in visos ac rebelles fuisse.* De donato à Cæsare Arelatensi regno, ne quidem verbulum aliquod memoravit Cuspinianus.

Veluti autem Alberti donatio ita fabulosa & commentitia est quoque Henrici Lucelburgii venditio. quod *Sexto* observandum venit. Etiam huic enim repugnant secuti temporis aetate, quæ loquuntur superstitem Cæsarum auctoritatem in Regni Arelatensis populos regionesque.



que. Imo ipsemet ille Henricus paulo ante obitum, sententia illa qua Robertum Siculum proscripsit, non tantum *Regno illum paterno sed etiam Comitatu Provinciali excidisse pronuncia- vit*, ut diserte in vita Cæsaris illius scribit Conradus Vecerius. Nec tamen etsi Pontifex sententiam illam improbaverit, causatus est vendita Imperii jura : quod merito objici potuit Henrico, si illa venditio fuit instituta. Qui vendidisset porro Henricus Gallo Imperii jura, cum constet fuisse illum infesto in Galliæ Regem animo, & quidem usque adeo, ut nonnulli memorent agitasse illum consilia de Gallia omni subjuganda in obsequium Imperii? Fuisse illum sane jurium Imperii eximium vindicem, monumenta omnia loquuntur. Ad hoc ante Bodinum nemo memoravit illam Henrici venditionem : non Æmylius, non Gagui- nus, non quisquam alius eorum etiam, qui majore cura res Gallicas tradere aggressi sunt. Num vero tacituri fuissent rem magni adeo momenti, si illæ tabulæ ad quas provocat Bodinus, in regiis tabulariis tum comparuissent? Quid? quod & nuperi propugnatores Regio- rum

390 DE FINIBUS IMP. GERMANICI  
rum iurium unius Bodini fide hac in re ni-  
tantur Magno utique argumento, nusquam  
hodie tabulas illas amplius reperiri. Viderit  
vero illas Bodinus: non dubitandum tamen  
est à falsaria manu profectas, viro docto, at ni-  
miam forte Regiarum partium studioso, in  
facili credulitate imposuisse. Præcipiti sane  
iudicio illas à Bodino probatas vel illud indi-  
cat, quod scribat; contractum initum inter  
Henricum V Cæsarem & Philippum Vale-  
sium Caroli VI proavum. Quæ plane sunt  
*αὐτῆς*. Valesius enim ille rerum potitus  
est, ab anno vicesimo octavo post millesi-  
mum trecentesimum usque ad quinquagesi-  
mum: interea vero temporis nullus Henricus  
Imperii rebus præfuit, sed Ludovicus IV Cæ-  
sar, cui cum Vallesio tantum non capitales ini-  
micitia intercesserunt. Nec integro illo se-  
culo Henricus aliquis quintus, sed id nominis  
septimus Cæsarem egit. Par *αὐτῆς* est Cæ-  
sari, strenui scilicet illius Gallicorum iurium  
propugnatoris, qui Cæsarem hunc, cui ad-  
scribit famosam istam venditionem, l. 2. cap. 2.  
nunc Conradum nunc Henricum appellat,  
conji-

conijciens contractum illum in annum  
MCCC tricesimum, quo nec Conradus aliquis  
nec Henricus imperavit. Quam ineptam  
porro est illud Bodini! Ordines Imperii con-  
5 sensisse in contractum illum, & Regem Bo-  
hemiae Joannem constitutum praedem. Quid  
opus enim praede illo, si Ordines consensissent?  
Jam vero Johannes ille Henrici Caesaris filius  
Bohemiae Regem coepit agere demum anno  
10 MCCCXII, eo plane tempore quo gravissi-  
mum diffidium erat inter Caesarem & Rober-  
tum Siciliae Regem qui tunc erat Provinciae  
Comes, Gallici ut sanguinis ita partis. Cui fi-  
at verosimile, illo tempore multum adeo à Cæ-  
15 sare isthoc Gallis indultum? Quam penè ridi-  
culum etiam illud: Arelatensia omnia emisse  
ab Henrico Philippum Valesium, & tamen  
anno septuagesimo octavo ejusdem seculi  
curasse Carolum Regem filio suo à Cæsare  
20 Carolo IV conferri Vicariatum Imperii in  
Regno Arelatensi & quidem excepta Sabaudia,  
quæ tamen diserte in Tabulis emptionis jam  
ante Gallo cesserat. Taceo nunc, nunquam  
Galliae Reges in omne Burgundicum regnum  
Gggg 3 quid-

592 DE FINIBUS IMP. GERMANICI  
quidpiam sibi juris arrogasse, & tamen à Bo-  
dino asseri, *tabulis emptionum comprehensa esse*  
*omnia jura majestatis, quæ Imperatores Ger-*  
*mani sibi retribuunt, in omnes Arelatensis re-*  
*gni regiones, quibus continentur Allobroges, Bel-*  
*lojoci, Provinciales, Burgundia libera.* Adeo  
ne videlicet Reges immemores fuere illius con-  
tractus, nec quisquam eorum, qui à consiliis  
sunt adhibiti, in memoriam præclara adeo jura  
illis revocaverunt? Quin igitur inepti adeo  
commenti propugnatores illos meritò potius  
pudeat.

Cæterum Ludovico IV Cæsare Delphi-  
natum Humberti ultimi suæ familiæ Principis  
concessu, in Gallia Regum potestatem certis  
legibus devenisse, notum est. Ea de re ita Pau-  
lus Æmylius l. 9. in historia Philippi Valerii: *Ad*  
*solatium rerum adversarum, Umberto Del-*  
*phinatum Princeps, dolore amissi unici filii,*  
*statuebat cœnobio Prædicatorum se sacrare,*  
*dominatumque suum, cujus caput est Vienna*  
*Allobrogum, Ecclesie ac Pontificibus Maxi-*  
*mis, non magno pretio addicere. Gentis ejus*  
*nobilitas Regum quam Pontificum signa sequi*  
*malebat:*

malebat. Et quod à Comitibus Sabaudis bello  
 ( ut inter finitima imperia assolet ) continenter  
 vexaretur, persuasere, ut Francorum fidei tute-  
 laque traderentur. Placuit, filii Regum, ut  
 5 quisque in proximam spem Regni suscepti essent,  
 Delphini vocarentur, juraque Delphinatibus  
 redderent. Ita quidem Æmylius, de Cæsareis  
 juribus nihil addens. At vero Philippum Vale-  
 sium Regem, qui tum regno præerat, à Lu-  
 10 dovico Cæsare ratihaberi hanc Delphinatus  
 translationem petiisse, cumque id non im-  
 petraret, curasse illum sibi à Pontificibus Ro-  
 manis confirmari, fortassis haud difficulter  
 probari potest luculentis testimoniis: id  
 15 quod in hoc negotio cum primis, & quidem  
 loco *Septimo*, notandum ducimus. Vtemur  
 nunc duntaxat testimoniis Villani & Pauli  
 Jovii. Ille l. xi cap. 54 ubi res anni  
 MCCCXXXVI enarrat, cum dixisset de Lu-  
 20 dovico Cæsare recipiendo fuisse jam cum Pa-  
 pa Benedicto conventum, subjungit: *Rex Gal-  
 liae literis suis & Oratoribus, ad Papam &  
 Cardinales missis, turbavit hanc conventionem,  
 quia pro filio REGNUM ARELA-  
 TENSE*

594 DE FINIBUS IMP. GERMANICI  
*TENSE VIENNÆ habere volebat.*  
Papirius Massonus l. 4 hist. Franc. ita quidem  
loquitur: *Edoardus Angliæ Rex per sese impar,*  
*fœdus cum Ludovico Bavaro, qui Cæsarem,*  
*agebat, iniit, Philippi inimico: quod pacem,*  
*quam à Pontifice & collegio Cardinalium im-*  
*petraturus fuerat, impedisset; rem ut videbatur*  
*iniquam petens, ut Cæsar Regno Arelaten-*  
*sium filium ejus donaret.* Verumtamen dece-  
pit memoria Massonum: nec enim univ<sup>10</sup>ersum  
Arelatense Regnum, sed illud tantum, cujus ca-  
put Vienna erat, hoc est Delphinatum petiit  
filio suo Philippus, ut diserte dicit Villanus,  
ex quo tamen omnia hæc sua hausisse ipse  
Massonus mox addit. Itaque Villani testi-  
monio jam scimus, & petiisse Regem à Cæsare <sup>15</sup>  
quasi ratihaberi Delphinatus illam ab Hum-  
berto factam translationem, & à Cæsare  
id Gallo negatum, acerrimis hinc inimici-  
tiis exortis. Paulus Jovius autem in illo <sup>20</sup>  
libello, quo argumentum devoluti ad Aure-  
lianensium Principum domum Mediolanen-  
sis Ducatus exponit, cum narrasset: Italos non-  
nullos, factam à Pontificibus Romanis in  
Gallos

Gallos collationem Mediolanensium rerum, vehementer improbasse, quod nullum omnino jus Pontifici esse videretur, in transferendis adjudicandisque regnorum feudis. Subjungit mox pro Gallis, quæ haud dubie ex illorum scriptis hauserat, hæc verba: *Verum hac aliquanto caviliosius quam probum juris professorem deceret, inducta, vel hoc uno vivida rationis exemplo falsissima Aureliani censere: quum & Delphinatus, per ampla veterum Allobrogum ditio, & Arelatensis Provincia regnum, auctoritate Pontificia, non dubio tum sed certo jure, translata atque adjudicata fuisse constet.* Ex hoc Jovii testimonio jam etiam alterum illud discimus. Et vero ea tempestate Pontifices volebant credi, Ludovicum Cæsarem vitio esse creatum, ac vacare proinde Imperiale munus, sui vero juris esse vacante Imperio reipublicæ administrationem. A Pontifice itaque, tanquam Imperialis auctoritatis vicario curari fecit Gallus, quod negaverat ipsemet Cæsar. Huc pertinet id quod Cuspinianus testatur, Valesium Regem inter alia à Pontifice Benedicto postulasse: *ut filium primogenitum Regem Viennæ crearet*

Hhhh

crearet

*crearet.* Ex quibus liquidum est omnibus, tunc temporis utique non fuisse creditum ipsis etiam Galliae Regibus, quæ hodie Gallicani quidam scriptores & sibi & aliis conantur persuadere; nempe universa Imperii jura in Regnum omne Burgundicum ab Alberto & Henrico Cæsari-  
bus fuisse translata ad Gallos, vel verò Delphinatus Principes sui fuisse juris, ut Cæsari-  
bus inconsultis potuerint terram illam Gallo reddere. Quorum posterius etiam inde refu-  
taveris, quod Henricum Lucelburgium Ro-  
mam coronæ acceptandæ causa proficiscen-  
tem, officii gratia, inter alios clientes Princi-  
pes, comitati sint Guido Viennensis Del-  
phini frater, & ipse Viennæ Comes Robertus:  
quod in vita Henrici memorat Conradus Ve-  
cerius.

Carolus IV Cæsarem in Gallum Regem solito benigniorem fuisse fatemur: illum tamen Cæsarea jura Gallo in perpetuum ces-  
sisse, falsum est: fitque ea in re à Niemio Aventino & aliis Cæsari illi ingens injuria; quod nunc quasi *Septimo loco* demonstrabi-  
mus, ubi nonnulla præmiserimus ad rem om-  
nem



mnem plenius cognoscendam facientia, quæ  
 annum septuagesimum octavum illius seculi  
 antecessere. Etenim Melchior Goldastus qui-  
 dem, Carolum Gallix Regis filium, in Comi-  
 5 tiis Imperii Metensibus, Delphinatus nomine  
 Carolo IV Cæsari homagium præstitisse, non  
 dubitavit affirmare, illo quem supra indicavi-  
 mus loco. Verba ejushæc sunt. Keyser Maxi-  
 milianus Ausschreiben wider den Franckosen lehret  
 10 mich / daß der König in Franckreich mehr benante  
 Fürstenthumb und Herrschafften vom Römischen  
 Keyser und dem Hell. Reich zu rechtem ordentlichen  
 Lehen empfangen. Und soll mit Namen Carolus  
 Delphin aus Franckreich / als ein Fürst des Reichs /  
 auff den Reichs. Tag gen Metz Anno 1356 berufs-  
 15 sen / seinen Sitz und Ort neben andere Fürsten des  
 Reichs vertretten / und Keyser Carolo dem Vi. rten /  
 in Gegenwart aller Chur und Fürsten des Reichs  
 und Bapstlichen Legaten / den Lehen. End öffent-  
 20 lich geleistet / und die Regalia der Herzogthumb  
 Wien oder Delphinat / Provinzen zc. von Ihrer  
 Majestat / als ordentlichen Lehen. Herren / empfan-  
 gen haben. Die Lehen. brteff sollen noch vorhanden  
 seyn / und im Kloster S. Victors bey Paris zu finden.  
 Hæc Goldastus: quæ quoniam alibi mihi lecta  
 non sunt in medio relinquo. Et vero Cuspi-  
 nianus

nianus tantum habet, interfuisse Metensi con-  
 ventui *Delphinum Vienna Ducem, primogeni-*  
*tum Joannis Regis Franciæ:* imo cum addit,  
 adfuisse etiam *Episcodos Senonensem ac Ro-*  
*thomagensem, Ducem item Britannia ac Co-*  
*mitem Pictavia,* quorum nemo inter Ordines  
 Imperii meruit censi, multo minus ex Cuspi-  
 niani narratione isthac, certi aliquid de Delphi-  
 ni subjectione possumus colligere. Ast de Ca-  
 rolo I V Cæstre in Ceremoniali Romanæ Ec-  
 clesiæ l. i. sect. 5. cap. de triplici Imperatoris co-  
 rona, tradit Christophorus Marcellus: corona-  
 tum illum esse Arelatæ anuo 1365. *Legimus*  
*(inquit) & in aliis historiis, quosdam Impera-*  
*tores Arelate etiam coronam suscepisse de Regno*  
*Arelatensi, & alibi alios pro aliis Regnis. Nam*  
*& Carolus quartus Avenionem venit ad Ur-*  
*banum quintum Anno salutis millesimo tre-*  
*centesimo sexagesimo quinto, multo ante jussu*  
*Innocentii Sexti Roma Imperator coronatus.*  
*Qui rebus, quarum gratia ad Pontificem vene-*  
*rat, absolutis, Arelate profectus est. Quod*  
 profecto magnum fuerit argumentum, nondum  
 adhuc perditum Cæsarei juris in Arelatense Re-  
 gnum.

gnum. Cum porro jam ante, anno quadragesimo octavo, Avenionem sibi emisset, partem Provinciae Arelatensis, Romanus Pontifex, rati haberi id fecit sibi à Carolo Cæsare: non facturus utique, si Cæsarium in Provinciam jura jam extincta esse agnovisset. In celeberrima denique illa constitutione de Electoribus, quam vulgo *κατ' ἐξοχήν*, Auream bullam nuncupamus, anno quinquagesimo sexto idem ille Cæsar pronuntiavit Trevirensis Archiepiscopum Archicancellarium Imperii per Regnum Arelatense; quod tunc nondum erat factum.

Saltem hæcenus itaque citra controversiam, & Cæsares & alii, summam Imperii in Regnum illud Arelatense potestatem agnoverunt. Quæ præterea de alienato per Carolum Cæsarem Regno illo narrat Theodorus de Niem, illa profecto non consentiunt illius ævimonumentis: utpote cum non utique Ludovico Andegavensi, sed Carolo tum Delphino post sexto id nominis dicto Regi cesserint Caroli Cæsaris dona, ut alii quidem omnes consentiunt. Nec quis alius memorat solenne aliquod prandium, quo Cæsar à Gallo sit exceptus

Hhhh 3                      apud

600 DE FINIBUS IMP. GERMANICI  
apud Villam Novam : quanquam haud  
taceant, quam splendide Cæsarem illum ejus-  
que filium Wenceslaum Parisiis Carolus  
quintus Rex habuerit. Aventinum memoria  
falsum vel inde patet, quoniam vult in Joan- 5  
nem Regem ejusque filium alienationem Re-  
gni Arelatensis factam esse, & tamen mox  
apparebit in Caroli quinti filium aliquid col-  
latum esse sed non nisi temporarium, ac Vi-  
cariæ conditionis. Sed & Golnitzius in<sup>10</sup>  
Itinerario suo Belgico Gallico, ubi de Vienna  
agit, cum fecisset verba de Delphinatus in  
Gallum translatione, subjungit nescio quo  
auctore: *Quod sub Joanne Rege anno 1349. eti-  
am factum: cujus filius Carolus fuit Delphi- 15*  
*nus primus, assentiente Imperatore Carolo quar-  
to, MODO Delphinus ille & primogenitus  
Regis feudum illud ab Imperio susciperet. Bo-  
dinus semetipsum confutat. Agnoscit enim  
anno MCCCLXXIIX Carolo Delphino<sup>20</sup>  
ætatis beneficium datum à Cæsare simulque  
Vicariam potestatem in Regnum Arelatense, ex-  
cepta tamen Sabaudia. Hinc enim utique  
sole est clarius, antehac Regno Gallia non fu-  
isse*

esse plenum aliquod jus in Regnum illud, imo  
 tale ne quidem tunc datum. Vicaria enim  
 potestas non profecto summa est, sed minor u-  
 tique ea cujus est vicaria. Ergo si à Cæsare per-  
 5 petua quædam Vicaria potestas fuit data Gal-  
 lorum Regibus, non sane eo ipso omnia Im-  
 perii jura alienata sunt, sed summa majestas Im-  
 perio relicta.

Cæterum Carolo quidem Delphino da-  
 10 tum fuisse ejusmodi quoddam jus, & perpetu-  
 um quidem, fatemur: non hereditarium ta-  
 men, aut transferendum in omnes Galliæ Reges,  
 sed cum vita illius Caroli finiendum. Hinc Ro-  
 bertus Gaguinus l. 9. ubi Caroli quinti Regis hi-  
 15 storiam persequitur, narrans quemadmodum  
 ille Cæsarem Parisiis exceperit: *Traditum,*  
 inquit, *à Gallis scriptoribus comperio, Impera-*  
*torem quibusdam castellis terra Delphinatus*  
*donasse Delphinum, eumque in Arelatensi Re-*  
 20 *gno Imperii Vicarium instituisse. Arelaten-*  
*enim Regni Burgundiorum primariam civita-*  
*tem & caput fuisse, Imperioque paruisse, certum*  
*est. Apertius id fatentur alii scriptores Gal-*  
*licani. Vignierius tractatu quem supra jam*  
 lauda-

602 DE FINIBUS IMP. GERMANICI  
laudavimus, interprete Limnæo: Duci An-  
degavensi donavit Cesar Carolus reliquias,  
que superfuerant Imperatoribus in Delphinatu,  
h. e. Pompam & Charnacum, & simul eum  
constituit AD TEMPUS VITÆ (la-  
vie durant) irrevocabilem Majestatis sua vi-  
carium, ejus quod tenebat in Regno Arelatensi.  
Similiter pene loquitur Belleforestus l. 5. An-  
nalianum: *Le faisant Vicaire irrevocable de  
l' Empire sa vie durant.* Agnoscit idem  
diserte Theodorus Gothofredus v. c. Advocatus  
Parisiensis, in libello quo Principum illo-  
rum congressum descripsit. Datum scilicet  
Vicariatum illum, à la vie du dit Dauphin.  
Præclarissime omnium universam hanc rem  
quoniam memoriæ mandavit nobilissima  
virgo, Christiana Pisana in historia Caroli V  
Regis, producemus hoc loco ejus verba,  
quemadmodum ex manuscripto codice re-  
gio Bruxellensi Vindiciis suis Hispanicis  
inferuit illa doctissimus Chiffletius. Impera-  
tor (ait virgo) motu proprio in gratiam Regis,  
& filii ejus natu majoris Delphini, constituit  
& fecit **LOCUM TENENTEM  
SUUM**

SUUM & VICARIUM GENERA-  
LEM IN REGNO ARELATENSI  
DICTUM DELPHINUM, voluitque  
idem obtinere AD VITAM DICTI  
5 DELPHINI irrevocabiliter: & ea de re li-  
teras suas sigillo aureo munivit tanta tamque  
ampla cum facultate, quanta concedi potest,  
quaque antea dari minime solita fuit. Et pa-  
riter eundem LOCUM TENENTEM  
10 ET VICARIUM SUUM GENERA-  
LEM creavit aliis quibusdam literis pari mo-  
do sigillatis, parique cum facultate in DEL-  
PHINATU feudisque immediatis & me-  
diatis, & aliis quibuscumque clientelis, sine ulla  
15 exceptione. Deditque & concessit CASTEL-  
LUM POMPETI SUPRA VIEN-  
NAM, alteramque domum in dicta Urbe  
CHAMAUX appellatam. Similiter eidem  
BENEFICIUM ÆTATIS impertivit,  
20 & alia omnia SUPPLEVIT, quæ OB Æ-  
TATIS DEFECTUM dicto Delphino  
dictis gratiis & prefecturis obtinendis impedi-  
to esse possent. Quæ quidem ut rite perficeren-  
tur, & alia nonnulla, in gratiam & emolumen-

604 DE FINIBUS IMP. GERMANICI  
tum Regis, ejusque liberorum, CANCEL-  
LARIUM SUUM PARISIIS tri-  
duum aut quatrimum à suo discessu reliquit,  
literis suis obsignandis tradendisque. Subdit de-  
inde post pauca: Ubi Rex Parisios reversus est, 5  
Cancellarius Imperatoris Delphino, qui apud  
Regem erat, attulit obtulitque literas gratia-  
rum ipsi ab Imperatore concessarum sigillo mu-  
nitas. Unde Imperatori grates egit, & Can-  
cellario in hospitio suo versanti misit dono pate- 10  
ram elegantem argenteam, bene & accurate  
inauratam, viginti besseles pendentem in superque  
intra doni calicem mille Francos aureos, quos  
illi Delphinus in suscepti pro se laboris merce-  
dem concessit. Haecenus Gallicani illi. Ut 15  
droinde jam nefas fuerit affirmare, per Ca-  
rolum universa Imperii jura Arelatensia in  
Gallos translata: quum summa potestas  
Imperio non sit derogata, & Vicaria illa ita  
tantum data, ut mortuo Carolo illo sexto, qui 20  
obiit MCCCCXX, Caesaribus restitui de-  
buerit.

Quæ omnia ita sese habere confirmatur  
etiam secuti temporis historia. Id quod octa-  
vo loco



vo loco memorabile occurrit. Etenim Carolo sexto Rege anno MCCCXCII infania correpto, & reipublicæ administratione patruis ejus commissa, credidisse Rupertum Cæsarem Palatinum videtur, Imperii interesse, Regno Arclantensi alium aliquem idoneum gerendis rebus præficere, eoque in Italiam profecturus filium suum Ludovicum ibi Vicarium creavit. Diploma ipsum Cæsaris exhibuit nobis Marquardus Freherus l. i cap. xvi ex tabulariis Palatinis, scriptum anno MCCCCI: quod quia prolixius est & multa aliena continet, non est quod in medium producamus.

Ruperto qui successit Sigismundus Cæsar approbavit à patre Carolo factam concessionem: quod audivimus dicentem Aventinum. At non satis constat, num Vicariatum Imperii probaverit an verò Delphinatus possessionem: nec enim Aventinus satis id explicat. Si autem confirmavit tantum ea quæ à patre sunt acta, per utique est verisimile, confirmatum Vicariatum Imperii Carolo VI Regi quoad viveret, quem videlicet Rupertus Imperator filio suo erat largitus contra quam Carolo illi sexto pro-

miserat Cæsar Carolus quartus. Et vero invisit Sigismundus Parisiis Carolum illum sextum anno MCCCXVI componendæ pacis causa inter illum & Henricum Anglum. Quicquid hujus sit, Sigismundi illa probatio certissimo est argumento, etiamnum initio seculi decimiquinti non tantum Cæsares sed ipsos etiam Galliarum Reges summam Imperii potestatem in Regnum Arelatense & Delphinatum agnovisse. Nec vero hi curassent sibi possessionis suæ jura confirmari per Cæsares, nisi utique agnovissent, plenum jus sibi nequaquam competere.

Num Caroli sexti successores Galliarum Reges ab Imperatoribus nostris curaverint eodem sibi modo caveri, equidem nescio. Observo tamen in tabulis Caroli VII ut & in annalibus Ludovici XI, studiose Delphinatum à Regni Galliarum provinciis semper distinctum esse, secus quam postea fieri solitum. Saltim itaque his etiam Regibus fuit agnitum, non Regio sed singulari alio aliquo jure Delphinatum possideri, nec posse illum in corpus Regni Gallici jure coalescere. Æque olim Provinciæ Comitatus

mitatus à Gallico regno divisus fuit, utpote qui in patrimonio fuerit Siciliae Regum ad Joannam usque Reginam, inde ad Andegavenses translatus, demum Ludovico XI Regi à Renato Andegavensi fuit donatus. Etiam ille itaque hactenus non potuit Regni Gallici provinciis accenseri, nec est accensus.

Interea vero usque ad nostra hæc tempora, perpetuò, Archiepiscopis Trevirensibus, nullo Gallicorum Regum adversante, Archicancellarii per Regnum Arelatense titulus solennis fuit: atque ita saltim perpetua ac solennis quidem memoria mansit iurium Imperii, imo illa tantum non semper quasi renovata est. De Friderico etiam III Cæsare illo sæpius laudato loco Goldastus ita scribit: *Mr ist nicht weiters eröffnet und bekandt/ denn das Anno 1444 Kaysr Friderich/ als die End-genossen die Stadt Zürich belagert / ließ Ludwlg den Delphin aus Frankreich/ als dem Heiligen Reich Verwandten und Vicari, aufnehmen/ und zur Hülf und Entschützung der belagerten Stadt des Reichs zu Arles begeren. In Cæsaris Maximiliani querelis super injuria Gallorum, frequens fit mentio, per injuriam*

608 DE FINIBUS IMP. GERMANICI  
denegati Imperii homagii, Delphinatus & Regni  
Arelatensis nomine. *Delphinatum esse Imperii*  
*terram* (verba sunt Chiffletii in *Vindiciis Hispani-*  
*nicis* pag. 123.) *asseruit seculo praterito Carolus*  
*V Imperator. Cum enim apud Likercanum,*  
*Lombeca Vicecomitem, ejus Legatum, FRAN-*  
*CISCUS I Francia Rex conquestus fuisset,*  
*quod Caesar Marchionem Saluciarum in judi-*  
*cium vocasset, quem Rex causâ Delphinatus as-*  
*serebat esse Vasallum suum; scripsit Likerca-*  
*no Carolus Imperator, literis datis in Astensi*  
*civitate XIX Junii anni MDXXXVI,*  
*dictum Marchionem vel ex ipsa Francisci Re-*  
*gis confessione esse Imperii clientem, cum cer-*  
*tum esset terram Delphinatem pendere ab Im-*  
*perio; addens insuper, à Francisco Rege Du-*  
*cem Sabaudia injuste bello laceffiri, qui & Prin-*  
*ceps Imperii & Casarea Majestatis Vasallus*  
*esset.*

Quid postea pro Imperii juribus sit ge-  
stum, non satis mihi esse exploratum, fateor.  
Itaque etsi secure fortassis pronunciare possim;  
hactenus nullo aperto consensu sive Cæsaris  
alicujus sive Imperii, ea quæ Gallia Reges ho-  
die in

die in Burgundico Regno possident, Imperii  
 juribus subducta esse; num tamen non per  
 neglectum & silentium nostrum iis aliquid  
 detractum sit; & longi temporis præscri-  
 5 ptione illa perierint, aliis rerum Imperii peri-  
 tionibus dijudicandum relinquo. Certe, si  
 præscriptionis titulo non potest, nullo forte ju-  
 re Rex Galliarum, saltem summam potestatem, sibi  
 poterit vindicare. Et vero jam supra audivi-  
 10 mus Thuanum ipsum fatentem, non obstitisse  
 hæcenus diuturnam Regum possessionem,  
 quominus more præscripto ripa Rhodani ulte-  
 rius Imperio à vulgo adjudicaretur. Sed &  
 prudentiores nonnulli Gallicorum scripto-  
 15 rum, vi veritatis adacti, infirmitatem Regio-  
 rum prætextuam, non ausi sunt diffiteri. In  
 historia vitæ Nicolai Fabri Pereskii l. 4. Petrus  
 Gassendus de Petri Saxii opere cui titulus: *Pon-*  
*tificium Arelatense*, hæc notavit, digna quæ à  
 20 nobis etiam hæc commemorentur. Tandem  
 legit per id tempus Peireskius, quod tum à prælo  
 primum prodibat, *Arelatense Pontificium*,  
 auctore Petro Saxio ejus Ecclesie Canonico.  
*Plurimum vero fuit indignatus, quod ille, stu-*  
 dio

dio nescio quo, affectasset elevare Principum  
 nostrorum iura, Et non modo non reposuisset qua  
 opponi poterant, sed interdum etiam tentasset,  
 prater fas illa enervare. Quamobrem non in-  
 terquievit, donec placito Curiae evulgatio libri  
 prohibita fuit. Hæc ille: quæ simul nobis pos-  
 sunt certo esse argumento, plura ejusmodi pro-  
 ditura forte in lucem Gallicis auctoribus, si vis  
 abesset. Oliverium Marcanum diserte scribere,  
 Bressiæ Comitatum terram Imperii esse, testa-  
 tur Chiffletius in Vindiciis Hispanicis. Is qui  
 clarissimo Chiffletio sese opposuit Gallicarum  
 partium vindex Jacobus Alexander Tenu-  
 tius, in Aquitanico Vectigalium Senatu Consi-  
 liarius Regius, extremum finem partis secundæ  
 Veritatis quam appellat, vindicat e hisce verbis  
 claudit. Idem sane dicendum ad ea, quæ de  
 Imperatoris jure in varias jamdiu à Regibus  
 nostris possessas ditiones, temere effutit Chiffe-  
 tius. Praterquam enim quod illas legitime  
 ad eos pervenisse facile ostendi potest: etiamsi  
 ab iis primum injuste occupatas fuisse constaret,  
 optimo tamen jure jamdudum ab iis possideri,  
 nemo infitiabitur, propter varia nimirum inter  
 ipsos

ipsos & Imperatores in ita pacta ( præcipue au-  
 tem Monasteriense nuperrimum ) quibus omnes  
 inter eos controversia, non modo utrinque sopi-  
 ta, sed & penitus decisa & definita fuerunt, au-  
 5 rea que pax Summi Numinis beneficio, verbis,  
 scriptis factis, perfecte stabilita firmataque  
 tandem est. Hæc omnia Tenneurius, vir multæ  
 eruditionis & acerrimi iudicii. Etsi vero dicat il-  
 le: facile ostendi posse legitimam possessionem  
 10 Regum; facile tamen apparet, illum multo po-  
 tius ad præscriptionem & nuper initæ pacis leges  
 ( quæ tamen non loquuntur de Arelatensibus a-  
 liisque id generis ) provocare, quam illis ostensio-  
 nibus, quibus popularium suorum plerique vul-  
 15 go nituntur, fidere.

LONGE manifestiore titulo, posteaquam  
 sane ita convenit, possident plena omnia maje-  
 statis jura Gallix Reges, quæ ipsis Cæsar & Impe-  
 ri Ordines in Alsatia cesserunt. Fuit & illa re-  
 20 gio, saltim magnam partem, olim portio Bur-  
 gundici Regni: itaque quid de illa cautum sit,  
 oportunum est hoc loco adjicere. Tertio, Im-  
 perator pro se totaque Serenissima Domo Au-  
 striaca,

striaca, itemque Imperium, cedunt omnibus ju-  
 ribus, proprietatibus, dominiis, possessionibus ac  
 jurisdictionibus, qua hactenus sibi Imperio &  
 Familia Austriaca competebant in oppidum Bri-  
 sacum, Landgraviatum superioris & inferioris  
 Alsatia, Suntgoviam, Praefecturamque provin-  
 cialem Decem civitatum Imperialium in Alsa-  
 tia sitarum, scilicet Hagena<sup>uv</sup>, Colmar, Schlett-  
 stat, Weisenburg, Landa<sup>uv</sup>, Oberenheim, Ros-  
 heim, Münster in Valle S. Gregorii, Kaisersberg,<sup>10</sup>  
 Turinghaim, omnesque pagos & alia quaecunq;  
 jura, qua à dicta Praefectura dependent, eaque o-  
 mnia & singula in Regem Christianissimum Re-  
 gnumque Galliarum transferunt: ita ut dictum  
 oppidum Brisacum cum Villis Hachstatt, Nie-<sup>15</sup>  
 derrimsing, Harten & Acharren, ad commu-  
 nitatem civitatis Brisacensis pertinentibus,  
 cumque omni Territorio & banno quatenus se  
 ab antiquo extendit, salvo tamen ejusdem ci-  
 vitatis privilegiis & immunitatibus ante hac à  
 Domo Austriaca obtentis & impetratis. Itemq;  
 dictus Landgraviatus utriusq; Alsatiae & Sunt-  
 goviam, tum etiam Praefectura Provincialis in-  
 dictas



dictas Decem Civitates & loca dependentia, itemque omnes Vasalli, Landsassu, subditi, homines, oppida, castra, ville, arces, sylva, foresta, auri argenti aliorumque mineralium fodina, flumina, rivus, pascua, omniaque jura, Regalia & appertinentia, absque ulla reservatione, cum omnimoda jurisdictione & superioritate, supremoque dominio, a modo in perpetuum ad Regem Christianissimum Coronamque Gallie pertinent, & dictae Coronae incorporata intelligantur, absque Caesaris, Imperii, Domusque Austriacae vel cujuscunque alterius contradictione. Adeo ut nullus omnino Imperator aut Familia Austriacae Princeps quicquam juris aut potestatis in eis praememoratis partibus cis & ultra Rhenum sitis, ullo unquam tempore pretendere vel usurpare possit aut debeat. Sit tamen Rex obligatus in eis omnibus & singulis locis Catholicam servare Religionem, quemadmodum sub Austriacis Principibus conservata fuit, omnesque quae durante hoc bello novitates irrepserunt remove.

Hactenus Tabulae publicae: quarum sententiam quamvis gravem & Imperii rebus de-

trimentosam, absit ut impugnemus. Quamobrem non etiam est, cur de Gallicis per hoc regnum possessionibus amplius nos hoc loco disceptemus.

## CAPUT XXV.

*Reliqua plerasque Burgundici regni partes videri Imperii finibus jure meritoque etiamnum comprehendi.*

**P**ergimus ad reliquas Burgundici olim Regni partes. Quas inter merito lustranda loco primo venit Pontificum Romanorum ditio, cum ob dignitatem possidentis domini, tum quod ditio ipsa quondam partim in patrimonio Provinciæ Comitum, omnino Provinciæ terminis comprehensa, de Provincia autem proxime à nobis actum fuerit. Duo autem tenent heic loci Pontifices, Comitatum nempe Venayfinum & Avernionem. Quemadmodum vero utrumque ad Pontifices devenit ante omnia forte est præmittendum.

Abrahamus Bzovius ad annum MCCOIX num. x ita scribit: *Quod Comitatum Venayfinum attinet, fuit is olim Raimundi Comitis Tolo-*

Tolosani, ejus contra quem D. Dominicus Pra-  
dicatorum Ordinis conditor una cum Simone  
Montio sacram militiam pugnabat. Albigen-  
sium hereticorum patronum & fautorem Inno-  
centius III diris devoverat, eique subditos o-  
mnes vinculo sacramenti exsolverat: insuper  
& Cruce signatorum exercitum contra refra-  
ctarium submiserat. Feliciter piam militiam  
professis successerat. Namque multis victoriis  
divinitus partis, plurima de eo receperant. Illo  
extincto filius cognominis successit. Cum quo  
tandem pace per Cardinalem S. Angeli Lega-  
tum Anno 1228 mense Aprili inita, convenit,  
ut Raymundus junior, omne jus quod ultra Rho-  
danum in Regno Galliarum potuisset pratexe-  
re, & in his Comitatum Tholosanum, Provinci-  
am lingue Occitane, Comitatum Venaysinum,  
Sedi Apostolica resignaret inque manibus Ludo-  
vici Regis Galliarum deponeret; qui eas Pro-  
vincias & Comitatus, nomine Apostolica Sedis  
administraret. Fuerunt ea omnia in potestate  
Romani Pontificis, sed à Regibus Galliarum ad-  
ministrata, usque ad Gregorii X Pontificatum.  
Qui Concilio Oecumenico Lugduni convocato  
Kkkk 3 cum

*cum cetera pro dignitate, & libertatibus egisset, tum precipue Comitatum Venaysinum, Ecclesia Romana addictum, a Rege Galliarum vindicavit. Idem Bzovius ad annum MCCCXLIX num. x recitat tabulas, live instrumentum publicum ex archivo Vaticano depromptum, quod illa tempestate tabellio confecit, super contractu emptæ per Pontificem Clementem VI à Joanna Regina Neapolitana Avenionis, pretio octaginta mille florenorum aureorum.*

Accuratus tamen rem hanc omnem novisse quibusdam visus est, vir sane eximius & ut in Provincia illustri genere natus, ita Regius quondam Aquæsextiensis Senator, Nicolaus Fabricius Peirescius. Quapropter ejus etiam sententiam producemus, qualem illam memoriæ mandavit in vita viri præclarissimi doctissimus Petrus Gassendus l.2. *Incidit, inquit, sermo de tempore deque titulis, quibus Avenio Comitatusque Venascinus ad Pontificem maximum pervenit. Cumque alii nihil scirent aliud, quam factam à Joanna Regina Clementi sexto venditionem, anno supra millesimum trecentesimo quadragesimo octavo, ac die nona Junii, pretio*

pretio Florenorum octuagies mille; retexuit ipse totam historiam ab anno usque ducentesimo nono, quo Raymundus tertius Tolosatum Comes hereseos Albigensum fautor, & Legati interfecti auctor creditus, fuit ab Innocentio tertio iterum excommunicatus. Inde enim cœpit ditioe spoliari, ac post annos novemdecim transactio Parisiis sic fuit inita, ut Alfonso illius filio sola urbs Tolosa cum paucis adjacentibus cesserit; cetera ultra Rhodanum loca ad Regem attinerint, quæ citra vero possidebantur, ad Pontificem spectarent. Cum homines autem ejusce regionis non satis lubentes id ferrent, quod Romanam passim provocarentur, ac ideo Alfonsi partibus faverent, Bonifacius quidem octavus provocationes illas remisit, Clemens vero quintus, ut amplius demeretur animos, etiam sedere illic voluit; & cum, post Joannem vigesimum secundum, Clemens sextus Pontifex foret, facta est venditio eorum jurium, quæ Comitum Provincia erant, à partitione usque facta inter Raymondum Berengarium Comitem Provincie, & Alphonsum Comitem Tolosa, anno supra millesimum centesimo vigesimo quinto.

Hactē-

Haectenus Gassendus. Cæterum Bzoviana dixerim ego in plærisque vero magis esse consentanea. Avenionem enim ante annum 1348 non fuisse juris Pontificii, videtur ex Tabulis à Bzovio adductis posse tuto colligi: utpote cum in iis juris alicujus, quod haectenus in eam Pontifici competierit, nullo verbulo fiat mentio: ex adverso Joanna audiat: *Provincia & Fontal querii Comitissa & Domina civitatis Avenionis*, ac merum mixtumque imperium in Urbem dicatur tum vendere. Jam tunc verò Comitatum Venaysinum possidebant Pontifices. Utiq; enim jam anno MCCCIX Clemens V Papa Comitatu isti Rectorem dedit Raimundum Guillermi de Rudas: ceu liquet ex illis binis diplomatibus Pontificiis quæ recitat Bzovius in historia illius anni num. ix & xi. Itaque id quidem Peirescio concesserim, per transactionem Parisiis institutam Comitatum Venaysinum Tolosano ereptum Pontifici cessisse, idq; circa annum MCCXXIX ut recte notavit Peirescius & Bzovius; at ipsam Avenionem urbem simul tunc factam juris Pontificii, fefellit memoria virum doctum

doctum; nec enim urbs illa in ditione Tolofani fuit unquam. Recte etiam hoc Peirescius: Tolofani bona quæ ultra Rhodanum erant sita, facta fuisse juris Regii. Non enim in illa Pontifices quidquam sibi arrogaverunt: & errat Bzovius scribens, omnia etiam illa ad Pontificem translata esse. Et vero idem Bzovius manifesti erroris potest convinci etiam in eo, quod Comitatum Venazyfinum numerat inter ea quæ Comes Tolofanus in Regno Gallie possederat; cum tamen illum intra limites Imperii cis Rhodanum comprehensum tunc fuisse, nemo unquam negaverit. Credere tamen Bzovio possumus, Comitatum illum concessu Pontificis à Gallo Rege administratum esse, donec eum Sedi Romanæ Gregorius X vindicavit.

Verum hæc accuratius excutere non est nostri instituti. Videndum potius est, num illæ terræ finibus Imperii exciderint. Ac Bzovius quidem, cum recitasset tabulas emptio- nis circa Avenionem institutæ, mox subjungit hæc verba num. xi: *Hoc anno Carolis Rex Romanorum Aliotum Lucensem Canonicum*  
*LIII Narni.*

Narniensem, Clementis Pontificis Nuncium, ea qua par erat benignitate audivit, & dato aureo diplomate, juri omni, si quod in Urbem Avenionensem titulo Imperii habere posset, Sedi Apostolica & Romano Pontifici volens lubens cessit, datis literis in opida Görlitzio, Calendis Novembris anno Christi 1348 Regni ejus anno tertio. Addit sibi id depromptum, ex Archeo Vaticano & Molis Adriani, & epistola Clementis hoc anno scripta num. 85 128 & 658. At vero ex iis sane quæ modo disputavimus, liquido apparuit utique, Provinciæ universum Comitatum ea tempestate fuisse juri Imperii obnoxium: non itaque potuit illis soluta tum esse Avenio. Quod si etiam Pontifex Clemens VI credidisset in illam Imperialis juris nihil superesse, non profecto, misso Legato, Caroli IV Cæsaris tabulas studiose adeo super illo contractu exegisset. Quid Carolus Pontifici promiseri non ausim decernere, cum nec Bzovio liceat tuto credere, nec tabulæ Cæsareæ ex latebris suis in lucem sint protractæ. Certe haud parum suspectam facit Bzovii fidem, quod edere illa noluerit, cum & res id exigeret ipsorum me



Pontificum, quorum maxime causam agit in  
Annalibus suis, & facile potuissent ab illo pro-  
duci, si vera narrat. Jam vero quicquid pro-  
miserit etiam Carolus ille, cum nullus accessse-  
5 rit Ordinum Imperii consensus, invalidum id  
omne esse, nemini non liquet. Illum vero  
non accessisse, ex silentio Bzoviano licet secu-  
re colligere. Ex eo in tabulas istas, quibus  
Cæsares solent Pontificibus Romanis de bo-  
10 nis cavere, Comitatum Venusinum & Avenio-  
nem transiisse, jam notavimus capite vicefi-  
mo. Cum vero & illo & sequente capite simul  
ostensum jam sit à nobis, vi tabularum istarum  
nihil illorum bonorum omnium Imperii ju-  
15 ribus esse subductum, jam tum simul etiam  
probatum dedimus, Arelatensia quoque isthæc  
juribus illis adhuc esse obnoxia, utpote quum  
horum par cum reliquis illis sit conditio. Ac  
proinde non etiam est, cur iterum seorsim hoc  
20 negotium nunc agitemus. Fabulosum tamen  
fortassis est quod Merula scribit parte 2. Cos-  
mogr. l. 3 c. 42. *loca non pauca Comitatus Ve-  
nusini Camera Imperialis jurisdictionem hodie-  
que agnoscere.*

Pars etiam Provinciae ARAVSIO est. Illius Principatum saltim ad Rudolphi aetatem Imperii leges audivisse, & post demum in fidem Comitum Provinciae concessisse, non alio nunc teste probabimus quam unico, qui tamen pro multis est, viro fide & doctrina illustri Jacobo Augusto Thuano, quem Gallum esse ignorat nemo. Is libro trigesimo primo historiae suae de Arausione ita commentatus est. *Arausio Imperio Franco-Germanico olim subiecta fuit, ut ex bulla aurea Academia ejus institutionem complectente constat: aliaque praeterea, qua privilegiorum Ecclesia primaria à Friderico II. anno 613 CCXXV concessorum confirmationem sanxit: ex moneta item qua cum Imperii insignibus cudebatur: & tabellionum privilegiis, qui auctoritate Imperiali instrumenta publica conficiebant. Postea Imperii per Galliam nostram infracta potentia, peculiare Principes Provinciam tenuere, & cum ea Arausionensem Principatum; qui tandem ad Bausciorum regulorum familiam, seu successione siue alio titulo devolutus est, eadem prerogativa ac immunitate, quibus hodie Imperii Principes fruuntur.*

*de qui-*

de quibus instrumentum fuit confectum à Bertrando Bauscio anno CIO CCXLII eid. Decembr. In eo Principatu & partem habebant Hierosolymitani Equites, à Principibus, ut vero sit simile, in societatem asciti, ob virtutis famam & precipuum belli adversus Saracenos gerendi, cui illi destinati erant, ea atate studium; ut à Rigenfi episcopo in Livonia alibi factum memoravimus. Idque ex nummis plerisque patet, quibus in antica parte Arausionensis principis, in postica Hierosolymitani Ordinis insignia visuntur insculpta. Et ita res in eo Principatu fuerunt usque ad ann. CIO CCLVI: quo Carolus Andinus Ludovici IX frater, qui Beatricem Raimundi Berengarii, ultimi ex Barcinonensium Comitum illustri familia Provincia Comitis, Filiam uxorem duxerat, eam ditionem crevit, & Guilielmum Bauscium Arausionis Principem tanquam beneficiarium in fidem accepit, per Odonem Fortenarium, magnum Provincia Seneschallum. Carolo Carolus II Filius successit, qui tot regulorum suspectam potentiam habens, ab Hierosolymitanis Equitibus permutationis titulo partem, quam in Arausionensi Principatu habebant

bebant, comparavit, anno CIO CCCVII, XI Kal. Novembris, eamque mox Bertrando Bausco attribuit, lege adjecta, ut ipse posterique ejus de Principatu universo, tanquam beneficiarii, Provincia Comitibus fidem deinceps prestare tenerentur. Ea de re instrumentum confectum anno sequenti XI Kal. April.

Persequitur deinceps Thuanus res Arausio-  
nensium Principum, ad Ludovicum Cabilo-  
num matre Maria Bausca genitum. De hoc  
vero subjungit. Ludovicus Cabilonus, inquit,  
à Renato Sicilia Rege in fidem acceptus est, ei-  
que quindecim millia librarum commodavit,  
anno MCCCCXXVI, dum captivus Di-  
vione à Philippo Burgundione detineretur, Vi-  
cissim Renatus, ut iis de hujus summa restitu-  
tione caveret, jus supremi imperii quod ipse  
in Principatu habebat, obligavit. Cumque  
carcere liberatus es illud dissolvere paratum se  
ostenderet, Cabiloni tergiversatione effectum est,  
ut negocium exitu caruerit. Addit, quemad-  
modum Ludovici filius Guilielmus, postquam  
licentiose cum injuria subditorum suorum  
summo imperio esset usus, pacto cum Ludo-  
vico

vico XI Rege, qui jam rerum in Provincia potiebatur, inuito, in beneficiariam clientelam Delphinatus Viennensis concesserit; quo nexu tamen Ludovicus XII Rex Joannem Guilielmi filium liberaverit. Franciscum Regem revocata illa gratia, Philibertum Guilielmi filium in fidem iterum accepisse, sed qui huic successit Renatum Nassavium Austriacas partes secutum, Igitur post Ticinensem cladem Madritiana pacificatione fuisse cautum ita, ut nulla habita juris, quod Regibus competebat, ratione, Arausionensis Principatus cum summo imperio ipsis restitueretur. Et quanquam, pergit Thuanus, bellis postea inter Carolum V & Henricum II subortis, Regii magistratus manum in Principatum injecissent, & Gratianopolitanus senatus per id tempus de appellationibus cognovisset, tandem pacificatione ultima anni MD LIX, rursus supremum Arausionensis Principatus imperium, Nassaviis juxta Madritiana pacta restitutum est: & Guilielmus Guilielmi F. Renati frater patruelis prefectum Urbi imposuit, & magistratus denuo instituit, qui citra provocationem cum summa

*ma potestate jus dicerent.* Hæc omnia Thuanus.

Creditur vero hodie is Principatus Imperii quoque legibus omnimodo solutus, atque adeo uni obnoxius Deo. Cæterum *Principio* quidem observandum arbitror id, quod Thuanum audivimus fatentem: donec in clientelam devenit Provinciæ Comitum, citra controversiam Principatum illum juris Cæsarii fuisse, & intra terminos Imperii collocatum. *Secundo* id quoque existimo vacare controversia, quod nemo Cæsarium auctoritate publica solverit Principatum illum Imperii legibus. Nec enim Madritianâ pactione absoluta omni ex parte potestas Arausionensi concessa, sed inductum duntaxat est illud clientelare jus illaque jurisdictio quam sibi in Principatum istum Galliæ Reges asseriebant. Utque fortassis aliquid tale concessisset Nassavio Carolus, Imperio illa privata prodigalitate non potuit præjudicari. *Tertio* cum ad Ludovici Duodecimi Regis tempora Principatus ille ab anno usque *MD CCLVI* fuerit perpetuo in fide & clientela vel Provinciæ Comitatus, vel

vel Delphinatus Viennensis, uterque autem sal-  
 tim ad eandem usque tempestatem intra Imperii  
 fuerint fines, quod præcedente capite probavi-  
 mus: utique hæctenus etiam Arausionem extra  
 5 Imperii limites non fuisse, existimandum est.  
 Num ex eo tempore Cæsares nostri neglexerint,  
 summæ suæ potestatis indicium aliquod Arau-  
 sionensibus ostendere, nec ne, non habeo dice-  
 re. Nisi tamen memoria me fallit legi, auctori-  
 10 tate Cæsarea à Carolo V & ratihabatum Renati  
 Nassavii testamentum, & Guilielmum in posses-  
 sionem missum esse. Quod fuerit magnum ar-  
 gumentum exercitæ tunc Cæsareæ summæ po-  
 testatis.

15 Ad Auroicorum Principum patrimonium  
 pertinet quoque CABILONENSIS Princi-  
 patus, minoris Burgundiæ pars in quantum est;  
 ipsam enim Urbem Cabiloneum in ripa Gallica  
 Araris & Burgundia Ducali situm esse certum  
 20 est. De quo multo minus dubitandum est; num  
 intra Imperii sit fines constitutus, quum supe-  
 rioris seculi anno vicesimo, auctori- tate Caroli V  
 Cæsaris, is qui tum rerum ibi potiebatur Phil-  
 bertus, in album seu matriculam eorum, qui Im-

perii Germanici comitiis interfunt ejusque onera publica ferunt, recipi sese fecerit. Etsi enim ex eo tempore Principes illi comitiis non interfuerint forte, nec indictos sumptus penderint; ex matricula tamen publica nomen eorum non est expunctum: adeoque etiam haecenus integra aliquo modo supersunt Imperii jura, multo magis ea quæ ad fines pertinent.

De Comitatu illo amplissimo BVRGVNDIÆ ita loquitur Bodinus l. i cap. x n. 120: *Tametsi variis fœderibus nostri Principes Flandria & Artesia Principatum Carolo Casari concesserint: adhuc tamen restat Burgundia regio, quam appellant Carolium comitatum. Cujus quidem proprietas ad Regem Hispaniarum, dominatus ad Regem Francorum pertinet: & fiduciario jure ab Hispano Rege possidetur: ut in eo ipso se Regis nostri Vasallum profiteatur. Sed cum ratio, tum memoria Bodinum vehementer fefellit. Nunquam enim Comitatus ille vel in dominio vel in clientela Regum Franciæ fuit: etsi eam aliquamdiu possederint Burgundiæ Duces Regia Gallorum familia nati. Ipsemet Bodinus eodem capite n. 128 rectius docet, quemadmodum Comita-*

mita-



mitatus iste ad Duces illos pervenerit. *Burgun-*  
*diam, inquit, liberam Carolus IV Cesar Philip-*  
*po Audaci Burgundia Duci, prole mascula Co-*  
*mitum extincta, IMPERIALI JURE fru-*  
 5 *endam dedit.* Quod si tabulæ ipsæ forent ad  
 manus, multo clarius id ipsum omnibus pate-  
 ret. Earum loco producimus ejusdem Caroli  
 tabulas, quibus beneficium ætatis Philippo isti  
 contulit. Protulit eas ex Archivo Divionensi  
 10 *Chiffletius in Vindiciis Hispanicis cap. 13 p. 28.*  
 in argumentum, quod Burgundiæ Ducatus Im-  
 perii majestatem observaverit: frustra tamen:  
 testantur vero Philippum illum saltim ut Bur-  
 gundiæ Comitem Imperii legibus fuisse obno-  
 15 xium; utpote cum ætatis venia concedi neque-  
 at nisi ab eo qui jus habet supremi dominii. Ta-  
 bulæ istæ habent sese in hunc modum. *Carolus*  
*Quartus divina favente clementia Romano-*  
*rum Imperator semper Augustus, & Bohemiarum*  
*Rex, Illustri Philippo Duci & COMITI Bur-*  
 20 *gundia, Principi & Consanguineo nostro Dile-*  
*cto, gratiam nostram & omne bonum. Imperia-*  
*lem decet magnificentiam sic pro SUBDITO-*  
*RUM commodis adaugendis ( illorum præfer-*  
 M m m m 2 tim

tim qui radiantes generis claritate, & commu-  
 nione sanguinis ac aliis virtutum exercitiis se  
 charos efficiunt) interdum illis uti remediis sic  
 illis vis etiam dirigi in agendis, ut rigorem ju-  
 ris dispensationis gratia temperet, & pro neces- 5  
 sitate temporis à lege prohibita de speciali gratia  
 facienda relaxet. Sane pro parte tua Celsitu-  
 dini nostræ extitit CUM INSTANTIA  
 SUPPLICATUM, ut cum tibi PRO TE  
 & TERRA TUA, in pluribus pratoriis, & 10  
 civilibus negotiis exercendis, majorum eorum,  
 qui etatem legitimam attigerunt, sit beneficium  
 opportunum, & præpediente etatis defectu, ex  
 eo quod minor annis existis, ad gerenda exer-  
 cenda & facienda hujusmodi negotia inhabilis 15  
 reputeris, super hoc de opportuno remedio provi-  
 dere dignaremur. Nos igitur considerantes  
 magnificum statum tuum, & negotiorum quali-  
 tates, quibus intendere cum utilitate teneris; &  
 volentes TE super præmissis de speciali gratia 20  
 reddere consolatum, TIBI AUCTORITA-  
 TE NOSTRA, ET DE PLENITU-  
 DINE IMPERATORIAE POTE-  
 STATIS, veniam etatis & beneficium mayo-  
 rum

rum & maiorennum damus & concedimus  
 gratiose: tecum super defectum atatis seu mino-  
 rennitatis, quem pateris, etiam dispensantes. Vo-  
 lentes & **EDICTO IMPERIALI** decer-  
 5 nentes omnino, ut omnia, & singula facta, &  
 negotia civilia & pratoria, in iudicio & extra,  
 ubique locorum, & quibuscunque personis, Eccle-  
 siasticis vel mundanis, agere, facere & exercere  
 libere valeas atque possis, non obstante defectu  
 10 predicto. Et per te acta facta & gesta perinde  
 valeant & teneant, ac si major annis & maio-  
 rum fultus beneficio existeres de presenti. Nos  
 enim iuribus & sententiis omnibus & singulis,  
 scriptis & municipalibus, de quibus in genere  
 15 vel specie in contrarium facientibus oporteret  
 specialem in presentibus fieri mentionem, expres-  
 se & ex certa scientia derogamus presentium,  
 sub nostra Imperialis majestatis sigillo, testimo-  
 nio litterarum. Datum Praga anno Domini  
 20 **MCCCLV.** Indictione **II X.** XII. Kalend.  
 Sept. Regnorum nostrorum, Romani anno X.  
 Bohem. IX. Imperii vero I. P. D. Cancellarius  
 Jacobus Augustini. Hucusque illæ Tabulæ.  
 Consentiant porro in hoc omnes Burgundica-  
 Mmm 3 rum

rum rerum scriptores, etiam qui partibus suorum Principum plus nimio favent, à priscis usque temporibus semper Imperialis juris fuisse Burgundiam illam: itaque nihil est quod dubitemus. Non est etiam quod multis probemus, etiamnum Burgundiam illam ab ipso possessore Hispano haberi Imperii regionem, cum diserte ita cautum sit in eo pacto, quod Carolus V cum Imperii Ordinibus de omnibus regionibus, quæ Circuli Burgundici nomine solent usurpari, ini-<sup>10</sup>xit. Tabulas illas recitabimus ubi de Lothariensis Regni provinciis, quas hodie Hispaniæ Reges tenent, acturi sumus.

Burgundici quondam Regni pars etiam fuit SABAUDIA. At hodie non desunt qui<sup>15</sup> illam omnibus Imperii juribus exutam, Principemque ejus sui omnino esse juris & arbitrentur & pronuncient. Fortassis vero satis est unum audire Joannem Bodinum Gallum hominem, quem vis veritatis ad egit apolo-<sup>20</sup>giam quasi scribere pro Imperio, adversus iniquos ejus detractores. *Ducem* (ait ille loco isthoc sæpius laudato num. 129.) *Allobrogum jura majestatis habere, una voce tradunt*  
*Italo-*

*Italorum Jurisconsulti juniores* (provocat vero in margine libri ad Socin. Conf. 4. l. 3. Castrens. consil. 196. Brev. consil. 45. Jasonem consil. 227. lib. 2.) idque in *suprema Curia Allobrogum* judicatum esse: quæ omnino cum *Vicarii ac Vassalli* munere pugnant. Ac etiam *Ozascus Taurini* præsēs (in decis. Pedemontana 155 & decis. 101.) scribit *Allobrogum Duces* summam illam ac plane *Imperialem* potestatem ab *Imperatoribus* adeptos esse. Quæ certe potestas *Imperatoris Vicario* tribui non potest: ut verissime *Felinus*, optimus juris interpret scriptum reliquit. Quid enim *majestati* tam contrarium, quam se *Legatum* (id enim appellatione *Vicarii* significatur) profiteri, à quo jura *majestatis* habere te putes, in ea ipsa provincia cui præsēs? At enim *Allobroges* ipsi confitentur, totaque eorum historia declarat, hanc *Imperii Germanici* provinciam, quæ nunc *Sabaudia* dicitur, *Imperii* feudum exstitisse, & *Duces* ab *Henrico V* *fiduciarios Comitum* dignitatem assecutos; ac tandem *Duces Sigismundi Cesaris* beneficio appellatos fuisse. Certe quidem antea semper *Duces*, nec ita pridem *Carolus* patriæ restitutum,

Impe-

Imperatori fidem dedisse constat. Biennio post,  
 id est M DLXI. procuratorias tabulas ad Ar-  
 carum Comitem Caesaris cubicularium a Duce  
 missas legi, ut novam fiducia formulam ab Im-  
 peratore suo nomine postularet; quia non satis  
 copiosa illa sibi videretur quam Auguste accepe-  
 rat. Id tamen effici non potest, cum Vicarii  
 munus jura majestatis ejus provincie, cui pre-  
 fectus sit, non admittat; at ne fiduciarium qui-  
 dem aut feudatarium esse patiatur ejus provin-  
 cia, cujus summam habeat potestatem. Rex  
 Hispanus quidem in universa Insubria, Hetru-  
 ria; Duces item Saxonia & Palatini Comites,  
 Imperatoris Vicarii sunt ac Legati perpetui, ut  
 jurisdictionem absente Cesare exerceant, si qua  
 civitatibus aut Principibus inter ipsos aut etiam  
 contra Caesarem ipsum controversia intercedat:  
 quod quidem munus personale est, non pradica-  
 torium; nec vero potest quisquam fiduciarium  
 esse ejus pradii, cui preficiatur. Necesse igitur  
 est, Ducem Allobrogum Imperatoris Vicarium  
 esse, extra fines sua ditionis; quod nec Helvetii,  
 nec Rex Hispanus, multo minus etiam Rex  
 Francorum ferre possit. Hæc Bodinus, Contra  
 quem

quem Antonius Tiffaurus in præfatione decil.  
 n. 13 & 14. pro Sabaudi summa potestate di-  
 sputat: sed, ne quid gravius dicam, frustra &  
 inique. Ut tamen nihil dissimulem; id qui-  
 dem certissimum est, Vicariam potestatem  
 neutiquam esse omnibus numeris absolutam  
 & sui juris, idque ipsa illa voce indicari, hæte-  
 nusque recte ac probe Bodinum ratiocinari: at-  
 tamen fortassis haud volunt hoc ipsum qui jura  
 illa amplissima Sabaudis attributum eunt. Solent  
 enim & aliis Germaniæ Principibus jura Impera-  
 toria quadamtenus adscribi; idem enim illos  
 in suo territorio valere quantum valet Impera-  
 tor: sed non alio sensu, quam regalibus juribus  
 maximis Principes beneficio Cæsarum valere,  
 non autem aliqua auctoritate minoris momenti.  
 Quod si igitur nihil aliud voluerunt illi Sa-  
 baudici laudatores, non est quare in eos acri-  
 ter animadvertatur. Non videtur autem Bo-  
 dinus etiam id jure merito affirmasse: Sabau-  
 dum in sua ditione non posse vicarium Cæ-  
 saris agere: cum omnis Imperii vasallus,  
 qui quidem regalia quæ appellantur, bene-  
 ficio Cæsarum tenet, reapse non nisi vicaria  
 Nnnn quadam

quadam gaudeat potestate. Notandum etiam, antiquo quidem more Comitibus & Ducibus jura non absorbere omnia quæ appellantur regalia, sed ea licet possiderentur, multo tamen maxima Cæsaribus in regionibus illis fuisse reliqua: itaque Dux etiam aut Comes Vicariam illam Cæsaribus potestatem adipiscens, in sua quoque ditione nova quondam & longe majora consequutus est. Hac sane de causa ipse Philippus Hispaniæ Rex Vicarii illam auctoritatem in propriam ditionem Burgundici circuli à Ferdinando Cæsare conferri sibi petiit. Ad hoc Sabaudus Vicariam illam suam potestatem etiam in alia extendit quæ extra territorium Ducatus sunt, vel certe olim fuerunt: etsi paulatim prætextu etiam Vicariatus in ditionem suam illa traxerit. Luculente id mox apparebit, ex iis quæ de urbe Geneva dicturi sumus.

Cæterum præter Bodinum etiam Cassanus, famosus ille Regionum Galliæ jurium præco, in defensor. l. 2 cap. 2 pag. 46 negat, Sabaudum posse simul Vicarium esse Imperii & Vasallum. Verba hujus ex Gallico ita vertit

Clarif.



Clarissimus Limnæus in Additionibus ad l. V  
 cap. 14 num. 4. Titulus quo Duces Sabaudia se  
 prædicant perpetuos Imperii Vicarios, ab Impe-  
 ratore Carolo IV anno 1366. Amedeo IV qui Comes  
 5 Viridis dictus, concessus, ejusque posteris ab  
 Imp. Maximiliano I & Carolo V confirmatus  
 fuit. Ex eodem autem satis apparet, quod ma-  
 le affirmant, se ab Imperatore feuda sua tenere.  
 Fuit enim hic titulus postea, ad instantiam &  
 10 querelam Andrucii Episcopi Genevensis, cum  
 cognitione cause per eundem Carolum IV Anno  
 1383 revocatus, simulque prohibitum, ne sub pœ-  
 na mille marcarum revocationi huic contra-  
 veniretur. Illud vero maxime perpendi debet,  
 15 quod titulus, Vicarii perpetui, incompatibilis  
 est cum juramento, quod præstant Imperatori.  
 Necessarium enim omnino est, ut qui nomen ha-  
 bet Vicarii, aut locum tenentis, non sit Vasallus  
 ejus cujus locum tenet. Quia potestas absoluta,  
 20 quam accipit Vicarius, non potest simul stare  
 cum submissione quam debet Vasallus Domino:  
 alias enim sibi met ipsi juramentum fidelitatis  
 facere posset, quod maxime absurdum. Hæc  
 quidem ille, Bodinum ut videtur secutus. Etiam

hæc vero perinepte ita aſſeruntur: utpote quum  
 ipſa illa Vicaria dignitas feudi conditione poſ-  
 ſit teneri; quomodo illam tenent Saxo & Pa-  
 latinus Electores, ne quid dicam de aliis. Sed  
 & quidni una in re ſis Vaſallus, in alia titulo  
 diverſo Vicarius Cæſaris? Tricæ igitur tantum  
 hæc ſunt ſciolorum, uſui ipſi communi repu-  
 gnantes.

Non eſt autem quare iis nunc immoremur,  
 quum ad noſtrum argumentum non ita pro-  
 xime pertineant. Sabaudiam vero Imperii ho-  
 dieque limitibus contineri, uſque eſt adeo  
 notum omnibus, ut ipſemet Thuanus l. 2 hi-  
 ſtoriæ ſuæ, enarrans Imperii omnem rationem,  
 nihil dubitaverit in hæc verba prorumpere: 15  
*Sabaudia & Allobroges Imperio ac legibus Im-*  
*perii parent.* Jam ante ſcilicet audivimus diſſe-  
 rentem Bodinum, quemadmodum ipſa Ducalis  
 dignitas, Sigismundi denique Cæſaris benefi-  
 cio Principibus Sabaudia ſit primum conceſſa: 20  
 imo à Carolo etiam V Cæſare clientelari le-  
 ge Carolo Duci attributa. Sane ipſi ſerunt  
 ſeſe non niſi Cæſarum Vicarios. Nomen Sa-  
 baudi porro matriculæ Imperii inter Principes  
 infer-

insertum esse addito onere in expeditiones quidem publicas Imperii mille octingentorum ac viginti octo, in sustentationem vero Judicii Spirensis annuorum trecentorum florenorum, notum est omnibus. Sed & diserte idem Princeps in Constitutionibus Imperii passim audit Princeps & Vasallus Imperii: *Der Herkog von Saffola Ist des Heillgen Reichs Fürst und Lehman.* Eundem à Spirensi judicio, anno seculi superioris vicesimo primo, die octavo decimo Decembris, delicti causa per sententiam proscriptum esse, notatur in *Symphoremate Prajudiciorum Cameralium voce Bannum pag. 56.*

Non tantum vero Sabaudia ipsa à Principe illo tenetur fiduciario jure, sed etiam in Italia **PEDEMONTIUM**, quod anno MCCCLXIII pulsa Joanna Neapolitana in ditionem suam majores illius redegerunt. Comitatum **ASTENSEM** etiam & Marchionatum **CERÆ** iisdem Principibus eodem jure Carolus V Imperator concessit. Quorum feudorum disertam mentionem facit etiam Clatissimus Jureconsultus Cacheranus *Consil. 9 n. 39. & Consil. 27 n. 21.* De iis

quæ ex Montisferratensi regione nuper adeo ipsis cesserunt, & tabulis Pacis publicæ sunt confirmata, præcedente jam capite dictum est.

Possit tamen videri, hiſce in locis à Sabaudo teneri quædam, absoluta omnino potestate, omnique adeo Imperii lege exempta. Et verotale quid ipſismet Tabulis pacis cum Gallo Monasterii initæ videtur diſerte confefſum eſſe. Verba hæc ſunt: *Conventum eſt quod Dux Sabaudie, heredes & ſucceſſores ejus, nullatenus turbentur aut inquietentur in Superioritate, ſeu jure ſuperioritatis, quod habent in Feudis Rocheverani Olmi & Caſola cum appertinentiis, que à Romano Imperio NULLATENUS dependent: & revocatis annullatisque donationibus & inveſtituris, in dictorum Feudorum poſſeſſione ſeu quaſi, dominus Dux manuteneatur, & quatenus opus ſit redintegretur. Parique ratione ejuſdem Vaſallus Comes Verua, quoad eadem Feuda Olmi & Caſola, & quarta partis Rocheverani, ſua poſſeſſioni ſeu quaſi reſtituatur, & in eadem pleniffime cum fructibus omnibus redintegretur. Verum enimvero fortassis hæc verba non alio ſunt ſenſu accipienda, quam,*

quam, terrarum illarum clientelare jus non de-  
pendere proxime ab Imperio & Cæsare ut existi-  
mabatur, sed ab uno Sabaudia Duce. In uni-  
versum enim illas Imperii esse legibus exemptas,  
5 non ex illis quidem verbis fit verosimile. Citra  
enim controversiam nihil in omni illa vicinia  
non fuit, saltem quondam, juris Imperialis, ut  
jam tunc est notum. Habet itaque, ut in foro  
loquuntur, Imperium in illa etiam fundatam  
10 intentionem. Atque adeo probanda Sabauda  
venit omni exceptione clarioribus argumentis  
omnimoda illa libertas: quod tamen hæctenus  
factum non est; nec fortassis fieri potest. Fac  
enim feudi legibus isthæc à Sabauda non te-  
15 neri, non tutò tamen hinc colligas Imperii etiam  
finibus exeidisse: nec enim sola feuda legibus  
Imperii obnoxia sunt, sed alia etiam numero  
plurima.

Post Sabaudiam ut nonnihil statim de  
20 GENEVA urbe dicamus, monet quod cum  
illa urbe Sabauda est dissidium: præsertim  
cum à quam multis existimetur & illa Urbs ex-  
tra Imperii fines hodie collocata. Et verò  
Geneva Henrico III Rege in clientelam Gal-  
licam

licam suscepta est, Gallis id fœdus ad Regni  
 sui securitatem utile existimantibus: quod clau-  
 sura, qua iter tutissimum & compendiosissi-  
 mum auxiliaribus Helvetiis ab illa parte ve-  
 nientibus patet, non aliter in potestate haberi  
 possit, quam si Genevenses amicos habeant.  
 Cæterum ab antiquo Urbem illam Imperii le-  
 ges audivisse, non Gallicas, certum est, & pro-  
 dunt hodieque id insignia Urbis suâ aquilâ.  
 Non opus sane est quo multis id demonstrem:  
 ut tamen eo magis omnibus pateant, adferam  
 in medium nonnulla ex lib. cxxv Historiarum  
 Thuani excerpta, ubi præclarissimus ille  
 Historicus recitat breviter, quæ utrinque à  
 partibus, in dissidio illo Sabaudi & Geneven-  
 sium, in jurium defensionem sunt per id tem-  
 pus edita. Ex his enim multo plurima licet  
 petere de Imperii perpetuo in Urbem illam ju-  
 re; & hæc tamen etiam tantum, nos illa attingemus.  
 Geneva, inquit ille, quam ex veteri inscriptione  
 equestrem civitatem olim dictam volunt, post  
 eversum Imperium Romanum & novum à  
 Franco-Gallis nostris in occidente fundatum sub  
 ejus patrocínio diu libertatem servavit, bicipiti  
 Aquila,

Aquila, cujus imago etiam nunc pro valvis ma-  
 joris templi visitur, Et ad Caroli Magni tempo-  
 ra refertur, aliis veluti defensa, quousque exor-  
 tis in Imperio discordiis civilibus, cum à Casari-  
 5. bus desereretur, ad Episcopos, quorum tunc et-  
 iam in iis qua ad civilem jurisdictionem specta-  
 bant magna auctoritas erat, confugit. Dein no-  
 va inter Episcopos ipsos Et vicinos Sabaudie  
 Comites suborta dissidia urbem miseram, semel  
 10. atque iterum incendio vastatam varia peste de-  
 struxerunt. Juris autem quod Sabaudus sibi  
 arrogat, hac fere testimonia Et argumenta ante  
 triennium, statim post pacificationem Veruini-  
 ensem, cum Octobri mense Hermanca ab utraq-  
 15. parte conventus indictus esset, ejus delegati in  
 medium afferebant. Petrum videlicet ex anti-  
 quo Genevensium Comitum stipite ultimum,  
 anno c13 ccc xcii, xxiv Martii, heredem uni-  
 versalem instituisse Humbertum Villarii Comi-  
 20. tem ex sorore nepotem, qui post avunculi mor-  
 tem Genevensium Comitatum crevit, Et ejus in-  
 vestituram à Wenceslao Casare tertio post anno  
 exeunte obtinuit. Humbertum dein c13 cccc  
 post anno mense Martio morientem, cum nullos

ex senatos haberet, postumos instituisse, & iis de-  
 ficientibus Odonem Villanium patrum, qui  
 cum hereditatem anno sequenti adiisset, V Au-  
 gusti mox Comitatum Genevensem titulo ven-  
 ditionis in Amadeum Sabaudum transtulisse.  
 Amadeum autem, ut emptionem à se factam  
 novo jure confirmaret, ejusdem Comitatus de-  
 nuo investituram à Sigismundo Cesare impe-  
 travisse anno c 1 5 c c c c x x 1 1, x Kal. Septembr.  
 Cum vero de Comitatu Genevensi, quasi morte  
 Petri ad Imperium devoluto, ab Imperiali Syn-  
 dico controversia Amadeo facta esset, & A-  
 rausionensis Princeps eundem Comitatum, qua-  
 si Petri ab intestato heres vindicaret, Sigismun-  
 dum apocha secreta Amadeo cavisse, si sententia  
 secundum Imperialem fiscum ferretur, fore, ut  
 jus omne quod in Comitatum Genevensem tan-  
 quam Imperii beneficiarium ipsi competebat, ei  
 successoribusque ejus bona fide attribueret.  
 Quod cum contigisset, Sigismundum post sen-  
 tentiam latam novo instrumento apocham ra-  
 tam habuisse, & anno sequenti ix Kal. Nov.  
 Comitatum Genevensem Amadeo concessisse,  
 & Arausionensi interdixisse, ne Comitatus Gene-  
 vensis



uensis titulos Sabaudia attributos sibi imposte-  
 rum arrogaret. Ea de re publicum instrumen-  
 tum confectum anno MD CCCCXXIV, IV Kal.  
 Jun. Jam vero ante Sabaudia Principes omne  
 5 supremum dominium, jurisdictionem, ac jura  
 regia, quae Imperio in eo competebant, à Casari-  
 bus habuisse; & Vicarios Imperii constitutos,  
 Episcopo Genevensi mandandum curavisse, ut  
 Principes Sabaudia tanquam perpetuos Imperii  
 10 Vicarios coleret. Id à Carolo IV anno MD CCC  
 LVI decretum: cum jam ante, anno ejusdem se-  
 culi LVI, idem Carolus constituisset, ut appel-  
 lationes à Genevensibus interposita coram Sa-  
 baudia Duce tanquam Imperii vicario disce-  
 15 ptarentur. Id jus à Maximiliano Casare in  
 Comitatum Genevensem & nominatim in ci-  
 vitatem Genevam ejusque territorium Sabau-  
 dia Duci concessum esse, diplomate ea de re con-  
 dito III Eid. Maj. anno MD IX. Secundum  
 20 hac anno decimo post prid. Non Xbr. à Carolo  
 V mandatum Geneve civitati ejusque Episco-  
 po fuisse, ut omne obsequium Carolo Sabaudia  
 Duci deferrent. Quod & idem Carolus anno  
 sequenti, cum Vicarii titulo aliisque juribus ple-  
 nius

nus designatis confirmavit, instrumento ea de re facto III Eid. Mart. Idem juris sub Ferdinando & Rodolpho Caesaribus fuisse.

Hactenus pro suis, imo pro Imperii juribus, Sabaudum audivimus. Si Genevenses, ipsi quoque producantur, non minus in liquido sunt Imperii in Urbem illam jura. Eodem enim Thuano teste, sese *semper liberam & Imperialem urbem fuisse* affirmaverunt: id patere ex diplomate quodam Friderici Anobarbi Cæsaris & secutorum temporum actis: eo-que sibi non obstare Wenceslai Sigismundi & Caroli V rescripta, ut vitio & obreptitia fraude impetrata. Carolum ipsum cum suam Sabaudum Principi factam concessionem Imperio summe detrimens agnosceret, contrario rescripto dignitatem Vicarii Sabaudiae Comiti abrogasse, juribus pristinis tam Episcopo quam oppido, quod *nobile Imperii membrum* vocet, competentibus confirmatis. Sigismundum Imperatorem Amadaeo Sabauda enixe imperasse, ne quid contra jura regalia & libertates Ecclesiae Genevensis, quam itidem *insigne Imperii membrum* appellat, attentare præsumeret.

Caro-

Carolus V Cæsarem anno MDXXX monuisse Genevenses, ne quid in perniciem, Episcopi Ecclesiæ ac Civitatis, à Sabaudia Ducibus inducti, facerent, atque decimo anno post eos denuo monuisse, ut pristinam jurisdictionem & libertates à decessoribus suis Genevæ, *tanquam civitati Imperiali* concessas, tuerentur. Temporibus Petri Balmæ Episcopi fœdus ab oppidanis iactum esse cum Bernatibus & Friburgi pago: *itaq;* Henricū III Regem Gallie anno MDLXXIX renovato cum Bernatibus & Soloturnensibus fœdere, in eo rempublicam Genevensem comprehendisse, ejusque patrocinium ab eo tempore Reges Christianissimos suscepisse. Mitto alia.

Cum hæc vero ita sint in utramque partem disputata anno post millesimum sexcentesimo, manifestum utique id est factum illo etiam tempore, Genevam urbem non à Sabaudis, non à Gallo, non à suis civibus habitam tanquam sit extra Imperii limites, et si in patrocinio degeret Gallico. Nec vero urbs illa hæctenus desit Aquila Imperiali exornare insignia sua, in argumentum Imperialis subjectionis. Num vero una cum

aliis foederatis Helvetiis ipsa hæc urbs per tabu-  
 las Pacis publicæ nuperas mutaverit conditio-  
 nem, non satis novi, eoque nihil etiam definire  
 audeo.

Re igitur illa in medio relicta, in HEL-  
 VETIOS foederatos jam inquiremus. Et  
 vero maxima eorum pars intra veteris Regni  
 Burgundici fines continetur, ut qui ad Rhe-  
 num & Ursam usque amnes fuerint extensi,  
 ceu supra probavimus. Merito igitur hoc loco  
 de iis agendum, trahente secum huc majore  
 parte eam quæ tenuior est. Omnem igitur  
 Helvetiam illam Imperii fuisse ditionem, ante-  
 quam in foedus aliquod populi illi coaluerunt,  
 usque est adeo palam in omnibus, etiam do-  
 mesticis illorum annalibus proditum, ut de-  
 mens sim id si tentem testimoniis probare.  
 Ne id quidem in controversia est, an statim  
 ab icto foedere in plenam illi libertatem sint  
 asserti. Refragantur enim omnia itidem monu-  
 menta, & foederati ipsi immunitates plærasq; ad-  
 scribunt demum privilegiis Cæsarum Adolphi,  
 Henrici septimi, Ludovici quarti, Caroli quarti,  
 Wenceslai, Ruperti & Sigismundi. Fride-  
 rico

rico III Cæsare in Comitibus Reginoburgen-  
 sibus anno MCCCCLXXI in bellum Turci-  
 cum iussi sunt Helvetii conferre auxilia: excipi-  
 entibus tamen eorum qui aderant legatis, id con-  
 cessis genti privilegiis repugnare; jure, an in-  
 5 injuria, alibi disputatur: satis est hic observasse  
 quod & Comitiorum Imperii partem tum fe-  
 cerint, & iussi sint ferre onera reipublicæ. Co-  
 mitiorum illorum decretum ita sese habet:  
 Item/ so sollen die Eidgenossen von Bern/ Lucern/  
 10 Zürich/ Solothurn/ Frenburg in Uhetland und an-  
 dere/ so in Einung mit ihn seyn/ haben 100 zu Rosse/  
 900 zu Fusse. Doch sollen die Apt/ Prælaten/ Gra-  
 ven/ Herrn und Städte / die als hievor siehet / an-  
 15 geschlagen und in der Eidgenossen Land besessen/  
 nicht in der nechst gemelden Summa begriffen seyn/ son-  
 der bey dem Anschlag bleiben/ der auf jeden/ wie hie-  
 vor von ihn geschrieben siehet/ insonderhete gesetzt ist.  
 Interfuere Helvetiorum Legati & Comitibus  
 20 Basileensibus anno MCCCCLXXIV. Non-  
 nulli foederatorum etiam legibus ibi constitutis  
 teneri sese arbitrati, auxilia iussa exercitui Impe-  
 rii ad Nussiam contra Carolum Burgundum  
 submiserunt: Alii noluerunt quidem videri le-  
 gibus

350 DE FINIBUS IMP. GERMANICI  
legibus illis obstricti, officium tamen suum fe-  
cerunt, diserte Imperii se membra profitentes.  
Verba literarum fecialium, quibus hi Carolo isti  
Burgundo bellum tunc indixere, sunt notatu di-  
gna: *Illustrissimo Principi ac Domino Carolo  
Duci Burgundia vel ejusdem Vicariis & Of-  
ficialibus, quibuscunque nominibus nuncupen-  
tur, ubicunque resederint, insinuamus nos Bur-  
gimaisiri, Sculteti, Ammanni, Consules &  
Communitates magna Liga Alemannia superio-  
ris, videlicet Zurich/ Bern/ Lucern/ Underwalden/  
Uri/ Zug/ Glaris & oppidi Colothurn/ hoc tem-  
pore in oppido Lucerna congregati, quod nos ad  
grandes exhortationes, & requisitiones invi-  
ctissimi & Serenissimi Herois nostri gratiosissi-  
mi, cui TANQVAM S. IMPERII MEM-  
BRA NON INJURIA OBEDIENTER  
PAREMUS &c.*

Maximiliano Cæsare anno MCCCCXCVI  
jussi fœderati omnes more aliorum Imperii<sup>29</sup>  
Ordinum legibus publicis obsequi, & subire  
communia onera, recusarunt id quidem, &  
bello hinc exorto, quam sibi deberi crede-  
bant libertatem fortiter tutati sunt: pace ta-  
men

men deinde confecta non nisi privilegiorum  
suorum confirmationem, exemptionem item à  
judicio Aulico, Camerali, & Rotvvilensi, liber-  
tatem fœderum, & immunitatem ab omnibus  
5 oneribus realibus Imperio debitis impetrave-  
runt, ea insuper addita lege, ut evocati ab Impe-  
rio adversus vim peregrinam justis auxiliis cam  
arcere sint obstructi. Ita enim cautum esse, cum  
Basileæ anno MCCCCXCIX tum Constantiæ  
10 sequentis seculi anno undecimo & tertiodeci-  
mo, & fama id communi ferri, testatur Golda-  
stus, vir & gente Helvetius & hujusmodi rerum  
diligentissimus indagator, epistola dedicatoria  
quam operi, cui *Reichshandlung* fecit titulum,  
15 præfixit. Ubi simul ingenue fatetur, illa quæ  
Maximiliano Cæsari oblata sunt Helvetiorum  
privilegia, à quodam sacerdote Nicolao Schra-  
dino & Petermanno Etterlino Lucernæ publi-  
cata, usque adeo putide fabulosa esse, ut nemo  
20 prudens possit satis mirari, eâ fuisse tum Hel-  
vetios simplicitate, ut ejusmodi anilia commen-  
ta non dubitaverint privilegiorum titulo pro-  
ducere.

Sunt qui referant, Julium II Papam Hel-  
Pppp vetios

verios anno MDX populum liberum & omni  
 Imperii reverentia solutum declarasse; sed fide  
 incerta. Utque id fecerit Papa, nihil juvat li-  
 bertatem Helvetiorum factum hominis qui di-  
 sponendi de Imperii rebus potestate destituitur. 5  
 Sed & ipsimet Helvetii Leone X Papa, anno  
 MDXIX, non dissimulanter Imperii se mem-  
 bra professi sunt. Id liquet ex epistolis binis,  
 altera ad Leonem ipsum, altera ad Albertum  
 Cardinalem & Moguntinum Archiepiscopum 10  
 per id tempus perscripta, quam utramque ex-  
 hibet Goldastus in laudato illo opere Actorum  
 Imperii sive *Reichshandlungen* fol. 101. & 403. &  
 ex parte inseruit suæ pro Imperio Replicationi  
 cap. 41. ex quibus etiam hic nobis omnino quæ- 15  
 dam sunt repetenda. In epistola ad Papam  
 ipsum ita loquuntur: Und wer Jemants / wer  
 der wäre / der Eur Heiligkeit bereden oder fürtragen  
 würde / daß wir einen König oder Käyser / der nicht  
 auß Teutscher Nation wäre / bewilliget oder gefal- 20  
 lens hätten / dem wolte Eur Hochwürdigkeit nicht  
 Glauben geben. Dann wir als Elleder mit sampt  
 andern des Heiligen Reichs Ständen / so Teutscher  
 Nation



Nation seynd / keinen so nicht unser Nation Kayser  
wäre / leiden noch gedulden würden.

Magis adhuc clare exprimunt hanc suam  
mentem in epistola ad Moguntinum Cardinalem  
hiscie verbis: Und das bemeldter König von Franck-  
5 reich / auch Eur Hochwürdigkeit und E. R. G. möchte  
unterstehen zu bewegen / in dem das Er mag fürge-  
ben / Er hab guten Willen bey etlichen Ständen des  
Reichs / und nemlich bey uns Eydgenossen / damit  
10 dann Eur Hochwürdigkeit und S. G. unserer Herren  
und Oberen Willen und Meinung verstahn / berich-  
ten wir sie des / das wir Eydgenossen also sind her-  
kommen / das wir uns von den zireyen Hauptstän-  
den / von dem heiligen Stul zu Rome / und dem  
Heiligen Römischen Reich nie haben gesunder / be-  
15 sonder denen / als dann billich und recht ist / und auch  
zu thun schuldig und pflichtig gewesen / und auch noch  
sind / und auch allweg hinfür thun wollen / mit un-  
serm Gut und Leib beygestanden. So ist kundbar und  
offenbare wir seyen / setzen zu welllichem Herren der  
20 ist / zu dem wir uns verbundē haben / gegen weme das  
sen / so haben wir allweg außgelassen und vorbehal-  
ten / das Heilig Römisch Reich / und nicht unbillich:  
Dieweil wir von dem unsere höchste und beste Frey-  
heiten / haben den Adler und das Reich ob unsern  
Echillen führende / berühmt und gebrauchen / sind  
auch Glieder / und des gänzlichen Ehr und Lobe ha-  
ben

ben wollen / wie andere Stände und Glieder. Solte  
 nun solche höchste Ehre und Würde des weltlichen  
 Ehrkron / das Kayserthum / u. in andere frembde  
 Nation und Sprache gewendt werden / und besonder  
 die Franckreichischen / die lang darnach gedürst und 5  
 gestelt hat / wäre uns fürwar von wegen unserer  
 Herren und Obern / als einem dapffern Glied des  
 Reichs / leyde / und gedencken nichts gewißlichers /  
 dann daß unsere Herren und Obern / mit sambt an-  
 dern Gliedern und Ständen des Heil. Reichs / die 10  
 dann nicht minder damit beschwärt werden / in sol-  
 cher Wahl gar nicht verwilligen / noch der statt thun /  
 sondern mit Hülffe Gottes des Allmächtigen / und  
 mit der Teutschen Nation solches wenden und weh-  
 ren nach allem Vermögen. In fine epistolæ: Datum  
 und mit unser getreuen lieben Vndgenossen von Zürich 15  
 Stadt auffgedruckten Secret Insiegel beschlossen /  
 in Ihrer und aller unser Namen. / 1519. &c.  
 Subscriptio.

Hactenus ipsi Helvetii. Quorum hanc pro-  
 fessionem, illi ævo familiarem, liceret aliàs etiam 20  
 ex Wimphelingii & Bebelii, qui tum floruerunt  
 doctrinæ laude, testimoniis petere. Nam ille  
 quidem in suo Soliloquio pro pace Christiano-  
 rum hisce verbis utitur: *Recognoscunt Svitenses*

*Impe-*  
 1559

*Imperium Romanum. Item: Dicunt se Imperio Romano deferre. Item: Dicunt se obedire Imperio. Bebelius in sua cohortatione ad Helvetios: Postquam nuper acceperam, Constantia, inquit, Viri Helvetii fortes, vos communi consensu paribusque studiis & voluntate rediisse in corpus sacri Imperii. Item: Cum dicere soleatis, paratos esse obedire Casari, dum contra Turcas & infideles eatis. Item: Aquilam ubique & Romanum Imperium praefertis. Item: Libere*

*profitemini, vos membra esse Imperii. Operæ fuerit pretium, quæ in Replicatione isthac de suo adjicit Goldastus, huc referre. Electo deinde (inquit) Carolo Quinto Imperatori, Principi Germano ex familia Austriaca potentissimo, u-*

*niversi Helvetiorum Ordines, una pariter cum Rhatibus Curiensibus & Vallesianis fidem ac obedientiam prestiterunt, ab eoque in Comitibus Wormatiensibus anno 1521 confirmationem omnium suorum privilegiorum in genere; & de-*

*inde privilegiati & exempti Pagi in specie pro se & suis territoriis, separatim Tigurini, quorum quinque diplomata confirmationum variarum vidi tum ab Imperatore impetrata; Item*

556 DE FINIBUS IMP. GERMANICI  
Solodurani, Bernates, Friburgenses Nuichto-  
rum, & ceteri, quos Veteres pagos dicunt, acce-  
derunt. Qui vero immunitatem & exemptio-  
nem demonstrare non potuerunt, in Matriculam  
Imperii cum aliis Statibus sub indicto censura-  
lati sunt. Et quidem in Circulo Suevico nomi-  
nantur, Episcopi Constantiensis & Curiensis;  
Archiabbas Sanctigallensis: Abbates, Schaphu-  
sianus, Stainensis ad Rhenum, Petershusanus,  
Crucilinganus, Eremitanus sive Einsidelensis,<sup>10</sup>  
Sancti Johannis in Turtalia: Civitates, Con-  
stantia Schaphusia Sanctigallum. In Circulo  
Rhenano ponuntur Episcopi, Basiliensis, Sedu-  
nensis in Valesia, Genevensis & Lausannensis:  
Magister Johannitarum: Civitates, Basilea &<sup>15</sup>  
Mulhusium. Hi Ordines hodieque in Matricu-  
la Imperii comprehenduntur, & à Fiscali Cesa-  
reo pro collecta imposita & subventionibus pu-  
blicis compellari solent.

Hæc omnia Goldastus. Qui paulo post sub-<sup>20</sup>  
jungit literas Nurembergensis Senatus, quibus  
anno MDXXII testati sunt, Abbatem S. Galli sol-  
vuisse quod in Comitibus Imperii tribuere erat jus-  
sus. Quas itidem non possumus non hic repetere.

Wir

Wir Burgermeister und Räte der Stadt Nürnberg verleben öffentlich mit diesem Brieff / daß im Namen und von wegen des Hochwürdigen Fürsten und Herrn / Herrn Gotharden / Abte des Gotteshaus zu Sanct Gallen / unsers gnädigen Herrn / auff Dato diß Brieffs bey uns erlegt und bezahlet sind hundert und zwanzig Gulden in Gold / so seinen Gnaden in vermög des Abschieds jüngst gehaltenes Reichs-Tags zu Wurts / für den gantzen Theil seiner Gnaden auffgelegten gepütung zu unterhaltung des Reichs verordneten Regiments und Cammer, Gerichts die nechst vergangen Franckfurter Herbst- und Fasten-Mess / als bede fristen des ersten Jahrs zu erlegen gepurt hat : Die wir also angenommen und empfangen / der Meynung / obgemeldetem Regiment damit zu gewarten. Und haben des zu Bekantniß unser Stadt Secret Insiegel zu Rück auff diesen Brieff thun drucken / der geben ist am Donnerstag nach unser lieben Frauen Tag Visitationis genant / als man zahlt nach Christi Geburt unsers lieben Herrn 1522. Jahren.

A Ferdinando porro I Cæsare Helvetii, missis communi nomine legatis ad Augustana Comitia, privilegiorum suorum confirmationem expetierunt. Atque adeo hactenus eo ipso sese subditos Imperii ultro professi sunt.

Verum

Verum hæc quidem ita tunc sese habuerunt. Ex quo autem foederibus Gallicis fuisse subnixi Helvetii, sensum ad majorem libertatem aspiraverunt. Nec tamen unquam remissionem omnium suorum jurium ab Imperatore & Ordinibus nancisci potuerunt, ipso Camerali judicio frequenter cum primis eos impetente. Per tabulas tamen Pacis nuperæ videntur denique in plenam libertatem asserti, expressa simul ejus publica confessione. Quarum partem proinde non possumus non heic adferre. *Cum item Casarea Majestas ad querelas, nomine civitatis Basileensis & universæ Helvetiæ, coram ipsius plenipotentariis ad præsentem congressum deputatis propositas, super nonnullis processibus & mandatis executivis à Camera Imperiali contra dictam civitatem aliosque Helvetiorum unitos Cantones eorumque cives & subditos emanatis, requisitâ Ordinum Imperii sententia & consilio, singulari decreto die XIV Mens. Masi Anno proxime præterito declaraverit, prædictam Civitatem Basileam ceterosque Helvetiorum Cantones in possessione vel quasi plena libertatis & exemptionis ab Imperio*

5

10

15

20

Imperio esse ac nullatenus ejusdem Imperii dicasteriis & judiciis subjectos ; placuit hoc idem publica huic pacificationis conventioni inserere, ratumque & firmum manere, atque idcirco ejusmodi processus una cum arrestis, eorum occasione quodocunque decretis, prorsus cassos & irritos esse debere. Hæc Tabulæ illæ. Possis tamen forte dubitare, an non illa possessionis confessio multum diversa sit à jurium remissione. Sed non est  
10 quare hoc ipsum ipsum heic disputemus.

QUICQUID vero præter ea de quibus egimus hæctenus in Burgundico regno superest, illud omne jam citra controversiam hodieque Imperio pareat. Quapropter operam quoque perdidimus si Imperii in illa omnia vim & jura velimus multis ex omni ævo adductis testimoniis hoc loco approbare. Abrumpemus igitur tandem hanc telam, ad  
15 alia properantes, ubi nonnulla adduxerimus ex diplomate quodam Caroli IV Cæsaris in gratiam Vefontinorum confecto, anno  
20 MCCCLXIV: quo pateat quantum, fatentibus ipsismet Vefontinis, Cæsari tum in Urbem illam licuerit. Sane, cum honorabilis univer-

*sitas Bisontina Nobis & Romano Imperio immediate subjecta, post diuturni temporis lapsum accurate considerans quod pace & commodo sub amœna tranquillitate non posset gaudere feliciter, nec habitu securiori progredi, ac in statu honestatis suæ persistere, quam sub Imperio ultimo & ordinario sibi domino, ad magnificentiam Caesaris & honores sacri Imperii vehementer aspirans, animo deliberato & singulorum, quos illud censebat prospicere, connato consilio, nec per errorem aut improvide, sed de certa scientia, missis ad hoc notabilibus & famosis nunciis, ut ea, quæ transacti temporis neglexit curriculum, ad debita status incrementa felicia restaurentur, Imperialia jura quæ Nobis & Imperio sacro in & super civitate Bisuntina prædicta competierunt & competunt, distinguenda publicanda & declaranda duxerunt: votis communibus publice profitentes, in primis quod sedes & Regio, quæ usitato vocabulo Regalia nominatur, ad Nos & S.R.I. rite pertinuerit, & pertineat ab antiquo, quodque dicta sedes præfato nomine nuncupata sit, & esse debeat superior justitia civi-*

vita-



vitatis, & ab ea alia iustitia particulares & ju-  
 risdictiones loci, ipsius nominatim Vicecomita-  
 tus & Majora in feudum dependeant, & quod  
 quilibet gravatum se sentiens à predictis duo-  
 5 bus, Vicecomitatu & Majora, & singulis aliis  
 jurisdictionibus ab ante dicta Regia in sedem  
 nostram, qua Regalia dicitur, sicut & ab anti-  
 quo factum extitit, valeat appellare: Et quod i-  
 psi & eorum universitas dudum, & à tempore  
 10 cujus contrarium in hominum non extat memo-  
 ria, reputatione veraci tenuerunt, & firmiter  
 teneant, Civitatem Bisantium predictam no-  
 stram & sacri Romani Imperii fore absque ullo  
 medio: quodque Nobis & successoribus nostris  
 15 Romanorum Imperatoribus & Regibus, dum  
 & quoties Nos ibidem venire contingeret, cla-  
 ves portarum & valvarum civitatis assignare  
 & tradere velint & debeant, atque sine omni  
 resistantia tenentur. Quodque ad mandatum  
 20 nostrum Vicariis, quos Celsitudo Casarea statu-  
 endos duxerit, portas ipsas ad exitum & introi-  
 tum eorum pro Imperialibus honoribus, juribus  
 & negotiis, gerendum, disponendum & prose-  
 quendum, manutenere, custodire & observare  
 25 velint

*velint & debeant, & eis quos ad regendum nostram sedem Regiam in Civitate predicta, qua Regalia dicitur, destinando duxerimus, & nulli alteri obedire velint & debeant fideliter & parate. Et quod dum presentes fuerimus in loco predicto, licite possumus pro nostro beneplacito, auri, argenti & alterius cujuscunque metalli, fabricare monetas, ad quarum receptionem obligabuntur omnes & singuli, quamdiu nostra Serenitas ibi dignabitur demorari.*

Verum hæc hæctenus.

#### CAPUT XXVI.

*Quæ Reges Gallia in Regno Lotharingico possident, illorum magnam partem finibus Imperii jam fortassis excidisse.*

**P**eragrato Burgundico Regno, ducit nos ordo in Lotharingicum. Hujus autem alia quidem citra omnem controversiam intra Imperii limites continentur, utpote quæ & onera ejus publica ferant, & audiant leges, & pareant judiciis. Nonnulla vero dubii sunt juris, certe opinionibus hominum varias

in partes differuntur: qualia sunt, quæ Galliæ ac Hispaniæ Reges tenent, & in Ducum Lotharingiæ patrimonio censentur. De quibus solis proinde nunc disputabimus, initio à Gallicis factis.

AC GALLIÆ quidem Reges ab Ottonum usque temporibus in omne illud Regnum per complura secula nihil sibi arrogaverunt, & pax inter Regnum illud & Imperium firma, limitesquerati & certi sibi constiterunt. Hoc statu sane omnia ad Fridericum usque Secundum Cæsarem perducta esse, à nobis capitibus VI & VII luculente ostensum est.

Unum tamen hic addemus, quod ibi docere intermisimus. Nempe à Cæsaribus nostris ultra antiquos Regni Lotharingici limites vim Imperii fuisse protensam in Campaniam Gallicam. Non ausim cum doctissimo Chiffetio repetere illius juris originem ab anno MXXXVI quo Odo Campanus *sacramento* se obstrinxit Henrico III. Illud enim duntaxat pertinuit ad non offendendum amplius, secus quam fecerat Odo. Diserte Otto Frisingensis l. 6 cap. 31: *Augustus*

*contumacia Odonis audita Gallias ingressus est, vastataque per tres continuos dies Odonis terra, ille supplex venire compellitur, interpositoque jurejurando, ne amplius REGNUM PRÆFATUM Lotharingiæ quoquomodo lacefferet, Imperator revertitur. Verisimilius deduxeris ab Theobaldo II Odonis illius filio Campaniæ itidem Comite : quo de ita Hermannus Contractus. Anno MLIV Imperator Henricus Moguntia Paschale festum celebravit, ubi Theobaldus Othonis de Gallis veniens, & MILES EJUS effectus, auxilium suum ipsi pollicitus est. Notat Chiffletius ex Andrea Chesnei libri de Urbibus Franciæ cap. I Theobaldum hunc II ab Henrico Imperatore titulum Comitis Palatini Imperii accepisse. Id quod in medio relinquo, quum videam Petrum Pithœum, quo nemo majore judicio & candore in ejusmodi argumento est versatus, l. I de Comitibus Campaniæ ita loquutum : Primum quem invenio se palam in chartis Palatinum nominasse, fuit Theobaldus Magnus, qui Ludovicum Crassum Regem & ejus patrem bellis continuo laceffivit. Hic vero centum*

rum annis junior est Theobaldo, illo Odonis filio.

Verum

Verum utut illud sese habeat, saltem hunc  
Magnum Theobaldum in clientela fuisse  
Imperii, videtur pene vacare controversia:  
utpote

utpote quum ille Palatini titulus non nisi ab Imperatore profectus sit. Diferte Pithœus: *Palatini appellatio generalis est & communis iis omnibus, qui munus aliquod habent in Palatio Imperatoris.* Item paulo post: *Id me compellit ut dicam, nostros Campanie Comites illam Palatini dignitatem non obtinuisse à Rege Francie, attento vel maxime, quod cum primum illum titulum assumpserunt, non in bona Regis gratia, sed aperti ejus hostes erant.* Iterum alibi: *Comites nostri cum Regem Francie haberent, hostem, ut se fortiores exhiberent, acceperunt ab Imperatore illum Palatini sue regionis titulum.* Chiffletius ita scribit: *In chartis antiquis apud Nicolaum Camuzarium Tricassinum Henricus Comes Campanie anno MCLXXX inscribitur Trecensis Comes Palatinus: Theobaldus item anno MCCXXIV nec non & Henricus alter anno MCCLXXIII Campanie & Bria Comes Palatinus.* Idem Chiffletius præclare observavit, inter epistolas Friderici I Cæsaris binas sic incipere: *Fridericus Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus, dilecto FIDELI & consanguineo nostro Henrico Co-*  

Rrrr miti

*miti Treucarum, (i.e. Campano) gratiam su-*  
*am & omne bonum.* Idem adducit verba  
 hæc Petri Sanjuliani Decani Cabilonensis ex  
 libro Antiquitatum Cabilonensium: *Toparcha*  
*Joneville in Historia Regis Ludovici satis o-*  
*stendit, Comitatum Campania non fuisse obno-*  
*xium Corona Francie, seque Marschallum Cam-*  
*pania hereditarium non fuisse Regis Francie*  
*decretum.* Et vero Jonevillæus parte 2. Histor. S.  
 Ludovici agens de apparatu illius Regis, quem  
 anno 1248 in sacram expeditionem instituit, di-  
 serte dicit, se Regi jurare noluisse, *quia, inquit,*  
*ego cliens ejus non eram.* Attamen non fortas-  
 sis hinc firma collectione deduxeris, Campaniæ  
 omnem Comitatum Regibus Gallie non fuisse  
 obnoxium.

Fortius argumentum traxeris ab eo, quod  
 nec Theobaldus Rex Navarræ nec ejus filius,  
 ubi Campaniam hæreditate crevissent, Regum  
 Gallie beneficiarios ut se agnoscerent compelli  
 se sint passi, Imperii majestatem observantes:  
 modo verum sit quod ita ab aliis refertur. Id  
 certum est, Comitatum hunc in patrimonium  
 Regum Gallie anno demum MCCCXXXV  
 fuisse



fuisse cooptatum, rerum potente Philippo  
Valesio.

Nolui hæc quum supra agerem de fini-  
bus Lotharingici regni, movere: quod existi-  
mem, rebellionem potius quadam hæc ita con-  
5 tigisse quam jure subnixam, utpote quum de  
finibus æterno pacto aliter fuerit Regibus Gal-  
liæ ab Imperio cautum. Nec vero ipsi Cæsa-  
res nostri videntur Campaniam Imperio sub-  
10 ductam olim quidem inter damna à Gallis il-  
lata numerasse. Notat enim ex Alberto Ar-  
gentinate quidem Chiffetius, Ludovicum Ba-  
varum Imperatorem anno MCCCXXXVI  
litteris Philippum Gallum admonuisse: *ut ab*  
15 *occupatione terrarum Imperii desisteret*, id exi-  
stimans pertinere ad occupatam Campa-  
niam. At vero nos jam tunc cap. 24 osten-  
dimus, Delphinatus præcipue occupati causa  
Ludovicum succensuisse. Videtur nimi-  
20 rum facinus illud Campanorum pene gemi-  
num illi Flandriæ Comitis Guidonis, qui teste  
Mejero l. x litteris datis apud Malcam anno  
MCCXCVI, *propter malefacta & infidelita-  
tem Philippi Regis Francia, declaravit se LI-*

670 DE FINIBUS IMP. GERMANICI.  
*BERUM, & absolutum ab omnibus legibus, fœderibus, obligationibus, conventionibus & pactis, quibus ipsi antea fuerat devinctus & obligatus, quocunque modo, & per quamcunque causam id fuerit.* In veteri ms. Flandriæ Chronico legi, notatum est Chiffetio Alsatia Vindicata cap. xi, eundem Guidonem de Comitatu Flandria tunc fecisse **HOMINIUM** Adolpho Imperatori; qui illud admisit, eique opem & auxilium, adversus noxios omnes pollicitus est. Nec vero etiam homagium ejusmodi admittere debuit forte Adolphus, nec à secutorum Cæsarum quoquam id exactum est, ac proinde juribus Imperii certis liquidisque ejusmodi quædam connumerari non merentur: quamvis alioquin ad Regnum Lotharingicum merito pertinerent. Ut vero aliquid juris in Campaniam aut Flandriam Imperio accreverit, id omne dudum utique perit: cum intra hosce trecentos quinquaginta annos nemo Cæsarum Imperii nomine à Gallo terras illas vel ferro vel calamo repetierit, tantum abest, ut quisquam vindicaverit. Nec enim tanti est querela unius Maximiliani primi Cæsa-

Cæsaris, qui inter injurias à Gallis Imperio illatas, occupatam Campaniam recensuit.

DE HIS igitur tantum nunc agemus, quæ hodie Galliæ Reges possident, etsi æterno pacto cum omni Lotharingico Regno quondam Imperio cesserint, & dubio carentibus priscis Regni ejus finibus contineantur. Illa vero, ut compendium faciamus, possunt tres in classes quasi dividi. In ea scilicet quæ ad Maximilianum usque primum Cæsarem tenuerunt, in ea quæ secuta usque ad proximum ferale Germaniæ bellum, & denique in ea quæ nuper accesserunt.

PRIMA quæ diximus quod attinet, jam statim à seculo usque decimotertio, post lapsas cum Friderico II Imperii vires, videntur Galli Reges, ut in Regnum Burgundicum, ita & in Lotharingicum sensim magis magisque involasse: plura haud dubie occupaturi, si domi res fuissent tranquillæ, & primum ab Anglis inde à Burgundicis Principibus æmulis, non fuisset violentis conatibus repagulum injectum. Et vero jam tunc Ludovicus IV Edouardum Anglum Vicarium Imperii instituit,

contra Regem Gallia, hostem iudicatum, quod  
 oppida Imperii Romani obtinere eum diceret, in  
 queis Cameracum circumjectosque fines, ut scri-  
 bit Æmilius. Froissardus ita loquitur: Quod Cæ-  
 sar Ludovicus tanto honore Anglum urgebat, <sup>5</sup>  
 precipua fuit causa, ut hac occasione inter cete-  
 ros tumultus bellicos recuperare posset Camera-  
 cum: que quidem civitas cum sit Imperio con-  
 juncta tamen à Gallis fuit occupata bello. Alber-  
 Argentinas testatur, Ludovicum Cæsarem, cum Phi-  
 lippum Regem monuisset ut ab occupatione ter-  
 rarum Imperii desisteret, mentionem simul fe-  
 cisse, feudorum que Rex Francia tenebat ab Im-  
 perio, neque illas recognoverat. Maximiliani æ-  
 tate Gallum adhuc sic satis multa Lotharingici <sup>15</sup>  
 Regni tenuisse, idque visum cum Imperii injuria  
 fieri, quandoquidem quasi indiculo quodam est  
 comprehensum in illa charta, quam ex manu-  
 scripto plenæ auctoritatis exhibet Clarissimus  
 Chiffletius in Vindiciis Hispanicis cap. xiiii pag. <sup>20</sup>  
 126, operæ fuerit pretium illam cum sua inscri-  
 ptione huc adferre. Quanquam enim & alia  
 comprehendat quæ ad Burgundiam pertinent  
 pleraq; tamen Lotharingico Regno sunt crepta.  
 Excer.

Excerptum è juridica disquisitione tempore  
 Maximiliani I Imperatoris facta, de terris Imperii  
 intra Gallias.

Bapalmis in Artesia, versus Truncum  
 5 Berengarii, **TRIBUTUM QVODDAM**  
**VINARIUM**, quod vernacule **TRAVERS**  
 appellant, ab Normannico mari, ad Ardennam  
 usque exigebatur: à quo nullus nisi Imperio sub-  
 ditus eximebatur: si quis peregrinus id frau-  
 10 dasset, jure in eum agere vel in ipso Imperio po-  
 terat exactor; & jura repetens obtinebat.

In Cameracensium & Veromandorum  
 confinio quidam **HUNECURTENSEM VI-**  
**CUM**, jure nexi suum, ad Favella Dynasten  
 15 jure dominii spectare aliquando professus est. Fa-  
 vellam postea superior ille Dynastes Comiti Ble-  
 sensi vendidit: hic suo Guisia Comitatus addi-  
 xit, eoque Francicam reddidit.

Petrus Bellomontii Baro **BEAUVOISI-**  
 20 **ENSEM** clientela sua agrum, olim alienatum,  
 ab emptore redemit, & Francie primus accen-  
 suit. Hoc tractu Franci plus quam septem leu-  
 carum agros Imperio avulserunt.

Ab Cænobio Fervaquio Imperii fines in  
adversum **ÆSIAM** protenduntur, ad Hu-  
trinium usque pontem. Huic Monachorum  
Prioratus adheret, Caroli Magni Regis &  
Imperatoris privilegis nobilis. In eo multa fini-  
um Imperii & Regni monimenta superesse di-  
cuntur.

Hutrinio ad eam Laudunensis civitatis por-  
tamque Ardennam spectat Imperii ora pro-  
ducitur, quo tractu Aubentonium usque crebra  
sylva: eaque olim Imperii, late sternuntur.  
Sed **AUBENTONIUM** Terascia oppi-  
dum, jure nexi suum, vicinus Dynasta Rumi-  
niacensis Francici juris effecit, tametsi antea  
merum Imperii esset allodium. Sic **ROSO** <sup>11</sup>  
**BARO**, illi vicinus, Imperii ab antiquo cliens,  
Francorum se Regno adjunxit.

Idem **RUMINIACI DYNASTA** suam  
ipsam ditionem, Campania & Imperii semper  
feudum, in Francorum jura transtulit. <sup>20</sup>

Ab dicta Ardennensi Laudani porta Imperi-  
um porro in **NOVUM CASTELLUM** ad  
**AXONAM**, inde adverso amne **CONDA-**  
**TUM**, Castrum **PORCIANENSE** RE-  
TELL-

**TELIAM QVE** procurrit. Ea regione quid-  
quid Axonam & Ardennam intercipit ( licet  
hodierna Campania adscribatur) purum Imperii  
allodium est: eoque titulo à Campania quondam  
5 Comitibus possessum.

**ISTIUS COMITATUS** hereditatem  
Theobaldus Rex Navarre aliquando adivit,  
nec Francia tamen Regem, velut ejus beneficia-  
rius, unquam agnovit; tametsi eo nomine sepi-  
10 us appellatus. Filius ejus natus maximus, ejus  
in illo Comitatu juxta & Regno heres, quantum-  
vis Regis Francia filiam uxorem accepisset, nun-  
quam tamen Comitatum à Francia, sed ab Im-  
perio habuit: frater ejus ceu improlis successor,  
15 primus eum in Francia clientelam invexit. An-  
te illum nulla unquam, ultra Castrum Porcia-  
nense, Francicorum administratorum acta visa  
vel audita. **RELIE GRANDIPRATI**q;  
eo tractu Comites terras suas ejusdem nature  
20 profitentur.

Retelia Comes **MASERIAM**, suam ad  
Mosam oppidum, à Francia quidem Rege rece-  
pit, sed novo jure, quod ab omni prius ævo erat,  
juris Imperii.

Ad eundem fluvium, paulo superius, DON-  
CHERT oppidum aliud est pleno jure Caesaris;  
tamen si jam ibi Franci publica munia obeant:  
quia scilicet ad Sueffionense sancti Medardi  
Monasterium attinet.

Ceterum in Campania Comitatu Castellum  
nomine HAYS visitur Ducis Barrensis, jurium  
adhuc hodie Imperialium: quod quia à Franco  
recipere non vult, ingentes ab eo molestias pati-  
tur. Postea ad COMMERCY, municipium  
Mosa superius adsitum, inde ad aliud ejusdem flu-  
minis adversi, nomine VAUCOULEUR,  
pergit Imperium: inde fere secundum Ararim  
in Burgundia urbem Ausonnam, ac denique  
Rhodanum, communem Imperii Franciaeque ad  
mediterraneum usque mare limitem. Unde pa-  
tet, Lugdunum, Viennam, Valentiam, Arausi-  
cam, Avenionem cum Venascino Comitatu, Ta-  
rasconem, Arelatum, Massiliam juris esse Casa-  
rei: qui terrarum ingens tractus est, novaque  
Francicarum virium accessio, urbium, homi-  
num, procerumque, plus quam MD numero, ac  
potentia maxime aestimanda.

Tanti mali origo à Francis maxime manasse  
videtur.



videtur Episcopis Imperio conterminis. Hi quippe cum decima exactionem Regi Francorum à Papa indultam jussu Regis urgent, eandem à Diœcesanis omnibus suis, etiam Imperio jure profano subditis exigunt. Quod dum Caesar & ejus administri dissimulant, factum ut Episcopatum istorum Casarea partes Francie haberi cœperint. Quod à vero procul abest.

Successione porro non acquiritur, sed electione Imperium: quare nec vendere, nec oppignorare, nec alienare quidquam potest Imperator. Recipiendi vindicandique jus semper est successoribus & Electoribus.

Quod quia jam pridem negligit Imperator, munera omnia pacate jam & publice obeunt Franci: nulla juris antiqui, pactorum aut sacramentorum toties iteratorum habita ratione. Providere dignetur bonus Deus.

Haftenus illa charta. Et quidem de iis quæ ad Burgundicum Regnum pertinent jam antedictum est. Lotharingico Regno, perinde ut hic audivimus, nullo justo titulo ea quæ hic recensita sunt subtracta esse per Gallum, non est forte quod dubitemus. Attamen etiam illud vacat du-

bio, hactenus neminem Cæsarum illa in ditio-  
nem Imperii revocasse. Et vero à primo fere Ma-  
ximiliano variæ querelæ super ea re publice pri-  
vatimque fusæ sunt. Num à successoribus idem  
sit factum, numve serio à Gallis isthæc quis re-  
petierit, fateor me ignorare. Itaque nec defini-  
re audeo, num quadam longi temporis præscri-  
ptione tueri se Gallus possit, & usu diuturno per-  
vim occupata fecerit sua.

AVORUM memoria in eodem Lotharingico  
Regno Henricus II Rex Metim Tullum & Viro-  
dunum in potestatem suam redegit. Quas ur-  
bes qui secuti sunt Reges studiose sibi servave-  
runt, frustra illas repetentibus & Cæsaribus & o-  
mnium Imperii Ordinum delegatis. Nec ta-  
men adeo difficilis ostensu fuit retentionis il-  
lius iniquitas, si attendas ad ea quibus Gallici  
patroni Regum suorum causam tutari conati  
sunt.

Alii enim leges foederis cum Mauritio pa-  
tri prætexerunt. Sed ne quid dicam de robore  
illius foederis, cum ipsa formula pacti à Gallis  
illis non soleat adduci, & plerique aliis malue-  
rint pretextibus uti, per est verosimile, nihil  
ejus.

ejusmodi tabulis illius foederis contineri. Et  
 vero ipse Thuanus l. 8 ita scribit: *Adjectum con-*  
*ventionibus, videri è re omnium esse, ut Rex*  
*quamprimum Cameracum, si possit, Divodu-*  
*rum sive Metim Tullum & Virodunum Lotha-*  
*ringia civitates occupet, & prasidio firmatas*  
**VICARII IMPERII** *nomine in posterum*  
*teneat. Et tamen Reges Galliae plenam omni-*  
*no potestatem in urbes illas sibi arrogaverunt.*  
 Ad hoc Henricus Rex publicis literis professus  
 est, ut scribit Sleidanus l. 24, se toto in negotio  
 nullum privatum compendium atque fructum,  
 sed hoc solum spectare, ut restituta suis juribus  
 Germania, liberato Saxoniae Duce & Landgra-  
 vio, laudem atque gloriam immortalem con-  
 sequatur.

Thuanus l. ix cum dixisset, *praeter foedus cum*  
*Maurisio initum, non defuisse rationes, quibus*  
*id jure sibi licuisse sui contenderent, subjungit:*  
 Ac primum quidem à naturali Galliarum limi-  
 te argumentum ducitur. Quem etsi Germani  
 longius protulerunt, & in Gallias effusa multi-  
 tudine etiam citra Rhenum Germanicam lin-  
 guam secum intulerunt, nunquam tamen trans-

*Mosam se extenderunt.* Ridicule sane. Quasi vero limites gentibus possessionum suarum natura ipsa in hisce terris discreverit: & non verissimum sit Horatii illud

*— Propria telluris herum natura nec illum  
— Nec me nec quenquam statuit.*

Et si Germani ad Mosam usque à Rheno omnia sua fecerunt, satis utiq; hoc fuerit ad Lotharingicarum illarum urbium possessionem jure servandam. Quí vero Germani non ultra Mosam se extenderint, cum vel soli Franci universam Galliam in ditionem suam redegerint? Nec illi qui ibi rerum potiuntur Reges, in Galliam quatenus est Gallia, aut jure aliquo veteri Galliae competente, imperant, sed quatenus Reges sunt Francorum, quibus facta divisione tertia pars cessit Imperii universi Francorum Carolini.

Diffisum ineptæ illi argumentationi virum eximium, indicant quæ subjicit verba: *Sed validiora sunt que ab antiquitate petuntur jura hujus causæ.* Sunt autem æque imbecillia, imo jugulant omnino causam Regiam. Postquam enim narrasset, quemadmodum Austrasia ad Caroli Magni posteritatem devenit,

venerit, fatetur eam denique Carolo Craslo & Arnolpho obtigisse, qui utique Germaniæ Reges fuerunt. Imo addit, à Carolo Simplice Austrasiam Henrico Saxoni concessam & ab  
5 Ottone Magno vindicatam. *Carolus, inquit, cum postea procerum factione regno Gallia depulsus esset, Henrici Saxonis, qui Conrado in Imperio successerat, ope in regnum restitutus, remunerationis loco Austrasiam ipsi permisit, at-*  
10 *que in ejus gratiam jure suo cessit, anno Salutis 1000. Henrico Otho Magnus successit, cui facile fuit, captivo Carolo & in carcere Perona mortuo, jus à patre in ea provincia acceptum firmare. Non multò post addit: Hugo Ca-*  
15 *petus tertia stirpis, qua hodie feliciter imperat, princeps, nuper in Regno constitutus, cum Othonem potentissimum Principem placatum habere vellet injuriam Regno potius quam sibi factam dissimulavit & posteritati vindicandam reliquit. Hæc inquam subruunt omni-*  
20 *no fundamenta causæ Gallicæ. Si enim jam Henrico Aucupi sponte concessa est, ab illo qui omnium Francici Regni per Galliam erat heres & legitimus dominus, Austrasia, si illam*  
Germa-

Germaniæ Reges quieta possessione ab anno usque DCCCXX tenuerunt, quid juris Capetanæ stirpis Regibus potest superesse vi Gallici sui ultra Mosam Regni, quod à Lotharingico statim ab obitu Ludovici Pii fuit divisum? Non omnia ista satis exacte à Thuano recensita esse, patet quidem ex iis quæ nos supra disputavimus: Ipsa tamen hæc sufficiunt propugnandis Imperii juribus. Hugonem Capetum reliquisse posteris vindicandam Lotharingiam: nullo potest idoneo testimonio probari. Nos ex adverso cap. vi adduximus Aemylium confitentem, ab Hugonis filio Roberto, compositis Lotharingiæ rebus, *pacem fidam* inter Regnum Imperiumque cum Henrico II Cæsare esse initam.

Aut vehementer fallor, aut ipse Thuanus ignaviam & imbecillitatem suæ disputationis agnovit. Illa enim finita, addit hæc verba: *Has Lotharingia civitates, SIVE jure antiquo ad Gallia regnum pertinentes, SIVE ex fœdere nuper cum sociis Germania Principibus inito sibi concessas, SIVE ne in hostis potestatem devenirent, occupatas, alioqui tutando Campanie li-*  
*miti*

miti necessarias, rex cum retinere decrevis-  
set &c. Hæc sane verba animum produunt  
ambiguum & non satis sibi fidentem, quique  
adeo voluit quidem aliquid pro Regia causa  
dicere sed non potuit: quorum illud ut sit bo-  
ni civis, boni tamen viri est causam injustam va-  
nis coloribus non fucare.

Antequam à Thuano heic abeamus, verbo  
obiter animadvertendum est in ejusdem sermo-  
nem quem ibi interserit de Metensibus. Adel-  
berto, inquit, mortuo cum Theodericus Othoni  
proximus creatus esset Episcopus, primariis ci-  
vibus auctor fuit, ut rejecto unius qui persape  
aut durus aut incertus esset, dominatu sub Im-  
perii nomine libertatem impofterum colere mal-  
lent. Quorum exemplo Basileenses, Argenti-  
nenses, Spirenses ac denique Colonienses libertatis  
dulcedine inescati, legitimum dominorum jugum,  
Casarum patrocínio freti, excusserunt, & Sena-  
tu constituto rempublicam ordinarunt. Ita  
Metim & reliquas illas Lotharingia civitates  
Otho I à Francorum imperio divulsit. His sa-  
ne commentis nihil est futilius; nec enim vix  
verbulum hic reperias veritati consonum.

Tttt

Longe

Longe enim serius cæpit illa Urbium libertas & quidem demum seculo duodecimo, ut alibi demonstravimus. Spira nunquam Lotharingici regni pars fuit, sed in ditione Germanici regni ac anno usque 842, adeoque à trina illa partitione Imperii Francorum Carolini. Argentoratus & Colonia semper fuerunt itidem in ditione nostrorum Regum ab anno usque 870. Basilea ætate Othonis Magni urbs erat Burgundici regni non Lotharingici, & demum longe post Othonem Magnum nobis cessit. Nec Imperii Romani ulla erat trans Alpes reverentia aut mentio quo tempore Otho Lotharingiam vindicavit. Quæ omnia ex iis quæ jam supra narravimus manifesta sunt. Sed & ipse Thuanus jam narraverat, universam Lotharingiam ab Henrico Othonis patre occupatam; inque eandem potestatem successisse Othonem: qui ergo Otho voluerit demum urbes illas, proposito libertatis pretio inescatas, à Gallis dividere?

Verum non est quare hisce fabulis (quibus tamen & alii vulgo Gallici scriptores in tantum momenti causa, uti hæctenus solent) confundendis



tandis immoremur. Et vero prudentiores quique filere maluerunt, quam Regiam causam in illum modum proderet. Sed & in ipsis Tabulis publicæ pacis non dissimularunt nuper Regii Legati, Imperii in Urbes & regiones illas jura **HACTENVS** fuisse integra, uti paulo post apparebit.

Ultimo porro hoc bello plenius jus Galli, non tantum in tres illas Urbes, sed & Episcopopatuum cognominum omnem districtum, ut & jus præsidii collocandi in Philippiburgo, Cæsaris & Imperii Ordinum consensu impetraverunt. Iidem Bullionensem oppido Sedanensi, Lotharingiæ vero Ducem omni executione, & Regi Hispaniæ similiter multa eripuerunt, quæ ille hæctenus possedit iure Imperii. Adeoque eximiam Lotharingici Regni partem in possessionem suam redegerunt. Cæterum fervente adhuc cum Hispano & Lotharingio alea belli, non est quod de Imperii juribus in ista quidem loca hæc disputemus. Sed & cum de his tum de aliis constitutum jam est & conventum. Adeoque res exigit ut quæ hæc faciunt, ex Tabulis pacis publicæ Monaste-

riensibus deprompta in medium adferamus, & quidem primo de iis quæ jam pleno jure Gallo sunt cessa, deinde de Hispanicis & Lotharingicis.

Verba hæc sunt. Quo magis autem dicta s  
 Pax atque amicitia inter Imperatorem & Chri-  
 stianissimum Regem firmari possit, & securitati  
 publica melius prospiciatur, ideo de consensu con-  
 silio & voluntate Electorum Principum & Sta-  
 tuum Imperii, pro bono pacis conventum est. 10  
 Primo, quod supremum Dominium, jura Supe-  
 rioritatis aliaque omnia in Episcopatus Me-  
 tensem Tullensem & Virodunensem, Urbesque  
 cognomines eorumque Episcopatum destriictus,  
 & nominatim Moyenuicum, eo modo quo hæcte- 15  
 nus ad Romanum spectabant Imperium, impo-  
 sterum ad Coronam Gallie spectare, eique in-  
 corporari debeant in perpetuum & irrevocabi-  
 liter, reservato tamen jure Metropolitanò ad  
 Archiepiscopatum Trevirensensem pertinente. 20  
 Quarto Christianissima Majestati ejusque in  
 Regno successoribus de consensu Imperatoris to-  
 tiusque Imperii perpetuum jus sit tenendi præsidi-  
 um in Castro Philipsburg protectionis ergo, ad  
 conve-

convenientem tamen numerum restrictum, qui Vicinis justam suspicionis causam praeberere non possit, sumptibus duntaxat Corona Galliae sustentandum. Patere etiam debet Regi liber  
 5 transitus per terras & aquas Imperii ad inducendos milites, commeatum & cetera omnia, quibus & quoties opus fuerit. Rex tamen protectionem praesidium & transitum in dictum  
 10 Castrum Philipsburg, nihil ulterius, praetendit, sed ipsa proprietas, omnimoda jurisdictio, possessio, omniaque emolumenta, fructus, accessiones, jura, Regalia, servitutes, homines, subditi, vassalli, & quicquid omnino antiquitus ibidem, & in totius Episcopatus Spirensis, Ecclesiarum  
 15 que illi incorporatarum districtu Episcopo & Capitulo Spirensi competebat & competere poterat, eisdem in posterum quoque salva, integra & illaesa, excepto tamen jure protectionis, permanent.

20 De Hispanicis & Lotharingicis earundem tabularum initio sic cavetur: CIRCULUS quidem BURGUNDICUS sit maneatque membrum Imperii, post controversias inter Galliam Hispaniamque sopitae, hac pacificatione comprehensus.

*pensus. Bellis tamen in eo jam vertentibus, nec Imperator nec ullus Imperii Status se immisceat. In futurum vero, si inter ea Regna controversia oriantur, firma semper maneat inter universum Imperium & Reges regnumque Gallia de mutuis hostibus non juvandis, supra dicta reciproca obligationis necessitas: singulis tamen Statibus liberum sit huic illive Regno extra Imperii limites suppetias ferre, non tamen aliter quam secundum Imperii constitutiones. CONTRO-<sup>10</sup>VERSIA LOTHARINGICA vel arbitris utrinque nominandis submitatur, vel Tractatu Gallo-Hispanico, vel alia amicabili via componatur: liberumque sit tam Imperatori, quam Electoribus, Principibus, & Statibus Imperii, e-<sup>15</sup>ius compositionem amicabili interpositione, aliisque pacificis officiis juvare ac promovere, non tamen armis aut bellicis mediis.*

## CAPUT XXVII.

*Qua in Lotharingico Regno Duces Lotharingia<sup>20</sup> tenent, illa pene omnia hodieque juris esse Imperialis Germanici.*

**E**xpeditis Regum Gallia<sup>re</sup> rebus, pergemus ad Lotharingia<sup>re</sup> Ducum patrimonium, quo-

quoniam & illa hodie Rex Gallia tenet, & de Barrensi Ducatu non calamis tantum sed etiam armis disceptatur, Gallis illum suæ ditioni Ducibus Imperio vindicantibus.

Continentur autem patrimonio illo varia: quæve ut nunc quidem sese res habent, non una sunt conditione Imperio obnoxia. Alia quippe feudi vinculo adstricta sunt, eoque de iis quidem quin jure sint intra Imperii limites collocata, non est forte quod dubitemus. Ipsum Ducatum Lotharingia liberum plane & sui juris, legibusque Imperii omnino solutum nonnulli arbitrantur: est autem ille pars patrimonii istius potissima. Non exigui etiam pretii inter membra patrimonii illius est Ducatus Barrensis. quo de nunc acriter adeo contenditur, paulo ante diximus. De utroque igitur illo nobis agendum potissimum venit, initio à Barrensi facto; qua occasione simul disputabitur de feudilibus bonis.

Ac Castrum quidem ipsum BARRI non Gallico sed Imperii solo accensitum, & Comites Barrenses, castri quidem illius causa, non Campaniæ Comitum sed Imperii in clientela vixisse, usque

usque ad seculum quartum decimum, nisi vehementer fallimur, clare probatum est à nobis capite septimo. Quid exinde contigerit, jam docuimus, sine amore & odio, quorum & causas procul habemus.

Igitur Henricum Barri Comitem, quod Joanna Reginae terras Campanicas incurfasset, armis domitum, à Philippo Pulchro Rege anno MCCC I ad ligium hominum sibi præstandum compulsus esse, id ante omnia arbitror extra omnem esse controversiam collocandum. Et vero non tantum fatetur id Chiffletius Lotharingicus *ἱστοριῶν*, sed etiam testimoniis variis confirmat in *Commentario Lothariensi cap. 2.*

Id porro sine ullo exemplo tum primò factum, non negat ipse qui Chiffletio accurata disputatione sese pro partibus Regiis opposuit doctissimus vir David Blondelius. Diserte enim pag. 20. libri cui titulus est : *Barrum Campano-Francicum*, scribit de illo Pulchro Rege : *Regum omnium primus Barri Comitem (cujus majores non Regum sed Campanie Comitum vasalli erant) hominem nullo medio habuit*

*habuit.* Fatente ergo Blondello, tum primum Barri Comes factus est Regius vasallus, sed ejus majores nullo tali nexu Regibus istis fuisse obstricti. Quod vero addit, fuisse illos vasallos Campaniæ Comitum id non negamus: Barri tamen causa non fuisse in tali clientela, jam tum supra ostendimus, & in ipsis illis Henrici Barrensis tabulis, quas Blondellus ex Andrea Chesneo eadem pagina producit, tantum non diserte adfirmatur: ceu mox patebit.

Observandum tertio venit, multa tunc quidem jam fuisse in patrimonio Barri Comitum, non tamen à Rege jure fiduciario aliud Henrico Comiti datum, quam solum *Barri castrum & castellaniam Barrensem, cum omnibus que Henricus ante citra Mosam fluvium ex franco allodio tenuerat.* Notat scilicet ipsemet Blondellus, anno MXXVII Barro adjunctum fuisse Moncionis Comitatum: *ei* (inquit pag. 17.) *A. D M C X X I V Dunum Castrum, Rouretum, Malaudi, Mons S. Lucia, & Curticella, cum rusticis de Armincort & Domino Remigio, Henrico Verdunensium Episcopo*  
*Uuuu donan-*

692 DE FINIBUS IMP. GERMANICI  
donante, accrevere: anno MCXXXI Clarus  
Mons, Hans, & Vienna, cedente Alberto  
Episcopo, accessere. Anno vero circiter MCL,  
Agneti, filio Rainaldi II nupta, Lincium ca-  
strum cum territorio adjacenti, dotis nomine do-  
navit Theobaldus Magnus Campania Comes  
Palatinus: Non omnia vero illa, sed sola ist-  
hæc quæ modò diximus in feudi legem Hen-  
rico data esse, sole clarius paret ex ipsis Hen-  
rici laudatis ante tabulis. Adferemus illas ipsas<sup>10</sup>  
in medium, quales ex Chesneo produxit  
Blondellus. Nous Henris Cuens de Bar, fai-  
sons cognoissant à tous, que treitiei de pais a esté  
eus, accordés, & firmeiz, & somes venus à pais  
à nostre treschier Seigneur, Philippe par la grace<sup>15</sup>  
de Dieu Roy de France, en la forme & en la  
maniere qui s' ensuit. Premièrement nous avons  
fait (hommage lige) audit nostre Seigneur le Roy;  
pour luy, & pour son hoir Roy de France; de  
Bar & de la Chastellerie de Bar, de tout ce<sup>20</sup>  
que nous y teniens en franc allué par deçà la  
Mueze. Multisque interjectis. Encores est ac-  
cordé que les Chasteaux, & les Chastelleries de  
Constans, de Chastillon, & de la Marche, &  
sous



tous les accommodemens, fiéz, arriere fiéz,  
 demaines, joustices, droiz, droitures, & Seig-  
 neuries, quelconque il soyent, demorent perpe-  
 tuellement à nostre Seigneur le Roy, à ses hoirs,  
 5 & ses successeurs &c. avons donné pleges &  
 principaux respondeurs, & enterins à nostre  
 Seigneur le Roy, Monseigneur Tuibaut, &  
 Monseigneur Jean de Bar nos freres, Mon-  
 seigneur Jeffroy Seigneur de Aspremont, &  
 10 Monseigneur Liebaut Seigneur de Bessremont,  
 &c. fait à Bruges l'an de grace 1301 le jour des  
 Octaves de la Trinité.

Hactenus illæ tabulæ. Ex quibus simul  
 discimus, cessisse Henricum Regi Pulchro  
 15 castra & castellanias de Castellione, Conflu-  
 entia & Marchia. Verum hæc Eduardo I  
 Henrici filio à Philippo Valesio reddita. Do-  
 natam porro eidem à Rege illo anno  
 MCCCVII Gundricuriam ex Chesneo pro-  
 20 bat idem Blondellus pag. 21. Et quidem  
 Gundricuriam feudi lege datam, clarissi-  
 mum est ex diplomate Valesii Regis, quod  
 ibidem Blondellus adfert. Non alia condi-  
 tione vero & reliqua reddita, per fit verosi-  
 mile

mile ex tertijs tabulis Theobaldi Leodiensis Præfulis, quas eodem loco testes laudat Blondellus, tum ex eo quod hæc nominatim soleant numerari à Regibus inter feuda sua.

*Quarto* loco igitur notandum venit, hæc fortassis omnia quæ diximus, à Regibus Galliaë fecutis temporibus pro feudis Regijs habita quidem, reliqua autem quæ Ducatus Barrensis titulo hodie veniunt, & partes Ducatus creduntur, nunquam in censum istum venisse. Quam multa nimirum Ducatui illi hodie adscribantur, docet nos accurate Chiffetius cap. xxi & repetit ex illo Blondellus pag. 99. At vero cum in quatuor præfecturas & appendices aliquot omnis provincia hodie dividatur, nihil earum præfecturarum aut appendicum pertinet ad feuda illa Regia; in prima & quarta præfectura demum illa occurrunt alijs addita. Jam vero pauca illa denique, clientelaria sua bona credita esse à Galliaë Regibus, liquido patet cum ex pacto Bolognensi inter Carolum ix Regem & Carolum Lotharingium anno 1571 inito, tum ex diplomate

mate Henrici III Regis conscripto Parisiis an-  
 no 1575, quorum illud cap. xiii hoc cap. xix.  
 ex Archivo Barrensi recitat Chiffletius. In  
 pacto hæc verba habentur : *Nimirum ad*  
 5 *pacandas & finiendas lites, controversiasque*  
*omnes cum natas tum nascituras ratione dicto-*  
*rum jurium Regalium & summa potestatis;*  
*dictus Rex annuit concessitque suo & successo-*  
*rum Regum Francia nomine, dicto Duci Lotha-*  
 10 *ringie & Barri, Sororio suo, ut tum ipse, tum*  
*ejus posterii, qui terras infra designatas posside-*  
*bunt, fruantur utanturque libere & quiete ju-*  
*ribus regalibus, legibusque summa potestatis, in*  
*TERRIS PRÆTORII BARRENSIS, PRÆ-*  
 15 *POSTURA MARCHIENSI, CASTILLIO-*  
*NENSI, CONFLUENTINA, GONDRE-*  
*CURTENSI, DICTO REGI SUBJECTIS,*  
*de quibus dictus Dux ipsi fidem & homagium*  
*ligium facit. In Diplomate Henrici III Re-*  
 20 *gis legitur : Quod ad summam Potesta-*  
*tem, fura Regalia, & jurisdictionem attinet :*  
*IN PRÆTORIO BARRENSI, IN PRÆFECTU-*  
*RIS MARCHIENSI, CONFLUENTINA, CA-*  
*STILLIONENSI & GONDRECURTENSI,*  
 Uuuu 3 origi-

*originem clientelari ratione à Nobis trahentia*  
*Et c.* Nec de aliis possunt intelligi literæ Ca-  
 roli VI Franciæ Regis à Chesnæo ex nescio  
 quo commentariolo editæ, in quibus ait  
 Chiffletius cap. 7. pag. 28. *declarat Rex, avun-*  
*culum suum Barri Ducem sibi fecisse fidem Et*  
*homagium ligium de castro Et castellania*  
*Barrensi, deque aliis quibusdam castellaniis ci-*  
*tra Mosam.* Sintne illæ literæ genuinæ nec ne,  
 non disputo: sufficit quod nec illæ doceant  
 quid, ab eo quod diximus alienum ac diver-  
 sum.

Observandum quinto loco venit, illa quæ  
 Galliæ Reges suo juri vindicant feuda, haud  
 numerari inter ea quæ Transactione Nori-  
 bergense cum Cæsare & Electoribus inita,  
 Antonius Dux Lotharingiæ Imperio se debere  
 professus est, & Cæsar atque Ordines intra Im-  
 perii fines quasi receperunt. Multo minus  
 illa pertinent ad ea quæ Duces Lotharingiæ  
 à Cæsaribus fiduciaria solent lege accipere.  
 Frustra certe Transactionem illam in argu-  
 mentum adducit Chiffletius cap. 9. In illa  
 enim (ut ipse fatetur cap. x.) *agitur de Duca-*  
*tu Lo-*

*tu Lotharingia, ne Barrensi quidem nominato.*  
Cavetur etiam de solo Lotharingiæ Ducatu e-  
jusque appenditiis, Albimonte, Mussiponte &  
similibus. Chiffletius conatur quidem nobis  
5 persuadere, Barrensem Ducatum universum Lo-  
tharingici Ducatus titulo involvi. Verum Bar-  
rensis Ducatus aut Comitatus semper fuit di-  
stinctus à Lotharingico: distinctos initio domi-  
nos habuit, & tanquam geminæ dignitates  
10 splendent hodieque in Ducum titulo. Nec  
vero fas fuit in re adeo seria ludos agi, à Cæsare,  
Electoibus, aut Antonio Duce. Hinc vero  
jam liquet, saltim ultra centum annos Bar-  
rum aliaque illa, quasi finibus Imperii exclu-  
15 sa esse, Cæsaris & Ordinum non minus quam  
ipsorum Ducum consensu. Jam ante vero &  
interea temporis in clientelari obsequio Regum  
Galliæ isthæc fuerunt. Quamvis igitur ante  
centum amplius annos fuerint juris Germanici,  
20 tanti temporis tamen spacio quæ sint dereli-  
cta, fortassis vel ideo merito videantur Imperii  
potestate excidisse.

Est autem ex iis, quæ jam tertio loco mo-  
nuimus, manifestum, Gundricuriam Castel-  
lionem

698 DE FINIBUS IMP. GERMANICI.  
lionem Confluentiam & Marchiam à Philippo  
Valesio Rege, ante hos trecentos annos jam fuis-  
se in clientela Regni Gallici. Nec video ullum  
aliquod certum indicium, quo ostendi possit  
hæc fuisse unquam Imperii finibus comprehen-  
sa. De uno Barro nos quidem probavimus, fuis-  
se illud quondam in ditione Imperii, ad usque i-  
nitium sæculi quartidecimi. Postquam, vero illud  
in clientelam Gallicam est receptum à Philippo  
Pulchro, num vindicatum rursus fuerit Impe-  
rio, per est incertum. Quo tempore sane Mar-  
chionatum Pontensem instituit Carolus IV An-  
no sc. 1354, creditum fuisse, Barrum j̄aris esse  
Gallici, verosimile mihi facit ipsa illa Marchio-  
natus institutio. Voluit scilicet Cæsar Rober-  
tum Barri Comitem consanguineum suum in  
Principum ordinem referre, nec tamen invenit  
commodiorem locum in omni ejus ditione,  
unde titulus adderetur præter Villam Moncio-  
nem; quam proinde limitaneo Principatui no-  
vo metropolim esse jussit. Commodius autem  
Barro potuisset tum illa dignitas conferri, ut  
quæ jamdudum inclaruisset, & magis in limite  
Impe-

Imperii esset collocata. Id magis confirmatur ex iis quæ Chesneum secutus disputat clarissimus Blondellus pag. 30. Nempe anno 1352. ætatis veniam Roberto illi Comiti, sequente anno eidem provisionem assignavit Rex Johannes: adeoque cliens ille tum habitus fuit Regni Galliæ. Post hæc Comitatus Barrensi dignitas quidem collata est Ducalis: sed incertum, à Carolo Cæsare an à Rege Joanne, In neutram enim partem suppetunt diplomata: quod & Chiffletius pariter & Blondellus confitentur: & in utramque partem non desunt cum testimonia scriptorum, tum verisimiles rationes. Ut vero à Carolo IV dignitas illa tandem sit profecta, hoc ipso tamen non fuerit clientelare jus Gallicum eversum, sed tantum suprema potestas vindicata. Nec reperias tamen quenquam Cæsarium qui post Carolum quartum vel eam curam Barri causa impenderit: omni scilicet illa causa neglecta. Illa ipsa Caroli ætate autem Galliæ Reges inter fideles suos numerasse Duces Barri, vel ex uno illo diplomate Caroli V Regis, scripto anno 1564 quod capiti XII Luminum Sallicorum

Salicorum inseruit ipse ille Chifletius, manifestum est. Quibus omnibus expensis, videtur secure pronunciarı posse; non esse, quamobrem intra fines Imperii Gundricuria quidem, Castellio, Confluentia & Marchia, merito possint revocari: imo talem conatum cum injuria fore conjunctum. Cum Barrum porro ipsum vel nunquam vel non nisi leviter trecentorum annorum spacio sit Imperio vindicatum, etiam illud potius videri inter ea quæ dudum perditæ sunt, numerandum esse. Id quod *sexto* loco notandum ducimus.

ETSI vero hunc in modum expedita fortasse res sit de feudis illis Gallicis, minime tamen hinc sequitur, in universum omnia quæ hodie Barrensi Ducatui accensentur, itidem juris Gallici esse & Imperii finibus excludenda. Perinde enim atque ex eo, quod Moncionis & Hattonis Castri Marchionatus, ut & Comitatus Clarimontis, in feudum Lotharingiæ Ducibus Imperii nomine à Cæsaribus hætenus sint concessi, & tamen censeantur in præsens Ducatus Barrensis membra, non obtinetur, Ducatum illum universum in Imperii esse ditione:



tione: ita nec ex eo quod Ducatus caput aliaque nonnulla Gallici sint juris, de universo Ducatu sequius quid presumendum est. Solent nimirum saepenumero unum in corpus, commodioris regiminis causa, conjungi, quæ diversissimæ alias sunt conditionis: nihilque ineptius fuerit & iniquius, quam si ex unius partis statu de reliquis omnibus velis judicare. Et verò video doctissimum Blondellum ab ejusmodi argumentationibus prudenter abstinere, secus quam fit ab aliis permultis.

Ille tamen aliis rationibus & Clarimontis dominium, & Hattonis castri, & Moncionis ditiones, imo & Albimontem ac Bellisteinum aliaque conatur juribus Gallicis vindicare. Recitabimus summi viri ipsa verba qualia habentur pag. 82. *Cum Clarimontis dominium in Barri Comites anno 1131 ab Alberone de Chisneir Virdunensium presule translatum, inter Mosam, communem Lotharingici & Francici regnorum limitem, & Axonam jaceat, nec Imperii Germanici membrum censeari, nec à Germanicis Imperatoribus in feudum recipi jure potuit; Mosam autem Lotharingici regni limi-*

tem occidentalem fuisse docent, investiturarum  
 à te prolata diplomata, quibus tota Lotharingia  
 Ducum potestas Rheno & Mosa concluditur.  
 Hittonis Castri, Albimontis, Moncionis, &  
 Bellistheini ditiones, cum Advocatia Tulli &  
 Romarici montis, etiamsi inter Mosam &  
 Rhenum posita, ab Imperio Germano Lotharin-  
 gico pependisse videantur; ex quo Metensis,  
 Tullensis, & Viridunensis diœceses, quarum  
 membra sunt, supremumque in eas jus, communi<sup>10</sup>  
 Ordinum Monasteriensia pacta confirmantium  
 decreto, Francico regno accrevere, in eandem  
 partem inclinare debent. Haecenus Blondel-  
 lus, qui mox subjungit verba quaedam Tabula-  
 rum Pacis præcedente capite à nobis pro-  
 ducta.

Videtur autem forte haud difficile dictu  
 esse, in hac re quid sit statuendum. Quod  
 Clarimontis enim dominium attinet, est qui-  
 dem illud ultra Mosam situm. At non ul-<sup>20</sup>  
 tra fluvium illum jura Imperii Germanici ex-  
 tendi debere, eumque fluvium præcise in li-  
 mitem Imperii & Regni Gallici esse olim con-  
 stitutum, non probavit Blondellus, nec un-  
 quam

quam quis probaverit. Quo de jam cap. sexto à nobis actum est. Ad hoc si Clarimons Gallici juris fuisset habitus olim à Gallia Regibus, utique & hujus dominium sui fecissent juris. Vindicarunt autem sibi de ultra-Mosanis Barrensis Ducatus partibus solam præfecturam Barrensem. Itaque ipsorum propria & per omnia secula hætenus continuata confessione, nihil juris in Clarimontem Regno Gallico competit. Si porro Viridunensium Præsul jam anno 1131 Clarimontem in Barrenses Comites transtulit, quod fatetur Blondellus, pro argumento id potest esse Imperialis juris. Illo quippe tempore Regibus Gallia non fuit obstrictus Barrensis Comes: quod jam ostensum est: & quando Viridunum Germania accessit, simul & pagus Viridunensis factus est juris Germanici, cujus pars ab antiquo fuit Clarimontense dominium. Non fugit denique Gallia Reges, Clarimontanum illud dominium inter alia clientelari lege Lotharingios Duces jamdudum à Cæsaribus accepisse. Et tamen nemo eorum quisquam contradixit, nemo vel egre tulit. Non

tacituri profecto, nisi ad se dominium illud non pertinere, veritate ipsa fuissent convicti. Et vero etiamsi jure quondam fuisset in ditione Gallorum, dudum tamen vel sola diuturni temporis usucapione, & perpetua Gallorum negligentia, in Imperii illud jura transfisset. Igitur hinc profecto nunc demum, nescio cujus antiquati juris prætextu, Clarimons Imperii finibus subduceretur.

Hattonis Castrum Moncionem aliaque illa Regno Gallia concessa esse vi pactorum Monasteriensium, non sane hominum ququam probaverit, cum de iis ne quidem actum fuerit. *Diaecesin* universam Metensium Tullensium & Viridunensium cessam, non profecto in Tabulis legitur, sed *Episcopatum illorum districtus*: quibus vocibus territoria tantum indicari, usus docet. Longius sane voces illæ extendi nequeunt absq; injuria recepti moris loquendi.

Sed non est quare de his prolixius nunc differamus. **LOTHARINGIÆ** Ducatum, ex quo universum Regnum illud Germanici est juris factum, perpetuo fuisse finibus Imperii in

inclusum, saltem usque ad Transactionem Norimbergensem, nemo effrons adeo repertus est hactenus, qui ausus sit negare. Nihil sane fuerit facilius, quam perpetuum exercitium jurium superioritatis Imperii in regionem illam, per septingentos amplius annos deducere. In Formula Transactionis Norimbergensis fateor hæc verba haberi: *Ducatus Lotharingia cum suis appertinentiis LIBER ET NON INCORPORABILIS DUCATUS* erit & manebit semper: & à Casarea Majestate, Nobis, & Electoribus, Principibus atque Statibus Imperii, pro *LIBERO ET NON INCORPORABILI DUCATU*, Superioritate & Principatu recognoscetur, nominabitur & habebitur semper. Horum autem verborum non alius est sensus quam ille quem doctissimus Chiffletius attulit cap. 8. *Lotharingia Masculina* pag. 31. Principum, inquit, Imperii vacua hereditates ordinario caduci jure ad Imperatorem tanquam ad supremum Dominum devolvuntur, rursusque incorporantur Imperio à quo primitus emanarunt, in aliam familiam, si lubet transferende. At Norimbergica

gica pactione Duci Lotharingie indultum est,  
 ut ejus Ducatus esset membrum Imperii libe-  
 rum, Imperio nunquam incorporabile, hoc est  
 ut perpetuo transfiret ad heredes, ita ut ab ejus  
 sanguinis stipite non recederet. Idem in Com- 5  
 mentario Lothariense cap. x. pag. 42. Liberta-  
 tem Ducatus illius, recte interpretatur de exem-  
 ptione à processibus mandatis & judiciis sacri  
 Romani Imperii tam in prima quam aliis in-  
 stantiis, prout diserte habetur in Tabulis illis 10  
 Norimbergensibus. Dabimus paulo post illas  
 Tabulas integras. Interim expendat pro se quis-  
 que tantum illa Tabularum verba: Pro solu-  
 tione talium collectarum & contributionum, pro  
 conservatione publicæ Pacis erectæ in Imperio, 15  
 pro securitate & salvo conductu, Casaræ Ma-  
 jestati & Nobis, Romanorum Regibus & Im-  
 peratoribus, qui quoque tempore erunt, S A-  
 GRO ROMANO IMPERIO EJUS-  
 DEMQUE JURISDICTIONI SUB- 20  
 ERUNT.

Non utemur in re liquida alio interprete,  
 quam consiliario arcaniorum negotiorum  
 ipsius Francisci II Lotharingæ Ducis. Est ille  
 Fran-

Franciscus Thouveninus vir sane doctus & ingeniosus: qui Apologetico quem pro heri sui juribus Gallice scripsit de Norimbergensi pactione in hæc verba differit, ut quidem illa ex Gallico vertit Chiffletius, & capiti x Commentarii Lothariensis inseruit. *Verum est, LOTHARINGIÆ DUCES* postremis temporibus conatos fuisse plenam obtinere ab Imperio libertatem; sed, qualicumque cura adhibita manserunt semper tali obligatione Imperio obstricti, ut nullo modo se à veris clientela officiis liberare potuerint. Pactum quo majorem acquisivere immunitatem, fuit transactio Norimberga inita anno MDXLII, inter Ferdinandum Romanorum Regem, fratris sui Caroli V Imperatoris nomine, & Ducem ANTONIUM. Absolvuntur Duces à resumptione & hominio sui Ducatus: prohibetur appellari ab eorum sententiis ad Cameram Imperialem: in summa declarantur PRINCIPES LIBERI: obligantur nihilominus ad solutionem subsidiarii Imperialis tributi, inita proportione duarum tertiarum ad ratam partem unius Principis Electoris: obstringuntur ad observationem

Tyyy tionem

tionem publica Pacis sancita in Imperio, & ad  
 salvos conductus, quos Germani vocant GLEI-  
 DES; horumque ratione respondere debent, &  
 Camera Imperialis jurisdictionem subire. Ha  
 profecto prerogativa insignes sunt & praezellen-  
 tes, cum pauci Principes sint in Imperio, si Bel-  
 gicos excipias, qui tales usquam sunt adepti, Ve-  
 rum non absolvuntur nec liberantur Duces à  
 FIDE quam Clientis debet Domino suo, in qua ve-  
 ra & unica Feudi essentialis forma consistit, 10  
 quandoquidem obligantur ad observationem e-  
 dicti publica Pacis, vulgo LANTFRID; qua  
 nihil est aliud quam merus fidelitatis effectus;  
 quemadmodum ejusdem pacis infractio est fidei  
 violatio. Praeterea non eximuntur Duces à feu-  
 dali obsequio, quandoquidem obstricti sunt ad  
 solutionem subsidii pecuniarii; vulgo GLEI-  
 DES, quod unusquisque Vasallus Imperii con-  
 ferre solet pro subsistentia exercitus Imperialis,  
 proq; sumptibus comitatus Imperatorii, quando  
 Caesares causa Coronationis Romam profiscun-  
 tur. Quam subsidii praestationem omnes juriscon-  
 sulti ponunt in primo ordine debitorum feudalium.

Ultra



Ultra quod, quia per dictam transactionem di-  
 citur, permansuros Duces sub Imperii protectione,  
 altero fidelitatis vinculo eo ipso sunt obstri-  
 cti: illud enim de fide simplicis protectionis non  
 5 est intelligendum, sed de fidelitate feudali. Ratio  
 est, quia persona simpliciter protecta nihil habet  
 à suo protectore, nec ipsi aliam debet fidem quam  
 pro securitate defensionis & auxilii, quod ab eo  
 sperat & expectat. Contra vasallus fidem debet  
 10 Domino suo causa Feudi, quod ab ipso accepit.  
 In cuius possessione & fruitione tenetur eum  
 tutari & conservare. Est porro manifestum,  
 fidelitatem Imperatori à Lotharingie Ducibus  
 observari debere, non ratione simplicis prote-  
 ctionis duntaxat, sed etiam causa ipsius Duca-  
 15 tus, qui alias à Caesaribus ipsis datus est & in-  
 feudatus. Hæc Thouveninus. Quæ cum Ta-  
 bulis illis Norimbergensibus quam accuratissi-  
 me consentire, nemo negaverit nisi partium stu-  
 20 dio excæcatus.

Confirmatur porro illa subjectio haud  
 parum sacramento isto, quo more aliorum  
 Principum Dux Lotharingus Cæsari devin-  
 ctus est. Nec enim illud, ad sola feuda perti-

710 DE FINIBUS IMP. GERMANICI  
nec: imo ab investitura quodammodo distin-  
guitur. Perspicere id est ex iis, quæ adfert Chi-  
stetius cap. xi ejusdem Lothariensis Commen-  
tarii, petita ex Cancellaria Imperiali. Francisco  
nimirum I defuncto, cum Legati Lotharingici  
ad Carolum V Cæsarem missi essent, rogaturi,  
ut Carolus Dux Francisci filius adhuc pupil-  
lus à præstatione homagii aliquamdiu excusa-  
retur, in Consilio decretum est: quod tutores  
ejusdem Illustrissimi Caroli Ducis SECUN-  
DUM MOREM IMPERII, debe-  
ant pro pupillo PRÆSTARE JURA-  
MENTUM ET ACCIPERE IN-  
VESTITURAM de feudis ab Imperio de-  
pendentibus. Ubi autem pupillus ad ætatem le-  
gitimam pervenerit, ipsemet renovare tenebi-  
tur. Formula porro præstiti juramenti hæc  
fuit. Ego NICOLAUS à Lotharingia, tam-  
quam tutor illustrissimi Principis D. CAROLI  
DUCIS LOTHARINGIÆ ET BARRI,  
nomine tutorio tam pro me quam Illustrissima  
Domina CHRISTIERNÀ à DANIA Du-  
cissa Lotharingia ac Mediolani vidua, tam-  
quam contutrice, constitutus ab ea ad negotium  
legiti-

legitimus actor & procurator, promitto & juro  
ad haec sancta Dei Evangelia corporaliter per  
me tacta, quod Nos eo nomine ex nunc in antea  
fideles & obedientes erimus, Vobis Serenissimo  
5 Principi & Domino Nostro CAROLO Ro-  
manorum Imperatori semper Augusto, Domi-  
no nostro clementissimo, & omnibus Majesta-  
tis vestrae successoribus Romanorum Imp. &  
Regibus legitime intrantibus, & Sacro Roma-  
10 no Imperio contra omnes homines: & non eri-  
mus in consilio, participatione, vel tractatu, u-  
bi quidquam agatur contra personam, hono-  
rem, aut statum Majestatis vestrae, & Sacri  
Romani Imperii, neque in idullo modo consentie-  
15 mus: sed bonum utilitatem & honorem Ma-  
jestatis vestrae & S. Romani Imperii fideliter pro-  
movebimus: & si quid tractari cognoverimus  
contra Majestatis vestrae personam honorem &  
statum, huic pro virili obstabimus, & Majesta-  
tem vestram incunctanter admonebimus; o-  
20 mniaque alia & singula faciemus, ad quae fide-  
les Principes & Vasalli Imperii Domino suo  
Romanorum Imperatori & Sacro Romano Im-  
perio de jure vel consuetudine tenentur, dolo &  
Tyyy 3 fraude

*fraude penitus scmotis. Ita me Deus adjuvet,  
& hæc sancta Dei Evangelia.*

Hactenus juramenti illa formula. Cui in  
argumentum subjectionis Lotharingicæ alia  
adjicere fuerit, nisi fallor, facem in meridie ac- 5  
cendere. Itaque iis sepositis, annectemus dun-  
taxat Transactionem illam Norimbergensem  
integram, & tabulas fiduciaras quas Henrico  
Lotharingico Cæsar Rudolfus tradi jussit, qua-  
lia omnia illa ex Archivo Imperii deprompta 10  
publicavit ille quem sæpe laudavimus Chifletius in Commentario Lothariensi, nono & duo-  
decimo capitibus. Nos Carolus Quintus Dei  
*gratia Romanorum Imperator semper Augu-  
stus: Rex Germania, Castella, Arragonia, Le- 15  
gionis, utriusque Sicilia, Hierusalem, Hungaria,  
Dalmatia, Croatia, Navarra, Granata, Tole-  
ti, Valencia, Gallicia, Majoricarum, Hispalis,  
Sardinia, Corduba, Corsica, Murcia, Ciennis,  
Algeronia, Algerica, Gibraltarii, Insularum, 20  
Canaria, Balearium, & Indiarum, ac Terra  
firma maris Oceani: Archidux Austria: Dux  
Burgundia, Lotharingia, Brabantia, Stiria, Ca-  
rinthia, Carniola, Limburgia, Geldria, Cala-  
bria,*

bria, Athenarum, Neopatria & Wirtembergæ:  
 Comes Hapsburgi, Flandria, Tyrolis, Gorcia,  
 Barcinona, Artesia, Burgundia: Palatinus,  
 Hannonia, Hollandia, Zelandia, Ferreti, Kibur-  
 5 gi, Namurci, Rossilionis, Cerinthania & Zut-  
 phania: Landgravius Alsatia: Marchio Bur-  
 govia, Oristani & Gotziani: **PRINCEPS**  
**SACRI ROMANI IMPERII**, Sue-  
 via, Catalonia, Asturia: Dominus Frisia, Mar-  
 10 chia Slavonia, Portus Naonis, Biscaya, Mo-  
 line, Salinarum, Tripolis & Mechlinia &c,  
 Certificamus per presentes pro Nobis & nostris  
 in Imperio successoribus, & notum facimus uni-  
 versis: quod cum Illustrissimus **DUX LOTHA-**  
 15 **RINGIÆ, ANTONIUS**, consanguineus, &  
**PRINCEPS NOSTER**, Nobis representas-  
 set pactum & tractatum perpetuum, qui (post  
 multas propositiones, allegationes & negotiatio-  
 nes, ratione eorum qua Nos & Sacrum Roma-  
 20 num Imperium tangunt in **DUCATV LO-**  
**THARINGIÆ ET IN EJUS DEPENDEN-**  
**DENTIIS, VELUTI ALBO MONTE,**  
**MVSSI PONTE & similibus)** initus fuit, ad-  
 equatus & conclusus in ultimis Comitibus anni  
**MDXLII**

714 DE FINIBUS IMP. GERMANICI  
MDXLII in nostra & Imperiali Civitate  
NORINBERGA, inter Serenissimum & potentissi-  
mum Principem, Dominum FERDINANDUM,  
Romanorum Hungaria & Bohemia Regem, Ar-  
chiducem Austria, & Comitem Tyrolis, nostrum  
fratrem dilectissimum, nostro nomine, ex una, &  
dictum nostrum consanguineum DUCEM LOTHAR-  
RINGIÆ ANTONIUM, ex altera partibus; de scien-  
tia consilio & assensu nostrorum & Sacri Im-  
perii ELECTORUM, Principum & Ordinum, in  
dictis Comitibus congregatorum, nec non Amba-  
sciatorum eorum qui absunt; in eo quod im-  
posterum debet observari cum Dilectione suâ  
ejus heredibus & Ducatu LOTHARINGIÆ, CUM  
SUIS DEPENDENTIIS (uti supra dictum est) in  
in futuris taxis, negotiationibus & causis tam  
fiscalibus quam aliis. Qui tractatus de verbo  
ad verbum est tenoris sequentis.

FERDINANDUS I ROMA-

NORUM REX.

Nos Ferdinandus Dei gratia Rex Roma-  
norum semper Augustus, Rex Germania, Hun-  
garia, Bohemia, Dalmatie, Croatia, & Slavo-  
nia: Archidux Austria; Dux Burgundie,  
Braban-

Brabantia, Styria, Carinthia, Carniola: Princeps  
 Wirtembergae, Saevia; **MARCHIO SACRI**  
**ROMANI IMPERII**, Burgundiae, Moraviae,  
 Superioris & Inferioris Lusania, Vicecomes, Hab-  
 spurgi, Tirolis, Ferreti, Kiburgi & Goricia: Land-  
 grauius Alsatia: Dominus Marchia Schlarvonia,  
 Portus Naonis, & Salinarum &c. Certificamus  
 per presentes, & notum facimus universis; quod  
 cum Illustrissimus Dux **LOTHARINGIAE** per  
 suos Legatos representasset Sacra Caesaria Ma-  
 jestati, dilecto **FRATRI NOSTRO** ac Do-  
 mino, nec non Electoribus Principibus & Ordi-  
 nibus Sacri Imperii, in quibusdam praeeritis Co-  
 mitibus, & nominatim in postremis Ratispona &  
 Spira celebratis; quod non obstante, quod ejus  
**DUCATUS** **LOTHARINGIAE** esset  
 status liber & nemini subiectus; tantum quod  
 ipse feudatarius erat, & ad suam Majestatem  
 Caesarem, & Sacrum Imperium attinebat, ra-  
 tione quarundam ditionum particularium sui  
 Ducatus, ipse tamen & subditi ejus frequenter  
 molestabantur collectis Imperialibus & litibus  
 fiscalibus Judicum & Assessorum Camera Im-  
 perialis, in causis appellationum, mandatorum

ZZZZ

&amp;

Et aliis: id quod nunquam antea fuerat factum,  
 ut ipse confidebat se posse sufficienter ostendere,  
 si esset necessarium. Quod illo non obstante, at-  
 que ut sua Majestas Casarea, Electores, Princi-  
 pes Et Ordines Imperii manifeste cognoscerent,  
 quod ipse magis cupiebat vivere in quiete Et  
 pace cum sua Majestate Et Statibus Sacri Ro-  
 mani Imperii, quam in discordia, rogabat, ut  
 ipse cum Casarea Majestate, Electoribus, Princi-  
 pibus, Et Ordinibus Sacri Imperii ad pacationem  
 Et rerum adequationem admitteretur, et si  
 nulla obligatione obstrictus esset: offerebatque,  
 quod ratione Feudorum Particularium, qua  
 pauca erant, consentiret annis singulis justam Et  
 congruentem summam pro sustentatione Came-  
 re Imperialis persolvere; nec non Et alias taxa-  
 tiones Et collectas, qua inter S. R. I. Ordines  
 Generales exaquari solent; cum ea tamen condi-  
 tione, quod ipse volebat illud onus supra se su-  
 scipere, Et illud perferre non tantum ratione  
**FEVDORUM PARTICULARIUM**, sed  
 Et propterea quod illa incorporata erant in suo  
 Ducatu, ut etiam **IPSE** Et totus **LOTHA-  
 RINGIÆ** Ducatus protegerentur, Et defen-  
 derentur



derentur eodem modo & forma quo ceteri Ducatus & Status Sacri Imperii protegi ac defendi solent; sub conditione etiam, quod rata partes, quas ipse deberet persolvere, moderata essent, ita ut ipse & eius heredes illas ferre & pati possent; cum TERRÆ ipsius FEUDALES, quas relevatas à Sacro Imperio ex Feudo & Feudo subalterno, tam tenuis annui redditus essent, ut in multis annis non possent adequari cum rata parte unius Principis Electoris.

Contra qua fuit replicatum, quod Nos & Ordines Imperii Generales ex facta inquisitione credebamus, & existimabamus DUCATUM LOTHARINGIÆ esse, & de jure esse debere subditum Sacro Imperio, habitacione, quod Duces Lotharingie temporibus prateritis & huc usq; comprehensi sunt & fuerunt in taxationibus Imperii, quemadmodum probari posset; prater alia in hanc rem haud minimi momenti argumenta.

Nihilominus visa & cognita bona & propensa voluntate, quam dictus Illustrissimus Dux habet erga Sacrum Imperium, Nos ex parte sua Majestatis Cesarea dilecti nostri Fratris & Domini & pro Nobis ipsis ad ulteriorem confe-

718. DE FINIBUS IMP. GERMANICI  
rentiam transivimus cum ejus Legatis, scilicet  
Claudio de Pilliers, Bailivo Spinalli, Domino de  
Jandelencourt, Dominico Champenoys Jurium  
Doctore supplicum libellorum Magistro, Nicolao  
de Lesent, & Joachimo Groninger Jurium Docto- 5  
re: & illi reciproce Nobiscum nomine dicti sui  
Heri DUCIS LOTHARINGIÆ, virtute lit-  
terarum credentia & potestatis sufficientis, quas  
in hunc effectum producebant, cum scientia con-  
silio & consensu Electorum Principum Ordi- 01  
num. & pro absentibus Legatorum: postque mul-  
tas propositiones allegationes & negotiationes  
ex utraque parte, tandem inter nos convenimus  
virtute presentis instrumenti meliori forma, pa-  
ctione & modo, quo id fieri debet & potest; ita 15  
ut dictus noster consanguineus, DUX LOTHA-  
RINGIÆ ANTONIUS & ipsius heredes,  
non tantum cum MEMBRIS aut STATI-  
BUS PARTICULARIBUS DEPEN-  
DENTIBUS EX FEUDO & FEUDO 20  
SUBALTERNO AB IMPERIO, verum  
etiam cum DUCATU LOTHARINGIÆ &  
iis QUÆ AD ILLUM PERTINENT  
tanquam ad Ducatum, nempe ALBUM.  
MON.

MONTEM, MUSSIPONTEM, & similia,  
 manere debeant in posterum & in perpetuum sub  
 tutela & defensione Imperatoris, Regis Romanorum,  
 & Sacri Imperii, defendiq; ac protegi eodem mo-  
 do quo alii Ducatus & Status Sacri Imperii; uti  
 virtute presentis pacti ex parte Cesaree Maje-  
 stas per Nos ipsos, recipimus dictum nostrum con-  
 sanguineum Ducem ANTONIUM & ejus he-  
 redes, nec non & DUCATUM LOTHARIN-  
 GIÆ sub protectione tutela & defensione Casa-  
 ree Majestatis, Nostrae & Sacri Imperii.

Cujus rei causa offert DUX ANTONIUS  
 pro se & suis heredibus ferre & persolvere ratam  
 suam portionem de omnibus & qualibuscunque  
 taxis & contributionibus, quae imponentur, aut  
 concedentur à Statibus Generalibus Sacri Im-  
 perii, quod est tertia parte minus eo, quod uni  
 Principi Electori imponitur: ita ut si alicui Ele-  
 cto i trecenti floreni collecta loco imponuntur,  
 praedictus DUX ANTONIUS ejusque heredes  
 ducentos florenos solvant; atq; ita etiam in ma-  
 joribus & minoribus collectis computando. Prae-  
 terea pro solutione talium collectarum & con-  
 tributionum, pro conservatione publicae pacis

erecta in Imperio, pro securitate & salvo condu-  
 ctu, Casarea Majestati & Nobis, Romanis Im-  
 peratoribus & Regibus, qui quoque tempore e-  
 runt, Sacro Romano Imperio eiusdemque jurisdic-  
 tioni suberunt, & ad id spectabunt. Alias au-  
 tem ipsi cum Ducatu Lotharingie eiusdemque  
 subditis, ab omnibus processibus, mandatis &  
 judiciis Sacri Romani Imperii, tam in prima  
 quam aliis instantiis, **LIBERI** & exempti e-  
 runt. Nullisque processibus, mandatis, citatio-  
 nibus, appellationibus acceptandis, aliisque negotiis  
 quocumque, sub titulo, nullo excepto (nisi is que ad  
 solutionem collectarum & impositionum, ad ma-  
 nutenentiam Pacis publicae, & ad securitatem  
 & salvum conductum, uti predictum est, spe-  
 ctabunt) reliquentur immunes; **DUCATUS**  
**LOTHARINGIÆ CUM SUIS APPER-**  
**TINENTIIS, LIBER ET NON INCOR-**  
**PORABILIS DUCATUS ERIT, ET MA-**  
**NEBIT SEMPER,** & à Casarea Majesta-  
 te, Nobis & Electoribus, Principibus atque Sta-  
 tibus Sacri Imperii, pro libero & non incorpora-  
 bili Ducatu, Superioritate, & Principatu reco-  
 gnoscetur nominabitur & habebitur. Quidquid  
 autem

autem predicti nostri consanguinei Ducis AN-  
TONII Majores LOTHARINGIÆ DU-  
CES, & ipse hæcenus à Romanis Imperatoribus,  
Regibus & Sacro Romano Imperio alias in  
5 Feudum habuerunt receperunt ac tulerunt, i-  
dem ipse DUX ANTONIUS ejusque succes-  
sores in futurum eodem modo in Feudum habe-  
bunt, & decenti modo recipient, & ferent: in hoc  
tamen excepto LOTHARINGIÆ DUCA-  
10 TU, qui liber & non incorporabilis Ducatus erit,  
& manebit semper. Et quia præactus DUX  
ANTONIUS pro se suisq; heredibus istum tra-  
ctatum & compositionem agnovit, & accepta-  
vit, promittimus & asscuramus nomine Rom.  
15 Cesarea Majestatis, & pro Nobis ipsis, vigore  
harum litterarum, quod sua Majestas uti Ro-  
manus Imperator, Nos omnesque nostri successo-  
res in Imperio, prædictum Ducem ANTONI-  
UM ejusq; Ducatus Lotharingia successores,  
20 ad instar aliorum Sacri Rom. Imperii Ducatum  
& Statuum tuebimur, & defensabimus, neque  
ulterius, quam pro iis que spectant ad impositio-  
nes, pacem publicam, securitatem & saluum  
conductum, ut supra, in Nostram & Sacri Im-  
perii

722 DE FINIBUS IMP. GERMANICI  
perii subjectionem & jurisdictionem trahemus,  
aut cogemus.

Cujus accommodationis gratia, ex parte Ca-  
sareæ Majestatis & Nostræ absolutæ potestatis  
Imperiali & Regiæ omnibus & quibuscumque  
Electo-  
ribus, Principibus, Prelatis, Ecclesiasticis  
& Sæcularibus, Comitibus, Baronibus, Militi-  
bus, Nobilibus, Præfectis civitatum & oppido-  
rum, Judicibus, maxime Assessores Casareis  
& Nostris in Camera Imperiali, Aulicis Consi-  
liariis, Justitiæ Rotuvillensi, & cunctis aliis Judi-  
cibus, Tribunalibus, Burgensibus, Communita-  
tibus, omnibusq; subditis et fidelibus Nostris et Sa-  
cri Imperii, cujuscumq; dignitatis status aut con-  
ditionis existant, serio mandamus et jubemus, ne  
in posterum molestant vel perturbent dictum con-  
sanguineum nostrum ANTONIUM, ejus he-  
redes aut subditos, vel DUCATUM LOTHA-  
RINGIÆ contra hunc nostrum tractatum,  
pactionem & transactionem; imo quod eos in  
illa manuteneant, tueantur & protegant ex  
parte Casareæ Majestatis, Nostræ & Sacri Im-  
perii, permittendo illis libertate & concessione  
ista penitus gaudere; ita ut iis non fiat aut fieri  
permit-

permittatur quidvis in contrarium. Pari modo  
 ex supra dicta potestate mens Nostra ordo &  
 voluntas est, ut imposteriorum dictus DUX AN-  
 TONIUS, ejus heredes & Successores DUCES  
 5 LOTHARINGIÆ & subditi eorum, tam par-  
 tiatim quam generatim, nulla molestia affician-  
 tur, neque per Fiscalem Casarea Majestatis in  
 Camera Spirensi, neque per ullum alium, ratione  
 taxationum & contributionum, quæ ante diem  
 10 harum litterarum efflagitata fuerint, vel conce-  
 se in Sacro Imperio, neque pro trium annorum  
 subsidio quod ad resistendum Turco concessum  
 fuit in ultimis Comitibus Augusta, Ratispona &  
 Spira, ita ut nullo modo pro eo molestia iis infera-  
 15 tur, neq; procedatur aut formetur ulla pretensio  
 contra illos, sive in judicio sive extra: quandoqui-  
 dem illos & eorum heredes declaramus omnimo-  
 do ab eo liberos immunes & exemptos. Annulla-  
 mus virtute harum litterarum omnes lites sen-  
 20 tentias & judicationes, quæ ob hanc causam &  
 in hanc usque diem facta fuerunt vel declarata.

Declaramus insuper jubemus & volumus  
 ex certa scientia & ex prædicta potestate, ut  
 quicquid fuerit intentatum factum vel obten-

Aaaaa

tum

tum contra prasens pactum nostrum & capitulationem, aut in posterum facturum sit vel intentaturum, nullius sit effectus, quemadmodum hisce litteris ex parte Cesarea Majestatis & Nobismetipsis, potestate Cesarea ac motu nostro proprio, pro nullo habemus, quodq; valorem nullum habeat aut vigorem; volumusq; ut sit & maneat integre conservatus in hoc tractatu nostro transactione & pacto, & quod precise & sine fraude observetur. In cuius rei fidem Regium nostrum<sup>10</sup> sigillum hisce litteris apponi mandavimus.

### PRINCIPES ELECTORES.

Et Nos ALBERTUS Dei gratia Sanctae Romanae Ecclesiae Presbyter Cardinalis, tituli S. Petri ad Vincula, & Sanctae Sedis Apostolicae Legatus natus in Moguntia, & in Episcopatu Magdeburgensi, Primas, Archiepiscopus Moguntinus, Administrator Halberstadiensis, Marchio Brandenburgi, Dux Stetini, Pomeraniae, Cassuborum & Wandalorum, Burgravius Norimbergae, Princeps Rugiae, Sacri Romani Imperii Archicancellarius per Germaniam; JOHANNES LUDOVICUS electus & confirmatus Archiepiscopus Treverensis S. R. I. Archicancellarius per Galliam & regnum Arelatense;  
HER.



HERMANNUS Archiepiscopus Coloniensis  
 Dux Westphaliae & Angria, Administrator Pa-  
 derbornensis, S.R.I. Archicancellarius per Ita-  
 liam; LUDOVICUS Comes Palatinus Rheni,  
 5 Dux Bavariae, S.R. Imperii Archidapifer, omnes  
 Electores, fatemur virtute harum litterarum,  
 quod supra dicta omnis negotiatio transactio et  
 pactio, jam ante ventilata fuerant in Imperiali-  
 bus Comitibus Spirensibus per suam Majestatem  
 10 Romanorum Regem, Dominum Nostrum cle-  
 mentissimum, nomine & ex parte Casarea Ma-  
 jestatis, Nostri item Domini clementissimi; &  
 nunc iterum transacta fuerunt & conclusa in his  
 ultimis Comitibus Norimbergensibus cum supra-  
 15 dictis consiliariis & Legatis Illustrissimi Princi-  
 pis ANTHONII DUCIS LOTHARINGIAE  
 Nostri dilectissimi Avunculi, cognati & amici,  
 coram Nostris consiliariis & aliorum Principum  
 Electorum, cum maturo consilio, bona notitia &  
 20 voluntate illorum, nec non aliorum Principum  
 & Ordinum Imperii, ac Legatorum pro absen-  
 tibus, ad dicta Comitibus Norimbergensia congre-  
 gatorum. Cui pacto nos consentimus, illud  
 ratificamus & confirmamus per presentes in-

omnibus & quibuscumq; punctis & articulis pro  
 Nobis, nostris successoribus & heredibus. In cu-  
 jus rei fidem Nos & Collega Nostri, & absentium  
 Legati in hac Norimbergensi Civitate congrega-  
 ti, ad instantiam & requisitionem Legatorum  
 dicti Ducis, singuli Nostra sigilla presentibus lit-  
 teris apposuimus, cum sigillo sua Majestatis Re-  
 gie Romane. Actum in Nostra & Imperiali Ci-  
 vitate Norimbergensi die XXVI mensis Augu-  
 sti anni gratia MDXLII, Regnorum Nostro-  
 rum, Romani duodecimo, aliorum decimo sexto.

CAROLUS QUINTUS IMPERATOR.

Cum autem à Nobis humiliter postulasset DUX  
 ANTONIUS, ut Nobis placeret confirmare &  
 ratificare transactionem istam secundum suam  
 formam & tenorem, prout supra descripta est,  
 attenda humili ejus petitione, continuoque amo-  
 re & affectu, quo sua Dilectio fertur erga Nos  
 & Sacrum Imperium, confirmavimus & rati-  
 ficavimus ex certa scientia, animo deliberato &  
 maturo consilio, supra dictum tractatum in o-  
 mnibus suis punctis clausulis & articulis juxta  
 suum tenorem, partium intentionem, & con-  
 tenta in illo, confirmamus illum & ratificamus  
 plena-

plenaria potestate Casarea per presentes: estque  
 Nostra intentio declaratio & voluntas, ut dicta  
 transactio exacte observetur & vigorem habeat  
 in omnibus suis punctis, ut ante est dictum; &  
 5 quod dictus DVX ANTONIVS ejusque here-  
 des & subditi illorum, DVCATVS LOTHA-  
 RINGIÆ ET DEPENDENTIÆ illius, ea inpo-  
 sterum uti frui & gaudere possint absq; ullo impe-  
 dimento per Nos aut successores nostros aut quem-  
 10 vis alium. Promittimus etiam, ut ante dictum  
 est, virtute presentium, quod dictum DVCEM  
 ANTONIVM, ejus heredes, & eorum subditos,  
 DVCATVM LOTHARINGIÆ ET EJVVS  
 DEPENDENTIAS sinemus illa gaudere &  
 15 frui: & quod manebunt integre cum illa sine  
 impedimento Nostro successorum nostrorum &  
 heredum & quorumvis aliorum: & quod illum  
 conservabimus, tuebimur & defensabimus in hac  
 transactione & pacto; in quo si inveniatur aliquis  
 20 error aut defectus, suppleri volumus & emen-  
 dari supra dicta Nostra Casarea & plenaria po-  
 testate, non obstantibus quibusvis mandatis, con-  
 suetudinibus, usibus, aut exemptionibus, in con-  
 trarium, quibus omnibus in hoc casu volumus  
 Aaaaa 3 esse

esse derogatum. Et idcirco omnibus & quibus-  
cumq; Electoribus, Principibus, Ecclesiasticis &  
Secularibus, Comitibus, Baronibus, Militibus,  
Nobilibus, Capitaneis, & aliis Officialibus, Pra-  
fectis Civitatum & Oppidorum, Judicibus &  
Justitiis, praesertim vero Judici Nostro & Asses-  
soribus Camera nostrae Imperialis, Rotuvulensis,  
& aliis omnibus Judicibus, Justitiis, Consiliariis,  
Burgensibus, Communitatibus, aliisque Nostris  
& Imperii fidelibus subditis, cujuscumque status  
qualitatis conditionis existant, serio injungimus,  
ne dicto DUCI ANTONIO, ejus heredibus, aut  
eorum subditis, neq; etiam DUCATUI LO-  
THARINGIÆ, CUM EJUS DEPEN-  
DENTIIS ullum impedimentum adferant in  
ista transactione & pacto, neq; in hac Nostra illius  
confirmatione; quin imo illos tueantur & defen-  
dant ex Nostra & Imperii parte, sinendo illos in  
sua fruitione consueta, absq; ulla re in contrari-  
um attentata nec attentari permissa: neq; Noster  
Camera Procurator Generalis Casareus, nec alius,  
in rebus contentis in predicto pacto lites movere  
possit contra dictum DUCEM ANTONI-  
UM, ejus heredes, & eorū subditos, & Ducatum  
Lotha-

Lotharingia, neque procedere, aut actum ullum contra illos formare in iudicio aut extra, neque gravare, aut molestiam illis quovis modo inferre.

5 Quia talis est expressa voluntas Nostra, harum testimonio litterarum manu Nostra propria subscriptarum, & sigillo Nostro Imperiali munitarum. Actum in Nostra & Imperiali Civitate Spirensi XXIIIX die mensis Julii anni MDXLIII Regnorum nostrorum XXIIIX.

10 Hucusque Transactio. Sequitur jam Investituræ formula. Rudolphus SECUNDUS divina favente clementia Electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germania Hungaria, Bohemia, Dalmatia, Croatia, Slavonia  
 15 &c. Rex; Archidux Austria, Dux Burgundie, Brabantia, Styria, Carinthia, Carniole; Marchio Moravia; Dux Luxemburgia, ac Superioris & Inferioris Silesia, Wirtembergæ, & Teckæ; Princeps Suevia; Comes Habspurgi, Tyrolis, Ferreris, Kiburgi & Goritiae; Landgravius Alsatia,  
 20 Marchio Sacri Romani Imperii, Burgovia ac Superioris & Inferioris Lusatia; Dominus Marchie Slavonica, Portus Naonis & Salinarum, &c. Ad perpetuam rei memoriam Recognoscimus

730 DE FINIBUS IMP. GERMANICI  
mus & notum facimus tenore presentium uni-  
versis, quod cum Nobis Illustris HENRICVS  
DVX LOTHARINGIÆ ET BARRI, Mar-  
chio Pontismontis Comes Provincia Vaude-  
montis & Albimontis, consanguineus & PRIN- 5  
CEPS NOSTER charissimus, per Magnificum  
FIDELIEM Nobis dilectum Eliseum ab Harau-  
cort, Gubernatorem Nanceianum, Consiliarium  
& Oratorem suum, ad Nos ablegatum, demisse  
Nobis exponi curavit, patrem quondam suum 10  
Illustrem CAROLVM, LOTHARINGIÆ  
ET BARRI DVCEM, Marchionatum PON-  
TIS MONTENSEM, Comitatum de Blan-  
kenberg, sive ALBIMONTIS BELLISTHEIN  
& CLARIMONTIS, Marchionatum HAT- 15  
TONIS CASTRI, cum universis & singulis  
illorum pertinentiis, item Advocatiam Ci-  
vitatatis in Tolleia, & Monasterii in Rumels-  
berg Diœcesis Tullensis, aliaque nonnulla jura  
à sacro Romano Imperio in Feudum recogno- 20  
visse, deque illis omnibus & singulis à Serenissi-  
mo & Potentissimo quondam Principe Maxi-  
miliano Secundo Electo Romanorum Impera-  
tore, Augusta memoria, Domino & genitore  
nostro

nostro observantissimo legitime **INVESTI-**  
**TUM** fuisse, ac necessarias de super & oportunas  
 investitura litteras de data anni **MD LXVII**  
 impetrasse, quarum nobis exemplum in authen-  
 5 tica & fide digna forma fuit exhibitum, earun-  
 demq; contenta hic pro insertis haberi volumus:  
 nunc porro prænominato **ILLUSTRI** quondam  
**CAROLO** patre suo vita functo, suppliciter nos  
 rogarit, ut ipsum de prædictis castris, terris, lo-  
 10 cis, juribus, omnibusque & singulis eorum perti-  
 nentiis, ad se tanquam primogenitum illius fili-  
 um & heredem devolutis, quemadmodum **Illu-**  
**stris** quondam **CAROLUS** **LOTHARINGIÆ**  
**ET BARRI DUX** ea omnia tenuit & posse-  
 15 dit, ipseque **Illustris HENRICUS** jam nunc te-  
 net & possidet, clementer investire, atque **RE-**  
**GALIA** hujusmodi castrorum & terrarum  
 auctoritate nostra **Cæsarea** ipsi benigne concede-  
 re dignaremur. Nos sane perpendentes fidelia  
 atque utilia obsequia non minus ab ipsomet **Illu-**  
 20 **stri HENRICO** **LOTHARINGIÆ ET**  
**BARRI DUCE**, quam illius Majoribus Nobis  
 ac sacro Romano Imperio, totique Reipublica  
 Christiana, sæpe hæctenus strenue, fortiterq; præ-  
 B b b b b stita,

stita, quaeq; etiamnum indies non sine magna he-  
 roica virtutis à majoribus suis velut per manus  
 sibi tradita commendatione praestat, ac in poste-  
 rum non minori cura atque studio praestitutum  
 esse confidimus, humilibus ejusmodi precibus ipsi-  
 us clementer annuendum duxerimus, uti vigore  
 praesentis Nostri Diplomatis annuimus. Ac proinde  
 ex certa Nostra scientia, animo bene deliberato,  
 sano ac maturo accedente consilio, & de Caesarea  
 potestatis Nostrae plenitudine, ac alias omni me-  
 liori modo, via, jure & forma, quibus validius  
 & efficacius fieri potest & debet, eundem Illu-  
 strem PRINCIPEM & consanguineum NO-  
 STRUM HENRICUM LOTHARINGIÆ  
 ET BARRI DUCEM, de praedictis castris  
 terris & locis, ac nominatim de Marchionatu  
 Pontis-Montis & de Comitatu Blanckenberg, seu  
 ALBI-MONTIS BELLISTHEIN et CLA-  
 RIMONTIS, item de Marchionatu HAT-  
 TONIS CASTRI, cum omnibus & singulis eo-  
 rum honoribus, homagiis, gratiis, juribus, liberta-  
 tibus, ac pertinentiis universis, item de Advocacia  
 Civitatis in Tolleia & Monasterii in RUL-  
 MELSPERG, Diocesis Tullensis, & aliis cer-  
 tis



5  
10  
15  
20  
tis juribus in dicto Monasterio ei competentibus, item de conductu in terris & aquis partium suarum, ac villa YVE, cum MONETA quam in jam dicta villa potest cudi facere, una cum jure quod ipse Dux pretendit antiquitus ad se spectare, & ad predecessores suos spectasse; nempe quod quicumq; in terra inter Rhenum & Mosam DUEL-  
LARE voluerit, quod hujusmodi DVELLA coram eo fieri debeant & non alibi consum-  
mari, & quod filii Clericorum, qui in terris suis nascuntur, ad ipsum debeant pertinere, clementer INVESTIVIMUS & in Feudum concessimus, ac tenore presentium INVESTIVIMUS & in Feudum concedimus. Recepta tamen prius supra  
15 nominato ipsius Ducis Consiliario ac Legitimo Procuratore sufficienti ad id mandato instructo, magnifico, FIDELI, Nobis dilecto, Eliseo ab Haraucourt Governatore Nanceyano, in predicti Ducis animam debito & consueto fidelitatis, 20 subjectionis & obedientia juramento: reservato Nobis quoque & Imperio Sacro ratione Feudi HATTONIS CASTRI jure proprietatis directi domini ac resortus; & similiter quo ad reliqua supra dicta bona & jura, aliis etiam qui  
Bbbbb 2 buscum-

buscumque Nostris ac Sacri Imperii ac quorum-  
 libet juribus semper salvis. Quocirca mandamus  
 universis ac singulis Principibus Ecclesiasticis &  
 Secularibus, Archiepiscopis, Episcopis, Ducibus,  
 Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Militibus, 5  
 Nobilibus, Clientibus Capitaneis, Magistratibus,  
 Communitatibus, Rectoribus, & locum tenenti-  
 bus eorundem, ac ceteris Nostris & Sacri Imperii  
 subditis & fidelibus, cujuscumq; dignitatis, prae-  
 eminentiae, status, gradus, ordinis & conditionis 10  
 existant: ut praedictum Illustrem DUCEM  
 HENRICUM in hac Nostra infestatione con-  
 cessione & gratia non impediant, nec perturbent,  
 sed illis libere uti frui & gaudere permittant,  
 & contrarium non faciant, nec fieri procurent,  
 quovis modo: quatenus Nostram & Imperii Sa- 15  
 cri indignationem gravissimam, & poenam qua-  
 draginta marcarum auri puri, pro una dimidia  
 fisco Nostro Imperiali, & pro altera dimidia in-  
 juriam passi vel passorum usibus irremissibiliter 20  
 applicandam, toties quoties contra factum fue-  
 rit, incurrere formidant; harum testimonio lit-  
 terarum manu Nostra subscriptarum, & sigilli  
 Nostri Cesarei appensione munitarum. Datum

in arce nostra Regia Praga die nona mensis Septembris, anno millesimo sexcentesimo nono, Regnorum nostrorum in Romani trigesimo quarto, Hungarici trigesimo septimo, & Bohemici item trigesimo quarto.

## CAPUT XXIX.

Quas partes Lotharingici Regni Hispania Rex possidet, eas hodieq; finibus Imperii comprehendit Federatas autem septem Belgico Germanicas  
 10 provincias in plenam libertatem esse assertas.

**R**estat ut de iis quæ in Lotharingico Regno Reges Hispaniæ obtinuerunt, nunc differamus. Quoniam vero illorum imperium  
 15 etiam cis Rhenum in ea, quæ proprie dicti Germanici Regni quondam fuerunt partes habitæ, sese extendit, cujusmodi est Hollandia & Selandia ex parte, Frisia, Geldria, Transisulania, Trajectensis & Groningensis ditio, ipsa vicinia & pars omnium conditio nos invitat, ut simul de iis quoque  
 20 agamus.

ATQVE ista quidem sine discrimine omnia ad tempora usque Friderici II Cæsaris ab Henrici Aucupis ætate in Imperii fuisse obsequio,

non est forte quod dubitemus. Etiam multo post, saltim donec ad Burgundicæ familiæ Principes isthæc devenerunt, omnia Imperii fuisse habita membra, pene vacat controversia. HANNONES tamen & HOLLANDI, jamdiu nonnihil turbavere. Nec adeo pridem Hollandorum patrocinium suscepit in aureo pleraque libello de Antiquitate Reipubl. Batavicæ Hugo Grotius cap. v, levioribus tamen argumentis quam exigit rei dignitas. <sup>10</sup> Controversia orta inter Brabantinos & Hollandos, Carolo V Cæsare dixisse hos, se & Comites suos summam potestatem nulli quicquam debentem, & omnis generis jurisdictionem habere antiquitus, ex quo Didericus primus <sup>15</sup> terram nulli regno obnoxiam, barbarorum ereptam manu recuperasset: Eosdem Comites ab omni ævo pari potestate fuisse in Comitatu suo qua essent Imperatores in Germania aut Italia, neque ullo obstrictos feudi vinculo: multo minus <sup>20</sup> Imperii Germanici leges unquam in Hollandia publicatas, aut ulla in parte iis ipsis legibus obtemperatum: Sed neque causas aut Comitum aut Ordinum à Germanico senatu unquam <sup>25</sup> dijudi-

*dijudicatas.* Hæc inquam ab iis dicta non negaverim. Dixit etiam Philippus Leidius, *Comitem Hollandia Imperatorem esse in sua ditione.* Indubitatis tamen monumentis facile hæc possunt falsi convinci.

Non tangam nunc fabulas illas de Diderico ejusque proximis successoribus : ipse Wilhelmus Comes, qui Cæsaream dignitatem indeptus est, ejusque posteri saltem ad Burgundos usque, Imperio se obnoxios ultro agnovere & professi sunt. Diserte Joannes de Beka in Chronico Episcoporum. Ultrajectinorum testatur, Wilhelmum in ipsa formula juramenti militaris hisce verbis usum : *Ego Wilhelmus Hollandiensis militia Princeps, sacrique Imperii vasallus liber.* Idem Beka in vita Theodetici secundi Episcopi expresse scribit de Wilhelmo I Comite : *Wilhelmus Comes post obitum Ada neptis sua Comitatum Hollandia de manu Friderici Cesaris ( is erat primus id nominis Barbarossa dictus ) in feudum accepit.* Erat Ada illa primæ stirpis Comitum quasi ultima, nec sine controversia reipublicæ præfuit, etsi maritum sibi accepisset Comitem

mitem Lossensem, quod scilicet sequior sexus  
 à regimine tum arceretur. Guilielmus itaque  
 primus Adæ patruus quasi novæ stirpis auctor  
 Cæsaris beneficio dignitatem illam impetra-  
 vit. Fuit autem ille Guilielmus alterius Guil-  
 helmi Romani Cæsaris avus, Etiam vero hac  
 stirps in mascula prole extincta est, cum Joanne  
 Comite id nominis primo. Ac proinde etsi  
 Hollandiam tum occupasset Joannes Hanno-  
 nius filius Adelheidis sororis Wilhelmi Regis  
 Romani, Imperio tamen deberi illam censuit  
 Albertus Cæsar, nec quievit controversia,  
 donec Joannes ille Hannonius à Cæsare pseudo  
 Comitatus investiretur. Ea de re ita scribit  
 Beka in vita Wilhelmi xli Episcopi. *Joannes  
 de Renes devictus transfugit ad Albertum Ro-  
 manorum Regem pro subsidio, asserens, quod Co-  
 mitatus Hollandia post obitum Domicelli Joan-  
 nis Romano vacaret Imperio. Albertus ergo  
 Rex descendens ad Hollandiam, destinavit hu-  
 jusmodi literas per universam Provinciam: No-  
 verint universi, quod Albertus Rom. Rex invi-  
 etus vacantem Hollandia Principatum Roma-  
 no potenter incorporabit Imperio, quem Ca-  
 rolus*

rex Theodorico Comiti donavit in feudo.  
 Igitur Albertus Rex Anno Domini MCCC de-  
 scendit usque Noviomagium, ad subjugandum  
 Comitatum Hollandia: adducens secum Mo-  
 5 guntinensem, Treverensem & Coloniensem Ar-  
 chiepiscopos, cum plerisque primatibus Regni  
 Alemania. Econtra vero Joannes Comes armi-  
 potenter advenit in Bonsuverd, ubi metatis ca-  
 stris super alveum Wale, assidue cepit investi-  
 10 gare, qualiter ad expugnandum Regis exerci-  
 tum magis commode posset pertransire. Sed  
 ecce Rex multitudinem vexillorum, pulchritu-  
 dinem castrorum, & fortitudinem armigero-  
 rum Hollandiensis exercitus à cacumine turris  
 15 procul intuens, & se delusum à Zelandis esti-  
 mans, retrocessit ad Cranenburgiam, ut altera die  
 repatriaret in Austriam. Archiepiscopus vero  
 Coloniensis pro Regis honore conservando pacem  
 extunc elaborare studuit, qui tandem sub hac  
 20 forma compositionis arbitrium suum edidit:  
 quatenus ipse Domino Regi fidelitatis prestaret  
 homagium; quo facto, primates extemplo reversi  
 sunt ad propria.

Ad hunc Bekæ locum Arnoldus Buchelius

Ccccc

Batavus

Batavus, vir ingenuus & antiquitatum patriæ suæ si quis alius peritissimus, hæc verba annotavit edition. Ultræjectinæ pag. 204: *Hic si jure disceptandum foret, Imperatoris causa prevaleret. Wilhelmus enim primus hunc Comitatum à Friderico Imperatore in feudum accepit, teste Beka in superioribus: sicut postea Margarita à Ludovico IV Imperatore. Sed cum ipse Imperator parum valeret, & Comitatus possessores loci commoditate gauderent, Imperatorium simul ac Episcopale jus paulatim evanuit. Verum hæc brevibus notis includi non possunt, & dabitur forsitan, si Deus mihi vitam prorogaverit, alias commodior dicendi locus. Hæc ille, candide & prout decet scriptorem vera professum: nec tamen forte quæ promissit unquam præstitit, huic ipsi Bekæ editioni immortuus. Meminerunt vero illius Cæsareæ expeditionis etiam Annales Colmarienses, Albertus Argentinensis, & Tritthemius in Chronico Hirsaugiensi: sed in testimonium verba illorum huc adducere non est pretium operæ.*

Stirpi huic Hannonicæ etiam deficientibus



bus masculis in nepote Wilhelmo; quid con-  
 tingerit, iterum non alio quam Beka teste  
 narrabimus. Cui tuto sane licet credere, quum  
 illo ipso tempore vixerit Canonicus Ultrajecti-  
 5 næ Ecclesiæ, & Hollandiæ Principi opus suum  
 inscripserit. *Ludovicus*, inquit, *Imperator* au-  
 dita jam nece *Wilhelmi Comitis*, pro tribuna-  
 li sedens in ornamentis Imperialibus, exquisi-  
 vit æquitectam justitiam à plerisque Romani  
 10 Regni Principibus. Quorum dictante senten-  
 tia, decretum est, quod Hollandia principatus  
 Romano vacet Imperio, pro eo, quod *Wilhelmus*  
 Comes absque liberis discessit à seculo. Quem  
 extunc Principatum idem *Cesar* donavit Im-  
 15 peratrici *Margarita* sua conjugi, quæ germana  
 fuit eidem *Wilhelmo Comiti*. His itaque ge-  
 stis, eadem Imperatrix apparatu pulcherrimo  
 mox ad Hollandiam descendit, fidelitatem cun-  
 ctis incolis juravit, homagium de vasallis suis  
 20 accepit, libertates & gratias omnibus amplia-  
 vit, benevolas treugas cum Trajectensibus fe-  
 cit, & in Bavariam exinde rediens, Comita-  
 tus Hannonia, Hollandia, Zelandia & Fre-  
 sia gubernandos *Wilhelmo Duci Palatino suo*

*filio commendavit.* Hæc Beka. Imò in hisce verbis finit ille Chronicon suum; quòd & Tritheimius notavit, & observatum fuit in manuscripto Suffridi Petri, ut fatetur Furmerius, & in manuscripto codice Bibliothecæ nostræ Juliæ nos itidem observavimus.

Quin hæctenus itaque saltim Comitiva dignitas in clientelari jure Imperii fuerit, non est dubitandum. Aliquamdiu post etiam integrum mansisse hoc jus ad Burgundicos usque, docet nos Historia Jacobæ, quæ patre<sup>10</sup> Guilielmo defuncto rempublicam hereditario quasi jure conata est arripere. Adducemus hoc loco tantum illa quæ ipse Petrus Scriverius, parum æquus Imperii jurium<sup>15</sup> arbiter, annotavit ad Grotii illum libellum pag. 131 editionis Leidensis. *Cum anno MCCCC XIIIX. Joannis Bavarus, electus Leodiensis, sed sacerdotio initiari nolens, Joannem Brabantia Ducem, maritum Jacobæ, Hollandia cæterisque uxoris opibus potiri fremeret, ducta Elisabetha Ducis noverca, & fœdere, cum Sigismundo Imperatore inito, Hollandiam Ze-*  
landiam

landiam ac Hannoniam beneficiario jure ab eo  
 possidendas accepit: quasi ad Imperium, mortuo  
 Guilielmo Comite sine mascula prole, devolutas.  
 Et tum pariter interdicta Joanni Brabanto ea-  
 5 rundem regionum administratio, datis literis  
 Constantia, XXIX Martii. Quarum lite-  
 rarum munimini filius Bavarus, cum jam Hol-  
 landia Zelandia ac Hannonia oppida sollicita-  
 ret, hoc responsum tulit: Regiones has neque Feu-  
 10 dum Imperii esse, nec ad mares solos devolvi;  
 cum certissimo experimento constet, Valtrudem  
 Carolomanni Austrasie Principis neptem,  
 Richildim quoque Comitatum Hannonie. Adam  
 æ Margaretam Comitatum Hollandie, maritis  
 15 dotales attulisse, &c. que refert Petrus Diva-  
 us rerum Brabanticarum lib. XIIIX. quem sua-  
 deo, legas.

Hæc omnia Seriverius: is enim est nota-  
 rum illarum auctor. Joannes Dinterus l. 6  
 20 cap. 159. ab Hannoniis scribit anno MCDIIX  
 ita responsum Joanni illi Bavaro. *Se multum  
 admirari, quod Romanorum Rex prætendebat  
 aliquod jus habere ad terras Hollandie & Zelan-  
 dia, attento quod ipsi viderunt antiquas literas*

per quas Ludovicus IV tunc Romanorum Rex, recognovit, quod in dictis terris Hollandiæ ac Zelandiæ nullum jus sibi competiit, quam solum homagium. Viderunt etiam sub Bulla aurea alias literas ejusdem Ludovici IV tunc Romanorum Imperatoris, per quas de suorum Principum consensu supradictas literas confirmavit. Cæterum hæc ita tum affirmata esse, non quidem negaverim : quam falso autem & quanta cum Imperii injuria ita affirmata hæc sint, non obscurum amplius est ex iis quæ in medium attulimus. Bene tamen, quod etiam tunc facti sint omnes, & extra controversiam fuerit positum, saltim HOMINII nexu Hollandiæ Comites hæctenus Imperio fuisse obnoxios : id quod ad tuendos Imperii fines nobis in præsens sufficit.

Non latuit hæc antiquorum Comitum clientela Grotium : alium itaque libertati æternæ quærens colorem, scribit : Quod si qui Comitum adducti necessitate temporum aut propriis de causis Imperatoribus obnoxii, eorum patrocinium invocaverunt, id tamen ipsum, præcipue Ordinibus in factum non consentientibus,  
nec

*nec reipubl. nec posterorum Principum jus dete-  
rius potuit reddere.* At vero Ordines unquam  
hactenus dissensisse, nullo diserto indicio quis-  
quam probaverit : ne nunc dicam Ordinum  
5 consensu ad talia olim non fuisse opus. Sed  
& audivimus, per aliquot secula Comitatum  
perpetuo feudi nexu fuisse Imperio obstri-  
ctum. Utut igitur fortassis aliquando in illo  
nexu non fuisset ( quod tamen itidem osten-  
10 di non potest ) saltim à Friderici Barbarossæ ævo  
libertate illa perdita, jus clientelare Imperio ac-  
crevisset.

Falsum proinde est, quod dixerat secu-  
tus alios Grotius, Comitavam Hollandiæ di-  
gnitatem nunquam feudi vinculo Imperatori-  
15 bus paruisse. Comitum porro causas à Sena-  
tu Imperii ac Cæsare non fuisse dijudicatas, iti-  
dem falso asseri à Grotio, ex ipso Beka jam intel-  
leximus. Privilegia Brabantinorum non esse  
20 promulgata aut publicata in Hollandia, non ar-  
guit Hollandiam Imperii legibus non teneri :  
nec enim privilegia solent passim promulgari.  
Nec quod Philippus Leidius dixit, facit ad pro-  
bandam omnimodam libertatem : solet enim  
hoc

hoc pronunciarum de omnibus Imperii Principibus, quibus Regalia potissima à Cæsaribus concessa sunt.

Veriora sunt quæ subjungit Grotius: *Burgundos & Austriacos principes, quorum certior memoria est, compertum satis habemus, Cæsaribus fidem pro Hollandia non dedisse. Legibus autem judicisque Cæsarum & Imperii, quod precipuum est, subjectam non esse Hollandiam, Germani etiam ipsi confitentur.* Ita scilicet est. Primi Burgundi Principes non de Hollandia, non de aliis provinciis per Lotharingicum regnum longe lateque occupatis, fidem Cæsaribus juraverunt, ingente Imperii jurium dispendio. Sed & legibus ac judiciis Imperii, communibus quidem, una cum aliis Hollandia etiam soluta est. Forte tamen non ante transactionem cum Carolo V initam: de qua paulo post. At vero non debisset Grotius præterire, quod ipsi Burgundi & Austriaci Principes facti semper sint ultrò, Hollandiam cum Zelandia non minus ac reliqua illa Imperii esse membra, atque adeo Imperii finibus inclusa, etsi magnam libertatem

tem consecvuta. Vt proinde nequaquam audiendi sint qui Hollandiam & Zelandiam antiquitus jam extra Imperii limites fuisse positam jactitant, & vulgo persuadere annuntuntur.

Est autem par & HANNONIÆ ratio. Nam refert quidem Dinterus, eo quem supra laudavimus loco, ab Hannoniis Joanni Bavaro anno 1408 responsum esse, quod Romanorum Regi seu Imperatori in terra Hannoniensi nullum jus penitus competit, nec unquam competiit; quamvis verum sit quod in Romanorum Imperio est situata. Vulgo etiam jactitant illi Hannones: *Hannonia Dominus Deus & Sol.* Verum ipsa vocum absurditas illos ineptiarum convincit. Utique enim addicte semper coluerunt hactenus suos Principes: præter Deum itaque & Solem saltim Principes suos Dominos agnoscunt. Jam si Hannonia est intra fines Romanorum Imperii, ut ipsi fatentur, utique saltim aliquid juris in Hannoniam competit Cæsari capiti Romani Imperii. Non difficile vero esset ex monumentis omnis ævi deducere perpetuum jus clientelare

telare Imperii in Principes Hannonienses non minus ac modo in Hollandiæ Comites id demonstravimus. si opus foret. Verum satis est instituto nostro, quod ipsi hodieque Reges Hispaniæ, Hannoniæ perinde atque aliarum provinciarum nomine Imperio sese obstrictos fateantur: ceu mox patebit.

IN universum igitur licet pronunciate id quod ante professi sumus, omnes illas Belgicas provincias quæ in patrimonium Hispaniæ Regum denique pervenere, saltim donec Burgundos Principes acceperunt, in obsequio fuisse Imperii. Quamvis vero hi potentia sua freti Imperii jura multum debilitaverint, solito majore sibi libertate per vim parta: à Cæsaris tamen & Imperii Ordinibus nihil est injurium Burgundis remissum, quin imo hi in modum aliorum Principum ad Comitata Imperii eos vocavere, & Carolum Audacem turbantem res Imperii non dubitaverunt proscribere. Sed & Philippus quem Bonum sui cognominaverunt, vocatus ad aliquot Comitata Imperialia, aliis ipse interfuit, ad alia misit Legatos. Carolus à Cæsare petiit se Regem



gem Belgii declarari; non facturus, si existimasset Cæsari & Imperio regiones illas obnoxias non esse: quo erat elato animo. Quod Austriacos Principes attinet, usque adeo illi agnoverunt Imperii jura, ut Maximilianus Cæsar studiosè id egerit, quo omnes illæ regiones uno Burgundici circuli (ut loquuntur) titulo in corpus Imperii cooptarentur, constituta certa summa oneris in publicum conferendi, etsi vivo Cæsare non plene hoc omne fuerit constitutum. Non enim ex vero sed quodam ex odio potius, cum defuncto Maximiliano de successore Cæsaris deliberaretur, dixit Trevirensis Elector id quod apud Sleidanum legitur: *Cur autem ad nos magnopere Belgium pertinere putemus non video. Sunt quidem nobis vicini, sed societatem nobiscum aut fædus nullum habent, nec Imperii leges ad se quidquam pertinere ducunt, nec ad publicos usus quicquam contribuunt, non magis quam Britanni vel Scoti.* Ex affectu hæc inquam profluxerunt. Certum vero est, Carolo etiam Cæsare nomine et ex parte Domus Burgundica (quatenus Belgis scil. illa imperabat) *ordinatas et oblatas*

D d d d 2

latas esse personas tam ad Regimen Imperii quam ad Cameram Imperialem, quibus interdum vel per Carolum ipsum vel per ipsius majores subsidium et tributa sicut aliis Statibus imperata fuerunt, ut in pluribus recessibus et registris Imperii invenitur: quod Ordines Imperii, teste Carolo ipso, affirmavere, & bona profecto fide.

Quamvis porro Cæsare Carolo, plus solito libertatis indultum sit ab Imperio Belgicis illis provinciis, nec ita tamen plane sui sunt juris factæ. Id haud potest rectius disci, quam ex Tabulis pacti inter Carolum Cæsarem & Imperii Ordines initi, anno seculi superioris post quadragesimum octavo. Et vero sunt illæ omnium superstitem hodie Imperii jurium unicum fundamentum. Eoque ut ratio finium tanto rectius sibi constet, inseremus nunc illas hoc loco, quamvis prolixiores possint videri, quæ huc debeant transferri. Verba illarum in hunc sese habent modum.

I. Nos CAROLUS Quintus, Divina clementia Romanorum Imperator, semper Augustus; Rex Germaniæ, Castella, Legionis, utriusque

usque Sicilia, Jerusalem, Hungaria, Dalmatia,  
 Croatia, Navarra, Granata, Toleti, Valencia,  
 Gallicia, Majoricarum, Hispalis, Sardinia,  
 Corduba, Corsica, Giennis, Algarbia, Algeziria,  
 5 Gibraltar, Insularum Canaria, et Indiarum,  
 ac terra firma maris Oceani; Archidux Austria;  
 Dux Burgundia, Lotharingia, Brabantia, Sti-  
 ria, Carinthia, Carniola, Limburgi, Luxem-  
 burgi, Geldria, Calabria, Athenarum, Neopa-  
 10 tria, Wirtenberga, etc. Comes Habsburgi,  
 Flandria, Tirolis, Goritia, Barcinonis, Artesia,  
 Burgundia, Comes Palatinus, Hannonia, Hol-  
 landia, Zelandia, Ferretis, Kiburgi, Namurci,  
 Rosilionis, Carinthania et Zutphania. Lantgra-  
 15 vius Alsatia: Marchio Burgovia Oristani, Go-  
 tziani, et Sacri Imperii; Princeps Suevia, Ca-  
 talonia, Asturia, etc. Dominus Frisia, Marchia  
 Slavonica, Portus Naonis, Biscania, Molina, Sa-  
 lnarum, Tripolis et Mechlinia, etc.

20 II. Notum facimus universis, in presenti-  
 bus comitiis Imperialibus, habitis in Civitate hac  
 Augustana, inter cætera urgentia S. R. I. nego-  
 tia, significata nobis fuisse, scriptoque exhibita à  
 à Principibus Electoribus atq; communibus Sta-  
 Dddd 3 tibus

752 DE FINIBUS IMP. GERMANICI  
tibus ac Deputatis absentium, ea quæ à Consilia-  
riis Circularum circa negotium moderationis  
taxæ in ultimis Comitibus Imperialibus Worma-  
tiæ habitis discussa acta, sunt; atque inter alia  
mentionem in iis fieri, celeberrimæ felicissimæq; <sup>5</sup>  
recordationis Imperatorem Maximilianum,  
quondam Avum nostrum, instituisse Circulum  
Burgundia, eumque cæteris dicti S. R. J. Circulis  
inseruisse, eumq; sua taxa, quæ tunc definita et  
constituta fuit, inscribi curasse (prout hodieq; in <sup>10</sup>  
Registris dicti S. R. J. reperitur) atque etiam no-  
mine Provinciarum nostrarum Inferiorum at-  
que Burgundia, consenserit certam taxam im-  
poni iis, quæ à dicto S. R. J. dependent, atque ad  
illud spectare debent; quemadmodum id fusius <sup>15</sup>  
declararunt atque diductius explicarunt.

III. Item tempore felicissimæ recordationis  
Friderici, quondam Imperatoris, Philippum Du-  
cem Burgundia, tanquam Principem Imperii,  
convocatum esse ad aliquot Comitibus Imperialia, <sup>20</sup>  
ad quorum una miserit suum Cancellarium,  
in aliis ipse personaliter comparuerit. Præter-  
ea nomine & ex parte dictæ Domus Burgundi-  
cæ ordinatas & oblatas esse personas, tam ad Re-  
gimen

gimen dicti Imperii, quam ad Cameram Imperialem, quibus interdum vel per Nos, vel per Majores nostros subsidium & contributionem, sicut aliis Statibus, imperata fuerint, ut in pluribus recessibus & registris dicti Imperii invenitur. Propterea supplicare dictos Status, ut dictum Circulum Burgundicum, cum subsidiis & contributionibus S. R. I. dari solitis, in suo statu tanquam MEMBRUM dicti Imperii benigne velimus relinquere.

IV. Præterea, cum Ducatus Geldria, cum Comitatu Zutphania, plane ab Imperio dependant, cumque iidem in aliquibus registris contributionum dicti Imperii inveniantur, Nobis placeat clementer eis concedere, ut in tales contributiones ipsi consentiant.

V. Similiter faciamus cum Statibus Ultrajectensis patria; ut, quoniam ea sine contradictione ad dictum S. R. I. spectat, ab eoque ex antiquo dependet, solvant ultimam exactionem Imperii contra Turcam: item ut solvant communem pecuniam, & participent aliis contributionibus dicti Imperii, quandoquidem due hæc provinciæ, Geldria & Ultrajectum, comprehendantur in Circulo

Circulo Westphaliae; prout haec omnia Nobis representata sunt cum ampliori allegatione plurimum rationum.

VI. Sed contra, neque assentimur, neque assentiri possumus iis, quae per communes Status dicto modo Nobis proposita sunt: ac potius curavimus eis claram dari informationem Status ditiarum nostrarum Provinciaarum Belgicarum & Burgundiae; & inter caetera, non posse ostendi aut probari, fuisse unquam ex parte Provinciaarum patrimonialium Belgicarum aut Burgundiae datas ullas contributiones; quinimo illas ab omni tempore tum à dictis contributionibus, tum à constitutionibus ordinationibus jurisdictione & processibus dicti Imperii exemptas fuisse; dictumque Circulum Burgundicum ad exitum perductum non fuisse.

VII. Et quamvis dictus Philippus Burgundiae Dux, tempore dicti Friderici Imperatoris, Legatos suos ad comitia Imperialia miserit; ac ipsemet in aliis quibusdam comitiis comparuerit: id tamen factum esse ab eo voluntate libera non autem ex obligatione aut debito seu munere; ac potius ut satisfaceret solemnii voto subveniendi  
Provin.

Provincias Christianorum contra fidei nostrae ho-  
 stem, amissa antiqua & Imperiali Civitate ac  
 residentia Constantinopolitana; atque etiam ut  
 capita nationis Germanica incitaret ad subsidi-  
 um aliquod notabile pro recuperanda dicta Ci-  
 vitate Constantinopolitana, liberandisque bonis  
 Christianis Graecae nationis; etque hac in causa  
 sese quanta maxima fieri potuit diligentia u-  
 sum, prout haec aliaque huc spectantia si opus foret,  
 demonstrari possent.

IIX. Et quoad Ducatum Gelria jam Nos o-  
 stendisse Statibus communibus, agnoscere Nos  
 eum esse Imperii, & priusquam eum haud ita  
 pridem ad obedientiam nostram reduxissemus,  
 Nos eum in feudum accepisse ab Avo nostro  
 bona memoria Maximiliano Imperatore. Ve-  
 rum quoad contributionem à dictis Statibus di-  
 cti Ducatus Gelria, petitione communium Sta-  
 tuum Imperii scripto alias ipsis facta, solven-  
 dam, Nos declarasse, ejusmodi contributiones  
 nunquam antehac ab iis fuisse petitas, & multo  
 minus solutas: contra fuisse eos semper exemptos,  
 nullam unquam ea de causa molestiam passos;  
 rogantes, quandoquidem se nobis ea conditione

Eeeee

subdi-

subdidissent, ut eorum libertatem & immunitatem conservaremus; sineremusq; eos pacifice in possessione earundem permanere.

IX. Idem Nobis ex parte provincie Ultrajectensis significatum est; praesertim, nullum unquam subsidium, quo tempore Episcopi temporale dominium habebant, ab iis petitum, aut saltem acceptum, & juxta sua privilegia & veteres consuetudines se ad hoc minime teneri.

X. Et quamvis reperiretur, Ducatum Gelria cum Provincia Ultrajectensi fuisse in Circulo Westphalia comprehensum, iidemque Ducatus & Provincia recenseantur in contributionibus & matriculis Imperii, non ideo tamen sequitur, teneri & obligari ad solvendas dictas contributiones; quandoquidem tales Circuli initio tantum excogitati sunt ad personas Camerae Imperiali nominandas & praesentandas, Imperiumq; nunquam fuisse in possessione aut usu cognoscendi rem qualemcunque aut nomen dicti Circuli.

XI. Ac praeter haec, dictas Provincias patrimoniales ab omni antiquitate fuisse liberas & exemptas à jurisdictione Imperii, ita ut ille non minus quam caetera nostra Provincia Belgica,



in suis necessitatibus & indigentia nunquam, usq; in presens, protectionem, tuitionem, aut auxilium ullum à dicto S. R. I. habuerint, quemadmodum rationabiliter habent alii Imperii Status.

5 XII. Vnde concludi facile potest, dictas nostras Provincias non teneri suscipere in se, aut solvere ullas contributiones Imperii, & secundum equitatem in antiquis libertatibus & exemptionibus relinquendas esse.

10 XIII. Nihilominus pro singulari Nostro affectu erga S. R. Imperium nationis hujus Germanica, & quia mens Nostra nunquam fuit, rem ullam ipsi adimere, at potius id ipsum augere atque amplificare; illis significavimus, ad fovendum cum iis amicitia bonaq; vicinitatis commercium, Nos contentos fore, ut omnes Provincie nostra patrimoniales, simul cum Ducatu Gelria, Comitatu Zutphania, & Temporalitate Ultra-  
 15 jectina, ceterisque eo spectantibus Vasallis & Dominiis dictarum Provinciarum, quemadmodum jam à Nobis possidentur, omnes conjunctim Sub uno Circulo comprehendantur, aliquamq; pecunie summam contribuant; tantam nimirum, quanta esse potest contributio duorum

Principum Electorum, at ne ultra hanc onerentur: Et ut vicissim suscipiantur in protectionem, tutelam, conservationemq; S.R. Imperii, dummodo ipsa in rebus aliis maneant in omnibus suis Libertatibus, Juribus, appellationum Et jurisdictionis Exemptionibus.

XIV. Super qua ita fundata informatione, Et clementibus oblationibus, Electores, Principes, Et communes Status, etiam Consilarii Et Deputati absentium, ultiores conferentias Nobiscum iniverunt: Et post varia utrimque scripta, informationes, tractatus, Nobiscum sub conditionibus modisq; sequentibus concordarunt, capitularunt, transegerunt, Nosq; cum illis in virtute presentium harum litterarum, meliori Et validiori forma, modoque, quo fieri jure aut consuetudine posset, concordamus, capitulamur, Et transigimus.

XV. Nimirum Nos veros hereditarios Et supremos Dominos dictarum nostrarum Provinciarum patrimonialium Belgicarum, pro Nobis, nostris heredibus Et successoribus, simul dicta nostra provincia patrimoniales Belgica, nominatim Ducatus Lotharingia, Brabantia,  
Lim-

Limburgi, Luxemburgi, Gelria; Comitatus  
 Flandria, Artesia, Burgundia, Hannonia, Hol-  
 landia, Zelandia, Namurci, Zutphania; Marchio-  
 natus Sacri Romani Imperii; Dominia Frisia,  
 5 Ultrajecti, Transisalania, Groninga, Falcomon-  
 tis, Dalhemii, Salinis, Mechlinia & Trajecti, una  
 cum omnibus eorum appendicibus & incorpora-  
 tionibus, mediate & immediate, tam Ecclesiasti-  
 cis quam Secularibus, Principatibus, Pralaturis,  
 10 Dignitatibus, Comitatus, Baronis, & Domi-  
 nis ad ea pertinentibus, Vasallis & Appendici-  
 bus, futuros imposteriorum & semper sub protectio-  
 ne, custodia, conseruatione & auxilio Imperato-  
 rum, & Regum Romanorum, & S. R. I. eosque  
 15 fruituros Libertatibus & Juribus ejusdem, &  
 per dictos Imperatores & Reges Romanorum &  
 Status dicti S. R. I. semper, sicut alii Principes,  
 Status & membra ejusdem Imperii, defendendos,  
 conseruandos fovendos, & fideliter iuvandos.

20 XVI. Item, convocabuntur ad omnes con-  
 ventus & Comitata Imperialia, ut cum aliis Stati-  
 bus compareant, aut Deputatos suos, si eis visum  
 fuerit, mittant. Dabitur etiam illis, nostrisque  
 heredibus & successoribus vel Nobis, horumque

Deputatis, sessio & suffragium nomine dictarum  
Provinciarum tanquam Archiduci Austria.

XVII. Vicissim Nostro, dictarumq; Provin-  
ciarum nostrarum, subditorum & posterorum  
eorum consensu, debebunt dicta omnes Provinciae,  
cum ad conservationem & bonum S. R. I. atque  
etiam ad fovendam pacem & Justitiam necessa-  
rium erit, in omnibus communibus tributis qua  
quovis tempore à Statibus communibus Imperii  
concessa decretaq; fuerint, prestare & contribuere  
tantum, quanta duorum Principum Electorum  
contributio esse potest. Adeo, ut cum Elector unus  
prestabit ad contributionem centum florenos, aut  
cum centum equites & centum pedites mittet,  
Nos, heredes & successores nostri tenebimur pen-  
dere ducentos florenos, & ducentos equites, du-  
centosq; pedites submittere; idemq; in magnis &  
parvis subsidiis, augendo minuendoque cum pro-  
portione, servabitur, Nisi tamen casu aliquo  
Nos, aut dicta nostra Provincia hereditaria, ipsi  
milite indigeremus, aut alias consultius foret loco  
militum accipere pecuniam; qua eo casu, loco  
dictorum militum, prout subsidium concessum  
magnum parvumque fuerit, singulis mensibus  
persol-

persolvetur eo modo, quo Electores pro tempore militem, Capitaneos & Officiarios stipendio duplici, aut aliis solutionibus caterisque rebus alent.

XIIX. Tali quoque expressa conditione, ut si  
 5 citius seriusve contingeret dictos Status S. R. I. concedere pro majore aut minore subsidio, exigere communem aut certam pecuniam; Nos tamen & dicta nostra Provincia Patrimoniales, earumque subditi non teneantur, nec obligati sint,  
 10 exigere aut prestare dictam communem pecuniam; sed Nos nomine dictarum nostrarum Provinciarum patrimonialium Inferiorum prestemus tantum quantum duo Principes Electores Rheni (qui quoque tempore a dictis Statibus  
 15 denominabuntur) exigent & colligent, cum omnibus suis Provinciis subditis & adherentibus, atque ad nihil amplius quod ad dictam communem pecuniam spectat, per restitutionem ullam aut recessum, verbis clausulis aut derogationibus, vel  
 20 in genere, vel in specie, quocumque modo aut quocumque nomine, ulterius ullatenus tenebimur, sine consensu nostro dictarumque nostrarum Provinciarum; nisi conveniret, generalem expeditionem contra Turcam suscipere. Quo casu, Nos, dictaque  
 nostra

nostra Provincia tenebuntur prestare pro subsidio nostro non minus quam tres Electores, qui singulis viribus per communes Status Nobis denominabuntur & significabuntur.

XIX. Vicissim Nos, heredes & successores nostri, & suprascripta nostra Provincia, una cum omnibus Principibus, Prelatis, Comitibus & Vassallis ad eos pertinentibus, qui hucusque sub eis comprehensi fuerunt, nihilque S.R.I. solverunt, proprium Circulum habebunt, dictum, Circulum Provinciarum Patrimonialium Burgundiae, sub quo omnes comprehenduntur, etiamsi aliqui eorum antehac constituti & attributi fuerint aliis quibusdam Circulis.

XX. Item casu quo Provincia nostra patrimoniales Inferiores deessent dicta contributionis solutioni, eamve differrent, nec prestarent, aut solverent tempore praefixo, ob fatalem nostra solutionis & praestationis defectum; respondebunt in Camera Imperiali, ibique contra eos, sicut contra alios Status S.R.I. procedetur, ad cogendum ut solvant quod debent: sed excepto casu dicta contributionis, dicta nostra Provincia earumque subditi, manent omnino in pacifica possessione  
omni-

omnium & quarumcumque libertatum suarum, jurium, exemptionum, appellationum & jurisdictionum, nullo modo ad contraria coacti: nec gravabuntur aut molestabuntur subditi aut adherentes dictarum Provinciarum per mandata, citationes, admisiones appellationum, & aliorum processuum, omnium aliarum, cujuscumque sint nominis, materiarum, nulla excepta, nisi in causa dicta contributionis; eruntque exempti & liberi à dicta jurisdictione nostra & S. R. I. sive in prima sive in secunda instantia.

XXI. Item, dicta Provincia nostra patrimoniales inferioris Burgundia, cum suis pertinentiis, erunt manebuntque perpetuo Provincia & Principatus omnino liberi, & non subditi, ac à Nobis tanquam ab Imperatore, atque ab aliis omnibus futuris Imperatoribus ac Regibus Romanorum, ab Electoribus etiam Principibus & Statibus S. R. I. agnoscentur pro Provinciis Principatibus, & Supremitatibus liberis, & non subditis, ita ut deinde pro adeptione dictarum contributionum, sicut hic supra & infra scriptum est, non trahantur, nec vocentur ad jus & jurisdictionem S. R. I. Similiter, ut in nulla re ad or-

Effff

dina-

dinationes, constitutiones, recessus S. R. I. ulterius quam hic supra & infra dictum est, obligentur; dummodo tamen dicti Principatus & Provincia, in quantum earum aliqua dependent à Feudo S. R. I. imposterum debite recognoscantur, & releventur, & in feudum à S. R. I. ut ex ante in presens factum est, recipiantur.

XXII. Ulterius, status & subditi omnium nostrarum Provinciarum patrimonialium tenebuntur observare, & manuteneve constitutionem pacis publicæ, dictam Landfried. Quique ad S. R. I. attinent, cum in Provincias nostras Inferiores venerint, suave bona in iis possederint aut habuerint, comprehenduntur in protectione patrociniis & libertatibus earum, & conformiter cæteris dictarum Provinciarum subditis manutenebuntur & servabuntur, & ad jus æquum obtinendum jurabuntur.

XXIII. Et vicissim incola dictarum Provinciarum nostrarum Inferiorum protectionem & patrociniis habebunt in dicto S. R. I. sicut Status & subditi ejus. Ita, ut si cui ex Imperio, aut ex dictis Principatibus & Provinciis, & earum subditis, aliquid contra dictam Landfried

veni-



veniret; aut si quis aliis quibuscumq; rebus pre-  
tenderet habere in alium actionem: is tum tene-  
bitur eum, ut oportet, coram superioritate Ordi-  
naria, & in foro ejus, qui pacem fregit, aut ejus  
5 qui postulatur, reum agere; debetq; ibi jus suum  
persequi: jusq; ei ibidem prompte recteq; dicetur,  
atque ita utrimque aequalitas servabitur.

XXIV. Modo quo dictum est, Nos nomine  
supradictarum aliarumq; nostrarum Provin-  
10 ciarum Patrimonialium, cum Electoribus, Prin-  
cipibus, & communibus Statibus S. R. I. clemen-  
tissime, itq; Nobiscum nomine S. R. I. matura &  
plena deliberatione humiliter concordarunt, ca-  
pitularunt, & transegerunt. In quam transa-  
15 ctionem Nos quoq; per Nos & Provincias no-  
stras Patrimoniales, liberos quoq; nostros, eorun-  
demq; successores: similiterq; per dictos Electro-  
res, Principes & communes S. R. I. Status, nomi-  
ne dicti S. R. I. consentientes, eamque acceptantes,  
20 promittentesq; eam servare, definimus, promitti-  
musq; juxta hec, verbo Imperatoris, pro Nobis,  
liberis nostris, & successoribus, & pro omnibus no-  
stris Provinciis patrimonialibus Inferioribus &  
Burgundia, Nos dictam transactionem, concor-

dationem, & capitulationem in oranibus & singulis suis articulis & capitulis, in ea contentis, Nosq; & nostros concernentibus, debere, & velle rata firma & stabilia habere, & inviolabiliter observare & adimplere, sine contra-ventione ulla, nec permittere ut nostri iis contra-veniant. Et quicquid contra supradictam tractationem vel capitulationem factum, ordinatum, statutum, aut impetratum fuit, vel in futurum fiet, ordinabitur, statuetur, obtinebitur, aut impetrabitur, non poterit allegari, nec usui esse in contrarium; sed erit manebitq; sine ullo vigore.

XXV. Similiter omnes postulationes, quas Nos, aut status nostri habere pretendimus, ratione subsidiorum & contributionum prateritarum, mortua, sopita, extincta & sine ulla vincula, & nullius effectus erunt; sicut etiam Nos, consultu & consensu supradicto nostrorum Principum Electorum, Principum & Statuum, eas per has de certa nostra scientia & plenaria potestate Imperiali declaramus, vim nullam & nullum vigorem habere, sed cassas nullas & nullius effectus permanere debere.

XXVI. Et vicissim pro majori securitate,

S.R.I.

S. R. I. & Statuum ejusdem promittimus Nos, ratificationem & consensum, dictarum nostrarum Provinciarum Patrimonialium Inferiorum & Burgundia, dictis Statibus Imperii, aut eorum nomine, Reverendissimo nostro S. R. I. Principi Electori, & Archiepiscopo Moguntino tanquam Archicancellario, sub sigillis quatuor precipuorum Prelatorum, dictarum nostrarum Provinciarum patrimonialium, quatuor item precipuorum Dominorum, & quatuor precipuarum Urbium, nomine omnium Provinciarum, & eas attingentium, intra annum ut quam maxime sero, post datas presentes prabituros.

XXVII. Et Nos Electores, Principes, & Status communes, S. R. I. Consiliarii item & Deputati absentium, prout omnes comparuimus in hisce comitiis Imperialibus, & Denominati, Specificati sumus in recessu eorum, fatemur pro Nobis posteris & successoribus nostris, similiter pro Dominis & Principalibus nostris, posteris & successoribus eorum, dicta, concordatum, capitulationem & transactionem, facta esse de scientia & consensu nostro; ideoque promittimus pro Nobis, posteris & successoribus nostris, sub honore & verbo Prin-

bo Principis & fide bona, omnes & singulos Articulos, & capita in iis contenta, que Nos & dictum S. R. I. concernunt, Nos fideliter & firmiter tenturos, observaturos, & impleturos sine contradictione, nec contra facturos aut molituros; nec ullatenus ut id alii faciant, passuros; id reservantes, ut presens tractatus & consensus non importet prejudicium, nec per eum quidquam S. R. Imperio, quoad terras que antehac ad illud pertinuerunt, neque quoad communes & 10 particulares Status ejusdem; Similiter nec Provinciis Patrimonialibus Inferioribus & Subditis Caroli Imperatoris; excepto eo quod presenti tractatu continetur, & omnibus aliis modis, qui eorum supremitates, dominia, libertates, jura, an- 15 tiquas consuetudines & usus concernunt.

XXIIX. In quorum testimonium Nos Carolus Imperator, tam nomine Imperatoris Romanorum, quam etiam nomine veri & supremi Domini dictarum nostrarum Provinciarum 20 patrimonialium, sigillum nostris his apponendum cura curavimus; quarum due ad unum exemplum facta sunt.

XXIX. Et Nos Sebastianus D. G. Archiep. Mogun-

Moguntinus, Archicancellarius S. R. I. Et Fridericus Comes Palatinus Rheni Dux Bavaria, Archidapifer S. R. I. ambo Principes Electores pro Nobis & reliquis Electoribus; & Nos Ernestus confirmatus Archiepiscopus Argentinen-  
sis, & Wilhelmus Comes Palatinus Rheni, Dux Bavaria superioris & inferioris, pro Nobis & aliis Principibus tam Ecclesiasticis quam Secularibus, Geruvinus Abbas Vingartensis, &c.  
pro nobis & aliis Prelatis; Fridericus Comes de Furstenberg, &c. pro nobis & Comitibus & Baronibus, Et nos Consul & Consilarii Civitatis Augustana pro nobis & aliis Urbibus liberis & Imperialibus, ad requisitionem & preces Nobis per Electores Principes & Status S. R. I. factas, nostra quoque sigilla poni & affigi curavimus presentibus hisce litteris datis in Vrbe nostra Augustana die Martis 26 Mensis Junii Anno a nativitate Domini MDXLIX & Imperii nostri anno XXIIIX. Regnorum nostrorum XXXIII. Ita signatum: Carolus, Sebastianus Archiepiscopus Moguntinus per Germaniam Archicancellarius, & per ordinationem Imperatoris I. Obernburger.

Haecte

Haecenus illæ Tabulæ : quæ anno ejus-  
 dem seculi LX sunt confirmatæ. Quoniam  
 vero nonnulla in iis reperire est quæ videri  
 controversa queant, fuerit haud abs re ex  
 Paulo Matthia Wehnero audire, quid ho-  
 die cum alibi tum in Spirensi summo Imperii  
 judicio observetur. Habentur illa tomo sex-  
 to Symphorematis supplicationum cap. se-  
 cundo fol. 39. *Ducatus Burgundia non modo*  
*peculiaris circulus est Sacri Romani Imperii*  
*der Burgundische Kreis / Reichs. Abschied zu Niu- 10*  
*renberg de Anno 1522. fol. 3. sed & ipse Dux Bur-*  
*gundia sub tutela & membris Imperii compre-*  
*hensus in Comitibus sessionem atque votum habet,*  
*sicut Archidux Austria. Et isti aber den gemet- 15*  
*nen Pfennig zu sänden nicht schuldig / sed tantum*  
*contribuit quantum duo Electores. In expedi-*  
*tione contra Turcam tantum prestat, quantum*  
*tres Electores. Si cessat contribuere, potest con-*  
*tra eum in Camera Imperiali per Fiscalem pro- 20*  
*cedi: in reliquis à Camera jurisdictione immu-*  
*nis ac exemptus est. Imperii tamen feuda ab*  
*eodem recognoscere & constitutionem de pace*  
*publica servare tenetur. Nam Dux Burgundia*  
pro

pro sua persona tanquam vasallus Imperii Ro-  
 mani non est exemptus, si delinquat & frangat  
 pacem publicam contra statum Imperii. Ideo  
 contra eum & officiales ejus in Camera Imperia-  
 li processus decerni possunt. Tilman. de Benign.  
 5 in Apospasm. in inter observ. suppl. cent. obs. 64.  
 fol. 13. Vide transactionem Burgundicam in ma-  
 gnis Comitibus Augusta Vindelicorum, Anno  
 1548. inter Carolum V Imp. & Status Imperii  
 10 editam ac erectam, & postea anno 1560 confir-  
 matam. Juxta quae pacta & transactionem et-  
 iam subditi Regis Catholici Hispaniarum, quoad  
 constitutionem pacis publicae, jurisdictioni Ca-  
 mera Imperialis sunt subjecti. Gilman. to. 2. Sym-  
 15 pho part. 3. tit. 4. suppl. 3. fol. 78. pr. Nec ob-  
 stat, quod Mynsingerus cent. 5. obs. 58. num. 2.  
 Gail. l. 1. de pace publ. c. 11. n. 6. Gilhaus. in Arb.  
 jud. c. 4. ram. 1. §. 13. n. 3. f. 163. & alii quidam so-  
 lam domum Burgundicam etiam in hoc casu  
 20 cum suis Ducatibus & dominiis liberam adse-  
 rant, ex privilegio d. Concordiae A. 1548. erectae,  
 qua cautum ut subditi Ducis Brabantiae in cau-  
 sa violata pacis à loco domicilii non evocentur,  
 sed coram iudice loci ordinario ad pœnam banni

Ggggg

&amp; juris

Et juris communis convenientur. Quia hoc ad-  
 miratione satis dignum Et iniquum videtur.  
 Petr. Frider. Mindan. l. i. de process. in Camer.  
 extrah. cap. 22. n. 1. Quid enim aliud est à le-  
 gibus pacis publicæ eximere, quam in communis  
 Reipublicæ socios armare, Et quasi fenestram  
 aperire ad vis publicæ exercitium? Et exemplo  
 perniciosum videtur, publicæ tranquillitatis tur-  
 batores, tanquam communis patriæ hostes, à Ca-  
 sarei Numinis jurisdictione eximere, fori privi-  
 legiis muniendo. Unde etiam Principes istam  
 Concordiam aliquoties impugnarunt, Et in Ca-  
 mera contra Regem Hispaniarum tanquam  
 Burgundia Ducem mandata de non offendendo  
 decreta. Ut, ultra supra dicta in causa, Dierich  
 von Gellern contra d. Regem ubi cum Reserens  
 mandatum de non offendendo bey etner uambaffi-  
 ten Pein decernendum diceret, alius dominus  
 communi forma decernendum evincebat: se  
 enim Anno 1550 interfuisse dem Fürsten Rath/da  
 die Burgundischen Verträge nicht allein impugni-  
 ret sondern gar für nichtig gehalten. Cui alii adde-  
 bant, utut transactio valeret, eam de subditis  
 Ducis saltem intelligendam. Burgundia vero  
 Ducem



Ducem pro sua persona tamquam Imperii vassallum, non esse exemptum, idque recte. Nam & in eam sententiam, quod pacem publ. servare teneatur, prædicta transactio Anno 1560 confirmata, ut supra dictum, & notavit Frid. d. n. i. Ac, quod dicta transactio Burgundica de subditis Burgundia intelligenda sit, quodq; agat tantum de mere personalibus non realibus, scribit Tilman de Benign. loco supra allegato fol. 15. Ex  
 10 constitutione tamen pignorationis contra Dominum Burgundicam, processus in Camera non decernuntur, ex speciali transactione Ducis Burgundie cum Romano Imperio: quæ hodie etiamnum in Camera in viridi observantia habetur.  
 15 Tilman. de Benign. in Apostasim. 50 de Impetr. process. observ. 4. fol. 50.

Hæc omnia Wehnerus. Et vero hunc in modum hodieque regiones illæ, quæ quidem parent Hispano, sese habent. Memorat Thuanus l. xvi, Carolum Cæsarem cum Ferdinando  
 20 fratre egisse, ut ipse & Maximilianus filius Philippum Caroli filium Imperii per Italiam, & Belgium cum plena potestate Vicarium constituerent; sed hos non assensos, quod dixerint,

774 DE FINIBUS IMP. GERMANICI.  
tantum de Cæsarea dignitate ac maiestate,  
quam integram & illibatam tueri recepissent,  
decessurum, quantum ex ea alteri concessissent.  
Quod hoc loco repetere fortassis haud est a-  
lienum. 5

QUAMVIS VERO ita olim cautum fuerit Im-  
perio, & huc usque ea qua diximus ratione ha-  
beant sese regiones illæ Belgicæ quibus etiam-  
num Hispanus imperat: post Carolum tamen  
Cæsarem ea tempestas Belgium illud excepit,<sup>10</sup>  
ut denique septem longe nobilissimæ & poten-  
tissimæ provinciæ, sceptro Hispanico abjecto,  
in libertatem ita sese asseruerint, ut simul etiam  
omne exuerint Imperii obsequium: Hollandia  
scilicet, Zelandia, Geldria cum Comitatu<sup>15</sup>  
Zutphaniensi, Westfrisia, Trajectina regio, Tran-  
sifalania, & Groningensis ditio. Nec enim  
post annum superioris seculi octogesimum  
primum, quo Hispano sese subdixerunt, Impe-  
rio se quidquam amplius debere videri volue-<sup>20</sup>  
runt, suntque passim per omnem terrarum or-  
bem à potentissimis Regibus habitæ & cultæ  
quasi sui sint juris, nec ulli Principi superiori ob-  
noxia. Hinc ne à Cæsare quidem titulum di-  
lecto-

*lectorum fidelium* dari sibi passi sunt amplius, nec à Principibus Imperii æstimari ullo indicio in censu eorum qui Imperio sunt obnoxii. Idque obtentu vel priscae exemptionis ab Imperio, vel armis sibi partæ libertatis interim dum ab Imperio desererentur. Quod tamen fortassis mirere, inter eos nonnullæ urbes nummos suos Imperii aquila & Cæsareo nomine, perinde ut olim fecerunt, etiamnum insigniri curant. Sed & non adeo pridem, Hispano plene jamdudum exacto, seriò in Provincia- rum conciliis deliberatum, de reditu in corpus Imperii Germanici. Qua de re prudens epistola summi viri Hugonis Grotii, inter opu- scula ante biennium Amstelodami curante Isaaco Grutero publicata, comparet. Cæte- rum in universum omnes ab Imperii obsequio sese liberos, illo quem diximus obtentu, ven- ditare, certum est. Ab Hispano ipsomet con- fessionem remissi omnis juris quod in provin- cias illas quondam habuit, tandem impetra- tam esse, notum jam itidem in vulgus est. Nec enim est cur amplius attendantur tabulæ illæ ambiguae pactarum induciarum, quæ seculi

Ggggg 3

hujus

hujus anno nono in duodecim annos fuerunt  
 initæ : posteaquam nuper adeo Monasterii  
 Westphalorum claris & perspicuis verbis id  
 pactis æternæ pacis pronunciatum est. Pro-  
 misit porro Rex Hispanus in iisdem chartis  
 capitulo quinquagesimo tertio, sese daturum  
 operam, ut tam Cæsar quam Ordines Impe-  
 rii declarent amicitiam & bonam vicinitatem  
 cum Provinciis illis foederatis sese observatu-  
 ros. Est autem talis professio simul tacita for-<sup>10</sup>  
 tassis quædam omnium superioritatis iurium  
 renunciatio. More sane gentium receptum  
 est, vicinitatem & amicitiam colere non nisi  
 cum eo in quem nihil tibi superioris juris est.  
 Et vero Cæsar noster declarationem ejus-<sup>15</sup>  
 modi ipso anno constitutæ pacis edidit.  
 Factum fortassis idem jam est ab Imperii Ordini-  
 bus : nec tamen certo affirmaverim. Si sane  
 & Ordines in id consenserint, jam fortasse se-  
 ptem illæ nobilissimæ Provinciæ finibus Impe-<sup>20</sup>  
 rii subductæ sunt, nec est quæ amplius dispu-  
 temus, jure an injuria ab Imperii obsequio illæ  
 desciverint.

Tantum

Tantum obsignabimus igitur hanc disquisitionem literis Augustissimi Caesaris nostri, quæ ad omnem posteritatem sane sunt memorabiles. Sunt autem hæc. *Ferdinandus Tertius*, divina favente clementia *Electus Romanorum Imperator semper Augustus*, ac *Germania Hungaria, Bohemia, Dalmatia, Croatia, Schlavonia &c. Rex; Archidux Austria, Dux Burgundia, Brabantia, Styria, Carinthia, Carniola; Marchio Moravia; Dux Luxemburgia, ac Superioris & Inferioris Silesia, Wirtembergæ, & Teckæ; Princeps Suevia; Comes Habsburgi, Tyrolis, Ferritis, Kiburgi & Goritia; Landgravius Alsatia, Marchio Sacri Romani Imperii, Burgovia ac Superioris & Inferioris Lusatia; Dominus Marchia Schlavonica, Portus Naonis & Salinarum.* Agnoscimus & notum facimus tenore presentium universis; Quod, cum Nobis ex parte Serenissimi Hispaniarum Regis Catholici & Consobrini, Generi & Fratris Nostri Charissimi, demisse fuerit expositum, in pace nuper inter Serenitatem suam ex una atque Status & Ordines Generales Fœderatarum Belgii Provinciarum ex altera parte, Deo bene juvante,

conclusa ac publicata, inter alia contineri Articulum, ordine quinquagesimum tertium, hujus, qui sequitur, ex Gallico in Latinum translatis tenoris.

- Dictus Dominus Rex obligat se effective
- ad procuracionem continuationis & observacionis Neutralitatis, Amicitia & bona vicinitatis ex parte sua Casarea Majestatis & Imperii,
  - cum dictis Dominis Ordinibus: ad quam continuationem & observacionem predicti Domini Ordines reciproce pariter se obligant. Sequeturque
  - super eo confirmatio sua Casarea Majestatis intra spacium duorum mensium, ex parte vero Imperii intra annum à conclusione & ratificatione presentis Tractatus.

Ac proinde supplicatum, ut Nos pro nostra parte dictum Articulum clementer approbare, ratum habere atque confirmare dignaremur. Nos re mature ac diligenter deliberata, pro singulari ac propensissimo nostro in pacem qua qua versum promovendam ac propagandam studio, in ejusmodi petitionem clementer annuerimus, dictumque Articulum ejusque contenta quatenus ea ad Nos pertinent, pro Nostra

part

parte approbaverimus, ratificaverimus & confirmaverimus, prout hisce ex certa scientia, auctoritate nostra Imperiali approbamus, ratificamus & confirmamus. Eadem auctoritate & scientia volentes declarantes & statuentes, quod non modo Nos contra eundem Articulum ejusque contenta, quatenus ea ad Nos pertinent, directe vel indirecte nihil committere, sed nec ab aliis fieri vel committere velimus. In cujus rei fidem <sup>10</sup> presentes manu nostra subscripsimus, & sigilli nostri Casarei appensione communiri fecimus; que dabantur in Arce Nostra Linzii: sexta Julii; anno Domini millesimo sexcentesimo quadragesimo octavo; Regnorum Nostrorum Romani <sup>15</sup> Duodecimo, Hungarici Vigesimo tertio, Bohemici vero Vigesimo primo.

Ferdinandus.

Ferdinandus Comes Curtiu.

<sup>20</sup> ~~...~~ VI.

Ad mandatum Sacrae Cas. Majestatis  
proprium, signatum erat

J. Walderode.

Hhhhh

Haete.

Hactenus literæ Cæsareæ: quas per Antonium Brynium Legatum Hispanicum Ordinarium, Hagæ Hollandorum, Concilio Ordinum Generalium foederatarum provinciarum, anno sequente, post quadragesimum nono die XXII Octobris oblatas esse, in libro Concilii illius Aetorum publico annotatum est.

## CAPUT XXIX.

*Bohemia Regnum cum Silesia Moravia & Lusatia Finibus Imperii hodieq; includi: Poloniam vero Masoviam Prussiam & Livoniam, videri illis excidisse.*

**T**Res in partes inter filios totidem Ludovici Pii omne quod tunc erat Francorum Imperium divisum, & præter eam quæ Ludovico cecit illam etiam quæ Lotharii fuerat in ditionem Imperii Germanici transfuisse, pene sub initium operis diximus. Proxime nunc Italici, Burgundici, & Lotharingici Romani Imperii, simulque proprie ita dicti Francorum, sive ejus quæ Lothario quondam obtigit partis limites, quales illi à temporibus Friderici II, Cæsaris usque huc sese habue-



habuerint, perlustravimus. Consequens igitur est, ut tandem aliquando in Ludovici patrimonium, atque adeo Germanicum, sive ( ut olim fuit appellatum ) Orientale Francorum  
5 Regnum reversi, in hujus quoque fines, ab eadem Friderici Cæsaris ætate repetito negotio, inquiramus. Audivimus vero jam tum, Germanorum industria, cum ante Fridericum tum circa illius ætatem, ut & paulo post, Regno huic multa adjecta, & vim ejus longe lateque  
10 porrectam, ea tamen fortuna, ut Dania & Hungaria jam ante Fridericum suo sint juri redditæ, in solam Poloniam nonnihil noviter partæ auctoritatis adhuc superstite. Commode ergo  
15 partiri ita disputatio poterit, ut ante omnia quidem ea quæ jam olim à Francis possessa, inde ea quæ ante Friderici ævum, & denique ea quæ illius ævo aut paulo post in ditionem Imperii sunt redacta, quibus finibus contineantur, inve-  
20 stigemus.

Ut de iis quæ primi sunt ordinis multum agamus, necessum non est. Si enim excipias de quibus modò verba fecimus, Belgico-Germanicas foederatas, & quæ cis Ursam & Rhenum  
Hhhhh 2 amnes

amnes sunt Helvetici & Rhætici foederis provincias, citra controversiam pene omnia & legibus & oneribus iisdem publicis obnoxia sunt, unumque reipublicæ ac civitatis corpus propius constituunt. Nam & illa quæ nuperrime Regno Sueciæ æterno pacto asserta sunt, intra limites tamen Imperii & illius quod dixi communis corporis permanere: quod cum ex Tabulis Pacis iunitæ, tum aliunde omnibus hodie est notissimum. Unum BOHEMIÆ Regnum cum annexa sibi Silesia Moravia & Lusatia, quoniam ab oneribus reliquæ Germaniæ ferendis est solutum & præ aliis magis suæ spontis, non nihil heic turbat: quibusdam Bohemorum ausis plenam & ab Imperio non dependentem Regno illi libertatem adscribere. Itaque de uno illo paucis disputandum fuerit.

At vero Bohemorum illa tempora quæ Fredericum II Cæsarem antecesserunt, non est quod nos multum morentur. Usque enim adeo certum pariter notumque est, saltim ad illam ætatem, à Carolo Magno usque, Bohemiam omnem tributariam fuisse Imperio, & Principes illorum Imperatori Germanico fuisse obno-

obnoxios, ut id probare supervacuum supra duxerimus. Tantum igitur satis est, breviter nunc ex monumentis antiquis quædam in memoriam quasi revocare, quo major lux affulgeat iis quæ post Fridericum II contigere. *Primum*, itaque Caroli Magni auspiciis seculo nono à filio ejus Carolo devicti sunt usque adeo Bohemi, ut annum tributum pendere more aliorum Slavorum coacti sint. Et vero id præstiterunt florente familiæ illius Carolinæ potentia. Illa deficiente & tandem emortua, denuo sub idem jugum redacti ab Henrico Aucupe & filio ejus Ottone Magno: nec onere hoc soluti sunt nisi per Fridericum II Cæsarem seculo tertiodecimo: quo de paulò post. Huc sane pertinet quod Brzetislaus I anno 1042 cum Consiliariis suis & Primatibus Bohemicis provinciam illam totam Imperatorum fiscum esse confessus est. *Secundo* Bohemorum Duces ad Cæsarem iusta non minus atque alii Principes Imperii arma expediverunt, aut comœatu juverunt Imperii exercitus. Posterius enim factum jam est Carolo Magno Cæsare. Militaverunt vero

Hhhhh 3

cum

cum alii tum inprimis Sobieslaus Contado in Saxonia, Vladislaus & alter Sobieslaus Friderico I in Insubria, Brzetislaus Henrico VI in Lufatia, Wenceslaus II denique Friderico II Cæsaribus. *Tertio* iidem Duces Germanicos Cæsares Dominorum titulo semper honoraverunt: idque disertim memoratur de Boleslao Sævo, utroque Brzetislao, & Friderico, postquam ad officium redierunt domiti à Cæsaribus. *Quarto* vocati iidem Duces ad curiam Cæsaream comparuerunt, causas suas dicturi. Sic Ludovico Pio adfuit Francofurti cum muneribus Neclanus, Ratisbonæ Henrico Aucupi Wenceslaus quem Sanctum cognominant, Jaromirus & Uldricus Henrico II, Sobieslaus I Bambergæ Lothario Saxoni, Vladislaus Roncaliis Friderico I, Eidem Norimbergæ Fridericus, Premislus Philippo Moguntiaë, & Friderico II Basileæ Wenceslaus II. *Quinto* Multi Ducum, invitis etiam & reluctantibus Bohemis à Cæsaribus dati sunt, donec populo eligendi facultas per Philippum reddita, sed confirmandi investiendique auctoritate Cæsaribus supersti-

perstite. Ita enim Vldricus I ab Henrico II,  
 Borzvogus II Vldricus II & Vladislaus ab  
 Henrico V Cæsare, Vladislaus postea Rex à Con-  
 rado, Sobieslaus II & Fridericus à Friderico Bar-  
 barossa, Henricus Brzetislaus ab Henrico VI,  
 5 Wenceslaus I à Friderico II creati sunt.  
 Sexto Ipsum Regium nomen solo Germanico-  
 rum Cæsarum beneficio Bohemis obtigit, &  
 quidem ita ut primum personalis duntaxat illa  
 10 dignitas fuerit, à Cæsarum nutu dependens, do-  
 nec eam perpetuam fecit Cæsar Philippus an-  
 no MCXCIX. Nec vero antehac nomen illud  
 impetravere, nisi ab Henrico I (si fas est crede-  
 re) Wenceslaus Sanctus, ab Henrico IV Wra-  
 15 tislauus Justus, à Friderico I Wladislaus. Quæ  
 omnia non tantum Germanicorum sed & Bo-  
 hemicorum scriptorum veterum testimoniis  
 probare in facili est, & jam tum cum ab aliis  
 tum à Goldasto præclare ostensum. Sole au-  
 20 tem clarius utique exhibent hæc Imperii in Bo-  
 hemiam, saltim ad Fridericum usque II perpe-  
 tua jura.

Bohemiæ vero fortunam MORAVIA  
 haud dubie comitatur. Etenim Moravorum  
 omne

omne Regnum jam à Carolo Magno leges accepisse, & Arnolphi Cæsaris jussu proscripto ultimo Rege Zuentepolco, in partes discerptum à Polonis & Vngaris aliisque occupatum esse, jam tum supra narravimus. Quod hodie quoque nomine illo audit non nisi illud est quod Polonis tum occupatoribus cessit. Id vero seculo undecimo Vldricus & Brzetislaus Duces, faventibus Cæsaribus, ereptum Polonis Bohemiæ vindicaverunt, atque ita Moravia ista Bohemorum quasi provincia facta fuit. Quo de ne dubitemus, effecit consensus Bohemicorum pariter & Polonicorum scriptorum.

LUSATIAM itidem omnem à Carolo Magno subactam esse, jam tum diximus. Illius ea pars quam Inferiorem appellitant quum in Germanici sanguinis Principum dudum fuisset potestate ex Cæsarium beneficio, anno 1075 Cæsaris Henrici *IV* dono, in præmium navatæ variis bellis operæ, Wratislao Bohemorum tum Regi & Bohemis in perpetuum jus est tradita: atque adeo nec ipsa Imperii finibus excidit. Quinimo cum ab aliis aliquandiu fuisset occupata, Ludovici *IV* Cæsaris bene-

beneficio Joanni Regi est reddita. Superior, sive Hexapolis, Bohemici juris fuit usque ad annum seculi decimi sexagesimum quintum, quando in dotem Misceconi Polono cessit. Ab iis ad Brandeburgicos Marchiones devenit, & Joanne demum Rege, itidem Ludovici IV Cæsaris auctoritate, seculo quartodecimo rediit in Bohemicum corpus. Hautdubie itaq; & Lusatia saltim ad Fridericum II Cæsarem, ab ævo usque Caroli Magni finibus Imperii fuit comprehensa.

Igitur si Bohemia una cum Moravia & Lusatia desit esse in ditione Imperii, id factum fuerit oportet à seculo usque tertiodecimo. Et vero una cum titulo illo perpetuo Regio integram libertatem Bohemiæ redditam, sunt qui affirmant. Verum enim vero tametsi solito maiorem dignitatem Bohemiæ Reges acceperint à Philippo & Friderico Cæsaribus, tamen vel ipsæ illæ tabulæ Friderici II Cæsaris anno MCCXII exaratae satis roborant Imperii jura. Diserte siquidem in illis est cautum: *Quicumque ab iis (Bohemis scilicet) in Regem electus fuerit, ad Imperatorem accedat* REGALIA DE-

Iiiji

BITO

**BITO MODO RECEPTURUS.**  
 Quotiescunque etiam Comititia Imperii fuerint  
 instituta Bambergæ, Norimbergæ, & Mersbur-  
 gi, Reges teneri in Curia comparere si vocen-  
 tur : trecentos itidem cataphractos submitti  
 à Regibus debere, Romam Coronæ Cæsareæ  
 causa profecturis electis Imperatoribus. Quic-  
 quid præterea ipsis immunitatum à Friderico est  
 datum, privilegii tantum modo illis concedi,  
 proditur : quod ipsum à pleno jure multum  
 est diversum. Jam vero notum est nec nega-  
 re possunt Bohemici, ab ipso illo Friderico  
 Cæsare anno MCCXXVI Wenceslaum pri-  
 mum, Ottocarum secundum à Richardo anno  
 M C C L X I I, iterum à Rudolpho anno  
 MCCCLXXVI, Wenceslaum secundum anno  
 MCCXCII ab Adolpho, Joannem ab Henrico  
 VII patre anno MCCCX, Georgium anno  
 MCCCCLIX, & Vladislaum anno  
 MCCCCLXXVII, Ferdinandum I à fratre  
 Carolo V anno MDXLI, Matthiam à Rudol-  
 pho II fratre anno MDCLIX, Ferdinandum se-  
 cundum anno MDCXVII à Matthia Cæsare, a-  
 lios ab aliis, Regalibus beneficiis investitos esse.  
 Hinc



Hinc ipso illo seculo tertio decimo & gloriati sunt ipsimet Reges titulo Principum Imperii, & à Cæsaribus illo affecti. Refert Gevvoldus I. de Septemviratu cap.9. Tabulas Rudolphi I. Cæsaris scriptas Erphordia anno MCCXC quæ & alibi passim produci solent, de dignitate Pincernatus : ubi Cæsar Wenceslaum Regem appellat *Principem & filium carissimum*. Ipse Wenceslaus in illis Tabulis ab eodem Gevvoldo ex autographo descriptis Iese nuncupat : *Sacri Romanæ Imperii Principem & Pincernam*. Quo pertinent & illa à Gevvoldo annotata : *Principem Imperii & Germaniæ Statum esse Regem Bohemia, docent inter cetera, Imperatorum documenta, quæ in Bohemia concepta vice Archiepiscopi Moguntinensis, Archicancellarii Germaniæ, subscripta & recognita fuerunt, & adhuc hodie recognoscuntur & subscribuntur à Vicecancellariis aula Cæsarea*. Spectans huc & Carolus IV Cæsar, iis tabulis, quibus Tabulas Friderici II auctoritate Cæsarea confirmavit, Regnum Bohemiæ professus est esse *nobilis S. R. Imperii membrum*. Adhoc, dum & Cæsar Carolus IV & Proceres

Bohemiæ auctoritate Imperii Principum fecerunt anno MCCCXLVIII Tabulas Friderici II confirmari : agnoverunt utique eo ipso Imperii in Bohemiam jura. At vero nonnulli Cæsarem Friderici illas tabulas non habuerunt ratas, quantum videtur: ut nec ipse Carolus videtur illas omni ex parte probasse. Et quidem cum Albertus tum Henricus VII Cæsar, extincta Regia familia mascula, in Imperii recidisse potestatem Regnum illud, nulla habita ratione electionis popularis, crediderunt, si monumentis fidendum est. Sane Crantzius l. 7. Wandal. cap. 46, notat, Wenceslao III Rege cæso pervenisse Regnum jure feudi ad Romanum Imperium, atque ita ab Alberto Cæsare filium veluti Romani Regni feudatarium in Regnum profectum esse. Eandem rem describens Gerhardus de Roo Histor. Austr. l. I cap. 5. tradit : *Boiemia proceres extincta in Wenceslao Regum familia virilis seminis, de novo creando Rege consilia Pragensiisse, dissidentibusque, in Rudolpho Alberti Cæsaris filio & Henrico Carinthio Procerum studiis, Wenceslao filias Annam & Elizabetham* in

in Comitia venisse, ut suiratio haberetur orasse. Fuisse itaque Henricum Anna maritum in Regem electum. Casarem vero electionem **NON ACCEDENTE IMPERII AVCTORITATE FACTAM**, nullius momenti esse docuisse. Inscrui Goldastus tomo II operis cui fecit titulum *Reichs-Satzung* pag. 29. historiam Senatusconsulti Procerum aliquot Imperii coram Henrico VII Cæsare instituti, ubi Cæsar scribitur in hæc locutus verba: Das Königreich Bohemen welches erblos worden achten wirs dafür / daß es an den Römischen Kaiser gefallen sey / und wir haben es Macht zu geben worhin es uns gefällig. Proceres hanc pronunciant sententiam : Das der Heinrich aus Kärnten / welcher ihm das Königreich Böhmen dem Heiligen Römischen Kaiserthum zu wider / selbstmuthwilliger weise zugeeignet und noch besitzt / durch diese That alle sein Recht bey diesem Königreich sampt seines Gemahels anfällen verlohren habe. Denn es ist unbilllich / daß der jenige der sich wider die Kaiserliche Rechte aufflehnet / ein König / noch der so das Lehnen vom Kaiser nicht empfangen ein Fürst genennet werden soll. Derhalben wollen

Eure Keyserliche Majestät ihme das Königreich  
 Böhmen samt dem Fürstenthum Kärnten nehmen/  
 und dieselben anderweit versehen. Porro & Caro-  
 lum IV electionem populo Bohemiæ, tantum  
 familia Regia omnino extincta, permisisse cla-  
 rissimum est: ut proinde etiam ipse crediderit,  
 juris Cæsarii esse privilegium à Friderico conces-  
 sum, cum Imperio esset detrimentosum, nonni-  
 hil restringere.

Arguit præterea Imperii in Bohemos au-  
 thoritatem hodieque ipsa illa dignitas Pincer-  
 natus & Electoralis, qua Reges gaudent.  
 Nec vero leve indicium est subjectionis, quod  
 Reges teneantur Cæsari in Comitibus Impe-  
 ratoriis in prandio aut coena primum pocu-  
 lum ministrare: etsi ex privilegio Alberti Cæ-  
 saris aliorumque, nulla corona recti præstare  
 idipsum illis sit indultum. Quid quod non  
 desint, qui etiam nunc iudicio Imperii Reges  
 teneri libere profiteantur? Goldastus sane  
 ita loquitur l. 4. de Regno Bohem. cap. XIII.  
 num. x: *Licet subditi sint exempti, ipse tamen  
 Rex Bohemia, quia est immediatus Imperii  
 Princeps, recte riteque potest in Camera conve-  
 niri*

niri, in causis prime instantia ad iudicium Camera pertinentibus. Et hac est communior Interpretum opinio, exemplis & præiudiciis Saxonis, Brandenburgici, Austrii, Burgundi, Lotharingi, & Sabaudi firmata. Idem Goldastus l. 2. cap. 16. operose nititur probare, teneri adhuc Bohemos ad onera Imperii ferenda. Nec me latet in quam multis Imperii Comitibus acriter ea de re disputatum esse, ab Imperii Ordinibus. Verum quoniam res illa est controversi juris, nolo ego hinc in re liquida pro auctoritate Imperii argumentum capere. Cum tamen forte extra dubium sit, teneri Reges hodieque in iter Romanum comitari Cæsares, submissis aliquot centum cataphractis (et si enim illo se onere solvi quondam voluerint, Reges, minime tamen in id ab Electoribus esse consensum, constat ex libro Hartmanni Mauri de coronatione Caroli V Cæsaris & iis quæ recitat Goldastus tom. 2. *Reliquæ* pag. 178) possit hoc in signum subjectionis adferri certissimum. Cæterum Imperii Finibus Bohemix Regnum includi, quum jam abunde ostenderimus,

794 DE FINIBUS IMP. GERMANICI  
rius, ne huic quidem aut simili argumentatio-  
ni immorabimur.

Quæ Bohemiæ eadem & SILESIAE conditio  
est. Pars hæc quondam Poloniæ : eoque ad  
Fridericum II Cæsarem usque, prout univer-  
sa Polonia, & ipsa sine dubio in obsequio fuit  
Imperii. Concidente vero cum Friderico Im-  
perii auctoritate, reverentiam exiit quidem  
Polonia plæraque, ut mox audiemus, Silesia  
tamen rediit intra Imperii limites. Nec vero  
nisi auctoritate Cæsarea & Imperii Ordinum  
consensu Bohemiæ unita est. Quo de ne du-  
bitemus (etsi aliàs apud historicorum vulgus  
imo & apud alios doctiores, ceu liquet ex Ni-  
colai Henelii *Silesiographia* cap. vii, altum ea-  
sit de re silentium) efficiunt Tabule Cæsa-  
rum, quarum apographa hodie in medio sunt,  
ipsa autographa apud Bohemos hodieque  
in archivis integra detinentur. Germanice  
versas illarum aliquot publicavit Melchior  
Goldastus tomo secundo operis sui cui no-  
men *Reichs-Satzungen* : alibi Latine prodie-  
runt & quidem non semel. Eas inter primo  
merito loco memorabiles sunt Tabule à Ru-  
dolpho

dolpho Cæsare anno MCCXC conscriptæ;  
 quas proinde non possumus non hoc loco in-  
 rere saltim Germanice verlas. Wir Rudolph von  
 Gottes Gnaden Römischer König/ allezeit Mehrer  
 des Reichs / erbiethen allen unsern des Römischen  
 Reichs Getreuen/ denen dieser Brieff vorkompt/ un-  
 sere Gnade/ und alles Gutes. Und thun Euch zu  
 wissen/ daß wir die Ordnung und Vertrag/ wie es  
 mit dem Breslischen oder Schlesiſchen Fürstenthumb / so uns und dem Keyserthum unterß Lehen  
 gehörig / künfftig gehalten werden solte / besiegelt  
 gesehen: als nemlich/ wann unser Herr GOTT den  
 Durchleuchtigen Heinrichen/ Herzog in Schlesien/  
 Todes halben abfodern würde/ daß der Durchleuch-  
 tigste Ottogarus König in Böhmen/ oder sein Erbe  
 und nachfolgende Böhmiſche Könige / Ihme die  
 ganze Landschafft Schlesien erblich einnehmen und  
 besetzen möchte. Dieweil dann dieses Recht auff  
 dießmal Könige Wenceslao, unserm allerliebsten  
 Sohne/ angefallen/ und Er sich dessen anmassen wil/  
 so thun wir ihme solches hiemit in Krafft unsers Rö-  
 mischen Königreichs bestätiget übergeben. Datum  
 Erdfurt Anno 1290 den 25. Septembr. unsers Reichs  
 im 17. Jahre.

Argumentum integrum harum literarum  
 repetit Carolus IV Cæsar in Tabulis scriptis  
 Kkkkk Pragæ

Pragæ anno MCCCLV: facta mentione & aliarum quarumdam literarum cum Rudolphi illius tum Friderici II Cæsaris, quibus similiter Bohemiarum Regibus jus in Polonia illas partes auctoritate Cæsarea est attributum. Dabimus illas integras: quum sint nostro instituto cum primis utiles: & quidem emendatas non nihil ex Gerlaci Archiepiscopi Moguntini Tabulis: quas simul cum Carolinis Goldastus Tomo 1 Constitutionum Imperialium pag. 346 & sequentibus ut & post illum alii ediderunt.

*In nomine Domini Sanctæ & individue Trinitatis. Carolus Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus &c. ad perpetuam rei memoriam. Insignes laudabilis fame titulos moderni temporis meretur gloriosa posteritas, si quod prædecessorum Illustrium circumspecta pridem instauravit provisio, vigilantia cura prosequitur, & gratæ sollicitudinis munit officio, ut fructuosi laboris solertia perenni successorum commendentur memoria, & ex perfectione bonorum operum, quasi ex relucenti speculo vetustatis surgat de felicibus mortuis felix memoria rediviva.*

*I. Sane licet pridem recolenda memoria Di-*



us FRIDERICUS Romanorum Imperator Augustus, prædecessor noster, de singulari sua benignitatis munere, clara recordationis Illustri Vladislao quondam Bohemia Duci, qui regnum Bohemia ante coronationem suam regebat, & suis heredibus Bohemia regibus censum de TERRA POLONIÆ, QVEM ANTECESSORES EJUS DUCES BOHEMIÆ à POLONIA MULTIS TEMPORIBUS ACCIPERE CONSVEVERANT, QVEMQ; POLONIÆ ET SILESIA DUCES SACRO IMPERIO SOLVERE TENEBANTUR, prout in literis Imperatoris præfati evidenter exprimitur, liberaliter duxerit erogandum, ipsi quoq; Duces Polonia & Silesia eundem censum Illustribus progenitoribus & prædictis nostris Bohemia Regibus in signum subjectionis debita, & in recognitionem sui superioris domini rite persolverint, multis temporibus retroactis; tamen ad abundantius cautela præsidium tractu temporis DICTI DUCES suorum heredum & successorum nomine atq; vice, Principatus Terras ac Dominia sua à clara memoria Illustri Joanne quondam Bohemia Rege, genitore nostro caris-

risimo dum viveret, & demum praefato genitore nostro defuncto à nobis & à Corona Regni Bohemia, in feudum cum solemnitate debita susceperunt, nobisq; ac nostro genitori dum viveret, tanquam Bohemia Regibus, & Corona Regni Bohemia praestiterunt solemniter, obedientia, homagii, subjectionis & fidelitatis debita juramenta corporalia.

2. Et licet insignis DUCATUS VRATISLAVIENSIS & SILESIAE, cum suis omnibus pertinentiis, ad utile & immediatum dominium illustrium quondam Bohemia regum, progenitorum & praedecessorum nostrorum, & Coronam Regni Bohemia spectaverit ab antiquo, sicut hoc litera recolende memoria Domini Rudolphi Romanorum regis praedecessoris nostri ostendunt. In quarum prima quondam ordinationem inter Illustrem Ottocarum quondam Bohemia Regem, proavum nostrum charissimum ex una, & Henricum Ducem Vratislaviensem parte ex altera: videlicet quod dictus Ottocarus Rex eidem Henrico Vratislaviensi & Silesia Duci, in casu, si Ducem praemori contigerit, in praemisso Ducatu Vratislaviensi & Silesia, terris, & omnibus suis  
Domi-

Dominiis deberet succedere, pro se factum adse-  
 rit: Et in secunda ipsarum, dicto Henrico Du-  
 celiam sublato de medio, prædictum Regem Otto-  
 carum, heredes & successores suos, Reges Bohe-  
 mia, de Ducatu Vratislaviensi & Silesia, terris  
 & Dominiis præfatis, tanquam ACTU VA-  
 CANTIBUS, propter multa grata servitia,  
 qua Illustres Bohemia Reges Sacro Romano Im-  
 perio fecerant, SOLENNITER INVESTITI-  
 VIT, lucidius attestatur. Tamen Illustris quon-  
 dam Joannes Bohemia Rex, genitor noster præfa-  
 tus, cum Henrico septimo & ultimo Vratislavia  
 & Silesia Duce, sororio nostro, dum uterq; ipso-  
 rum vitam ageret in humanis, quandam ordi-  
 nationem inuit & tractavit; videlicet quod di-  
 ctus Dux Henricus TERRAM & DISTRI-  
 CTUM GLACENSEM cum vasallagiis,  
 feudis, dominiis & aliis omnibus pertinentiis su-  
 is, de consensu dicti genitoris nostri, ad vite dun-  
 taxat tempora habere deberet, ut tamen mori-  
 ente, DUCATUS SUI (PUTA VRATISLA-  
 VIENSIS & SILESIAE) AC PRÆDICTUM  
 GLACENSE Dominium ad usum & possessio-  
 nem genitoris nostri, heredum & successorum  
 Kkkkk 3 ipsius

ipsius Regum & Corona Regni Bohemia, sine difficultate qualibet reuenerent: Sicut hoc processu dierum ad finem devenit intentum. Eoq; dictus genitor noster, dum viveret, moriente Duce prefato, Ducatum Vratislaviensem & terram Glacensem prefatam tenuit & possedit, & Nos utrumque de presenti velut Bohemia Rex in possessione tenentes, utrobilibet dominamur.

3. Et quamvis **MARCHIA BUDISINENSIS & GORLICENSIS**, quae cum ceteris civitatibus oppidis & pertinentiis suis ad Regnum & Coronam Bohemia ab antiquo pertinuerunt, per Illustrum Ottocarum quondam Regem Bohemia, proavum nostrum, in personas quondam Illustrium Brandenburgensium Marchionum, ex certis causis & rationibus alienata fuerint: aliquando tamen Marchionibus praedictis, absque sexus masculini heredibus decedentibus ex hac vita, Nobiles, Milites, Clientes cives, universique incolae Marchiae Budisinentis & Gorlicensis praefatae, animadversione debita cognoscentes, qualiter ad Coronam & Regnum Bohemia, tanquam ad immediatum & naturalem Dominum dudum pertinuerant, ad subjectionem & obedientiam  
 Illu-

*Illustris Joannis quondam Bohemia Regis genitoris nostri, tanquam ad ordinarium legitimum et naturalem dominum suum & ad Coronam Regni Bohemia de cujus gremio jamdudum constiterant, ut praescribitur, deliberatione non improvida redierunt.*

*4. Nos igitur indefessam sollicitudinis operam, & diligentiam exquisitam, quam saepedicti proavus, pater, ac progenitores nostri carissimi, quondam Bohemia Reges, ad obtinendum subjectionis vasallagium, & obedientiam Illustrium Silesia & Polonia Ducum, videlicet LIGNICENSIS, BRIGENSIS, MUNSTERBERGENSIS, OLSNENSIS, GLOGAVIENSIS, SAGANENSIS, OPPOLIENSIS, FALCKENBERGENSIS, STRELICENSIS, TESCHINENSIS, TOLNENSIS, BRUTHVNIENSIS, STENAVIENSIS, OSACTIENSIS: PRINCIPATVS MASOVIAE, ET DVCATVS IN PLOTZKA, Principum & fidelium nostrorum, Principatus seu Ducatus Vratislaviensis & Silesia: nec non Civitates, videlicet Vratislaviam, Novum forum, Franckenstain, Stinaviam Gorau & mediam partem Glogovia, Namslaviam & pertinentiarum ipsius: &*  
*etiam*

etiam Budisinentem & Gorlicentem Marchiam,  
 ut praefertur, non absq; magnis impensis & infini-  
 tis laboribus habuerunt: in nostra Majestatis a-  
 cie continuo revolventes, ut virtutum ipsorum  
 frequentia, & sollicitudo laborum praeterita, sub  
 felice nostro regimine solidetur: sicut dudum de  
 plenitudine Romanae Regiae potestatis statuendum  
 diximus, ita & nunc ex certa scientia STA-  
 TUIMUS DE NOSTRAE IMPERIA-  
 LIS PLENITUDINE POTESTATIS,  
 quod omnes supradictae sententiae & clausulae Im-  
 perialium & regaliū literarum, quas ad pro-  
 bationem dictarum intentionum adduximus,  
 semper & ubique in iudicio & extra, & in singu-  
 lis actibus publicis & privatis, quotiens teno-  
 rem presentium legi & publicari contigerit, ejus-  
 dem efficaciae vigoris & auctoritatis existant, ac  
 si in signis propriis originalia viderentur. Et  
 praecipue cum eadem originalia per nos & non-  
 nullos sacri Imperii Principes, Barones, Proceres,  
 auscultata & examinata fuerunt diligenter.  
 Et demum communicato super omnibus praemis-  
 sis, nonnullorum Sacri Imperii Principum, Baro-  
 num & Nobilium consilio speciali, praedictis omni-  
 bus

bus de verbo ad verbum, prout superius exprimitur intellectis, & in examine deliberata & provida discussionis adductis, ne ex interpretatione sinistra quorumlibet, nostris heredibus & successorum nostrorum Regum Bohemia, & Corona Regni ejusdem, juribus, honoribus & statui valeat imposterum derogari: **AUCTORITATE IMPERIALI** dictos Silesia Polonia & ceteros predictos Duces, nostros Principes & Vasallos, cum Principatibus feudis & vasallagiis ipsorum, praesertim cum a Corona Regni praefati immediate dependeant: dictum quoque Ducatum Vratislaviensem, cum civitate Vratislavia, Noviforensi, Franckenstain, Stinaviensi, Gorensi, Glogoviensi & ceteris oppidis ibidem: nec non Marchiam Budisinensem & Gorlicensem, cum vasallis, vasallagiis, feudis, feudatariis, utilitatibus, fructibus, obventionibus, jurisdictionibus, judiciis, honoribus, juribus, consuetudinibus & omnibus dictorum Ducatum & Marchiae pertinentiis, velut utile & immediatum dominium nostrum & Regni Bohemia praefati, eidem Regno & ejus felici Corona, **IN PERPETVVM ADJUNGIMUS, incorporamus,**  
 LIII invi-

invisceramus, adscribimus, adpropriamus, & indivisibiliter & inseparabiliter cōvinimus.

5. Speciali etiam ex nomine interpretamur, pronunciamus, diffinimus, protestamur, & dicimus, ac de certa nostra scientia declaramus, quod prefati Duces Silesia & Polonia heredes & successores ipsorum in perpetuum, quotiens Ducatus eosdem aut alterum ex iis vacare contigerit, ipsos vel ipsum à nobis heredibus & successoribus nostris Boëmia Regibus & Corona Regni eiusdem, homagii, obedientia, fidelitatis & subjectionis debita teneantur ac debeant prestare & facere corporalia juramenta; **SUPPLENTES OMNEM DEFECTUM**, si quis in literis vel privilegiis dictorum Imperatorum & Regum Romanorum memoria recolenda, aut etiam in ordinatione seu tractatu dicti genitoris nostri, quem cum prefato Henrico septimo & ultimo Vratislaviensi & Silesia Duce habuisse dignoscitur, seu in reditu Nobilium, militum, clientum, civium & incolarum Budisinensis & Gorlicensis Marchia, qui ad Regnum Bohemia, ut premititur, ex causis legitimis redierunt: vel in presentibus nostris litteris verborum defectus, inter-



interpretatione dubia, sententiarum obscuritate,  
 vel alia quavis occasione, compertus fuerit; de  
 certa nostra scientia, ac de predicta IMPE-  
 RIALIS PLENITUDINE POTESTA-  
 TIS, non obstantibus legibus, consuetudinibus,  
 usibus, observantiis, juribus, municipalibus vel  
 communibus, statutis seu edictis, publicis vel pri-  
 vatis, factis & editis in contrarium, quibuscumque,  
 quas & quae, quantum adhaec, ac si nominatim  
 de verbo ad verbum praesentibus inscripta &  
 inserta consisterent, etiamsi de his jure vel con-  
 suetudine deberet fieri mentio specialis, revoca-  
 mus, cassamus, irritamus, annihilamus, & de  
 predicta Imperiali potestate plenitudine decre-  
 vimus firmiter, fore nullius penitus momenti.

6. Nulli ergo hominum liceat hanc nostrae ad-  
 junctionis, appropriationis, conjunctionis, incor-  
 porationis, inviscerationis, adscriptionis, inter-  
 pretationis, pronuntiationis, diffinitionis, prote-  
 stationis, declarationis, discreti defectus supple-  
 tionis, revocationis, cassationis, irritationis &  
 annihilationis paginam infringere. Contraria  
 vero facientes si qui fuerint, (quod absit) ultra  
 indignationem nostrae Celsitudinis, quam ob hoc

se noverint incurfuros, mille marcas auri puri  
nostro & ROMANI REGNI FISCO com-  
ponant: ipfarum videlicet medietatem noftra  
feu fuffefforum noftrorum Curia feu Camera, re-  
liquam paffis injuriam irremiffibiliter appli-  
candam.

Signum Sereniffimi Principis ac Domini,  
Domini CAROLI Quarti, Romanorum Impe-  
ratoris Semper Augufti.

Testes hujus funt: Venerabilis Ernestus Pra-  
genfis Archiepifcopus. Illuftris Rudolphus Senior  
Dux Saxonia, Sacri Imperii Archimarfchallus,  
avunculus nofter. Ac venerabiles Pretzlau  
Vratislavienfis, Cancellarius Aula noftra. Jo-  
hannes Olmicenfis, Johannes Luthonienfis, Theo-  
doricus Mindenfis, Henricus Lamudenfis, Epi-  
fcopi.

Illuftres Rudolphus Junior Saxonia & Joannes  
Opavia Duces. Speetabiles Burghardus Magi-  
fter Curia nofter, Burggravius Magdeburgen-  
fis & Albertus de Anchtal Comites.

Et Nobiles Johannes de Rosenberg, Johannes  
de Sternberg, Ztrincko de Haffenberg, Gonslaus  
de Schruvanberg, Batzcko de Conftat, Dionyfius  
de

de Romnitz, & Vlricus de Visa: & alii quam  
plures nostri fideles, presentium sub Bulla Au-  
rea. Datum Praga, Anno Domini 1355, Indi-  
ctione octava 7. Idus Octobr.

5 Haftenus Tabulae Carolinae. Docent vero  
nos illae, Friderici II Caesaris beneficio deberi ex-  
ordium omnium jurium quod in Silesiam Bohe-  
miae Reges sibi comparaverunt: & feudi demum  
lege Vratislaviensem Ducatum ex concessione  
10 Caesaris Rudolphi ad Bohemum transiisse: Ca-  
rolum porro ipsum Bohemiae Regem Proceres-  
que Bohemicos agnovisse summa Imperii jura  
in omnem Silesiam, ac proinde auctoritate Cae-  
sarea possessionem ejus Bohemiae Regno tran-  
15 scripsisse multa addita, cujus pars Imperii fisco  
cedat; & haud obscure facto indicio, absque il-  
la Caesarea foret auctoritate, jus Regum in Silesi-  
am iusta controversia haud cariturum. Usque  
adeo sane suspexit Caesar ille Imperii superiorita-  
20 tem in Silesiam, ut quum forte vereretur ne suae  
Tabulae, quasi in propria causa scriptae, minus  
fidei & roboris mererentur, fecerit illas a Mogun-  
tino Archiepiscopo tanquam Imperii per Ger-  
maniam Archicancellario confirmari. Exhibent

illud Moguntinum diploma, ceu ante diximus, cum Goldastus, tum alii: neque attinet illud integrum hoc loco recitare, quum occupetur magnam partem in argumento literarum Carolinarum recensendo: operæ tamen fuerit pretium saltem ultimam ejus clausulam & exordium heic expendere.

*NOS GERLACUS Dei gratia sanctæ Moguntinensis Sedis Archiepiscopus, & Sacri Imperii per Germaniam Archicancellarius, ad perpetuam rei memoriam. Serenissimus ac invictissimus Princeps & Dominus, Dominus CAROLUS divina favente clementia Roman. Imper. semper Augustus & Boemia Rex, Dominus noster gratiosus, provida sua circumspexione advertens; qualiter insignes & laudabiles famam titulos moderni temporis meretur gloriosa posteritas, quod prædecessorum Illustrium circumspexa pridem instauravit provisio, vigilantia cura prosequitur, ac grata sollicitudinis munit officio, ut fructuosi laboris solertia perenni successorum commendetur memoria, & ex consequentia bonorum operum, quasi ex relucenti speculo vetustatis, resurgat de felicibus mortuis felix memoria rediviva.*

Hacte-

Haectenus exordium. Quæ sub finem anne-  
ctuntur auctoritatem Imperii luculentius de-  
monstrant. Habent vero illa sese hunc in mo-  
dum. Nos igitur, qui supra, Gerlacus Sedis Mo-  
guntinensis Archiepiscopus, ex eisdem rationabi-  
libus & evidentibus causis quibus ante dictus  
Serenissimus Princeps, Dominus noster Impera-  
tor CAROLUS, circumspecta sua providentia  
motus dignoscitur, & ex omnibus prædictis tan-  
quam ex motivis legitimis, Sacri Romani Impe-  
rii statum & augmentum prospicientibus, pro-  
pensius animati, supradictis adjunctioni, incor-  
porationi, inviscerationi, adscriptioni, adpro-  
priationi, communioni, interpretationi, pronun-  
ciationi, diffinitioni, protestationi, declarationi,  
decreto, defectuum suppletioni, revocationi, cas-  
sationi, irritationi, annihilationi, pœnarum ad-  
jectioni, & omnibus aliis, quæ expressantur, aut  
sunt expressata superius, VELUT Archiepisco-  
pus Moguntinensis, Sacri Romani Imperii per  
Germaniam Archicancellarius, & Princeps E-  
lector, animo deliberato, & sano procedente con-  
silio nostrum benevolum consensum & assensum  
presentibus adhibemus; ac supradicta omnia &  
eorum

810 DE FINIBUS IMP. GERMANICI  
eorum quodlibet, singulaq<sup>ue</sup>, in omnibus suis teno-  
ribus, sententiis, punctis & clausulis, de verbo ad  
verbum, prout supra evidenter expressa, ex offi-  
cii nostri debito, laudamus, approbamus, & de  
certa nostra scientia confirmamus, plenissime  
perpetuis temporibus valitura, presentium sub  
nostro sigillo testimonio literarum. Datum in  
Nurnberg, anno Domini MCCCLV in die beata  
Lucia Virginis.

Ex hisce verbis Moguntinarum Tabularum<sup>10</sup>  
jam luce meridiana clarius patet, vera esse quæ  
de Imperii in Silesiam juribus diximus. Non la-  
tuit vero res illa etiam auctorem magni Chronici  
Norimbergensis quod anno MCCCXCIII e-  
ditum est, ut qui teste Henelio memoriæ prodi-<sup>15</sup>  
derit, Reges Bohemiæ Silesiam clientelari jure Im-  
peratorum beneficio tenere. Nec fortassis aliun-  
de orta est fabula illa vetus de Vicariatibus qua-  
tuor Imperii, quorum unus sit penes Silesiam.  
Fabulam ajo: nec enim universa illa in quater-<sup>20</sup>  
niones Germanici Imperii divisio quidquam tra-  
hit ex vero, sed pictoris alicujus aut poetæ otiosi  
inane commentum est,

Hæc quamvis ita sese habeant, herent ta-  
men



Bohemiæ poceret & cum primis ipse Carolus IV, si quis alius vafer & suarum rerum privatarum studiosus, quei mordet illa cura aut invidia hodie demum homines nuperos, infimæ sortis, & rerum veterum parum gnaros?

Silesia igitur vindicata licet jam nobis POLONIAM, si gillatim hoc nomine ita appellatam, invitere. Illam vero universam non minus atque Bohemiam Imperii leges audivisse ad FridERICI Secundi Cæsaris ætatem, supra capite decimo octavo ostendimus. Cum minus dicto esset obediens, ab eodem Cæsare censum Imperiali fisco debitum esse Bohemiæ Regibus concessum, modò audivimus Carolum IV affirmantem. Secuta tempestate fractis multum Imperii rebus, Polonia magis magisque Imperii sese obsequio subduxit, & ad plenam libertatem aspiravit. Cujus conatus ingens indicium orbi prodidit anno circiter MCCXCV Præmissus Dux majoris Poloniæ, Sendomiriensi & Cracoviensi Principatu sibi addito adeo tumidus, ut non dubitaverit, inconsulto Cæsare Regium diadema titulumque sibi attribuere: cujus exemplum successores omnes sunt imitati. Et si enim



si enim non desint qui narrent, Vladislaum Locticum auctoritate Ludovici IV Cæsaris anno MCCCXX esse coronatum, cumque illo defuncto Casimirus, quem sui Magnum nuncupant, idem minime admitteret, hunc eodem Cæsare publico Imperij decreto esse proscriptum; refragantur tamen huic narrationi non tantum Polonorum sed & Germanorum illius ævi monumenta. Diserte

- <sup>10</sup> Crantzius L. IIX VVandaliaæ cap. 2. *Polonifical & Bohemi Reges habuere, per intervalla creatos à Romanis Imperatoribus: sed quum illos tæderet gemina subjectionis omissis regibus duces creavere. Lakoldus (ita appellatur*
- <sup>15</sup> Crantzio Vladislaus ille Locticus) *hac tempestate dux erat Cracovia, & qui per omnem Poloniam facile principaretur. Hic à Joanne Pontifice Romano suscepit coronam, quod Ludovicum, quem execrabatur Papa, non*
- <sup>20</sup> *duceret legitimum Imperatorem, evitans etiam ne per eam occasionem subiectus Romano Imperio censeretur. Jam enim Pontifices in eam venerant maiestatem (quam Principes seculares dicunt presumptionem)*
- M m m m m 2 ut

*nem) ut Reges crearent, citantes verbum primi post Christum Pontificis: Ecce (inquit Petrus) duo gladii hic. &c. Lakoldus autem à Pontifice Rex nominatus & consecratus, ut videretur Ecclesie gratus, omne regnum fecit beato Petro tributarium: ut per singula quot annis capita solvatur nummus unus, qui appellatur S. Petri. Eadem de re ita scribitis qui Ludovici IV Cæsaris historiam summa prudentiæ, eloquentiæ, & παρρησίας laude nostra ætate est persecutus Nicolaus Burgundus l. 2, de Joanne Papa verba faciens: Deniq; Vladislaum Locticum Polonia Ducem AVULSURUS à CORPORE IMPERII, misso diademate Regem appellat, fide accepta, quod in tanti beneficii gratiam propelleret ille in provinciam Brandeburgensem Lituanos, qui Cæsarem detinerent in Germania occupatum bello domestico. Ceterum Litvani ea tempestate Christiana sacra nec dum acceperant, cum Teutonico Ordine continenter bellare soliti: at tum quidem Pontifex Magistrum Ordinis ad duorum annorum inducias compulerat, quo liberius barbari grasserentur. Hæc illi.*

Ita-

Itaque non est quidem quod dubitemus. saltem à Præmisli illius conatibus Polonos obsequium omne Imperio, jam per annos trecentos quinquaginta amplius inolitum detrectasse. Sed & id certum est, tanto temporis spacio pro  
 5 juribus Imperii tuendis, vi quidem & armis in Poloniam nihil esse tentarum. A nonnullis Imperatoribus aliquo tamen modo (quo uno scilicet poterant) aliquamdiu cautum est fugitivæ Imperij dignitati. Sic quum anno millesimo trecentesimo V Venceslaus Bohe-  
 10 miæ Rex, pulso Vladislao Loctico, à Polonis in Regem esset electus, Albertus Cæsar clientelari jure Imperij nomine Poloniam possidendam eidem concessit. Edidit Cæsaris literas Germanico idiomate Goldastus parte  
 15 secunda operis cui nomen *Reichs-Eahungen* pag. xxiv: & merentur huc à nobis transferri, quales sunt editæ. Albertus Von Gottes Gnaden Römischer König, allezeit Mehrer des Reichs: Dem Durchleuchtigen Großmächtigen Fürsten Wenceslao Könige in Böhmen / unserm liebsten  
 20 Bruder / unsere Gnade und alles Guts. Die unzweiffelhaffte Aufrichtigkeit deines getreuen Gemüths, welche gegen uns und dem Keyserthumb  
 Mmmmm 3 thumb

thumb von dir / vor allen Königen und des Römi-  
 schen Keyserthumbs Fürsten / zuspüren / beweget  
 und führet uns dahin / daß wir das Jenige / was  
 zur Erweiterung deiner Ehren dienlich / nicht unter-  
 lassen mögen. Derentwegen vergönnen und ver- 5  
 leihen wir dir / in Krafft des Römischen Keyser-  
 thumbs / das du sampt deinen Erben und nachkom-  
 men den Königen in Böhmen / die Länder welche du  
 nachm Herzogen Vladislao in groß Polen erlanges  
 und inne hast / erweitern / und nach gestalt der Lehen-  
 rechten / jetzt und in künftigen ewigen Zeiten halten 10  
 mögest. Dessen zu Urkund haben wir diesen Brief  
 mit unserm Insiegel bekräftigen und verfertigen las-  
 sen. Datum zu Mainz im Julio, Anno 1300.  
 Unsers Reichs aber im andern Jahre.

Ab Henrico vi Cæsare quidquam actum  
 pro servanda Imperij in Poloniam auctoritate, 15  
 haud reperio. Nec satis certa fide traduntur,  
 quæ à nonnullis de Ludovico IV Cæsare  
 memorari, paulo ante monuimus. Tantum  
 fatentur Polonorum Annales, lite orta inter  
 Crueiferos & Casimirum Polonum, auctoritate 20  
 sua interposita vetuisse Cæsarem illum, ne a-  
 pud alios iudices causa isthæc disceptaretur  
 præter assensum suum. Sed hoc non tam per-  
 tinet ad res Polonicas quam Prussicas. Caro-  
 lum

lum IV Regium nomen non detulisse Polonorum Principibus (haud dubie memoria veterum Imperij iurium) observare quidem est, at pro Imperij illis iuribus aliud quidquam conatum haud legas. Multo minus succedentium Caesarum quisquam vel in controversiam vocavit Polonicam libertatem. Imo jam amplius ducentos annos Regium nomen Polonis, quasi jure partum, sponte concessum est; & multi contractus cum ijs initi tanquam cum vere liberis populis. Quæ res (nisi vehementer fallor) certo est indicio, vetera Imperij jura derelictione, ut ita loquar, & tacito Caesarum Ordinumque consensu dudum exspirasse; atque ita Poloniam omnem Imperij finibus non amplius ut olim comprehendi.

Quæ Poloniae eadem & MASOVIAE fortuna fuit. Accepit illa Duces proprios (perinde atq; hodie à Polonico regno peculiari Ducatus titulo est divisa) ex instituto Conradi II Caesaris, Imperio unice non autem Poloniae proprie sic dictæ obnoxios; ceu jam tum supra cap. XIX monuimus. Post seculum tertium decimum inclinare coepit etiam

etiam isthæc Imperij reverentia. Itaque se-  
culi quartidecimi anno vicesimo nono Joan-  
nes Rex Bohemiæ, pretextens tamen Imperij  
auctoritatem, Venceslaum Ducem gentis  
adegit in verba sua jurare. At vero Calimiro  
secundo Rege, à Polonis provincia isthæc in fi-  
dem recepta est. Ea de re ita loquitur Crom-  
erum, ut solet, describens Salomon Neugebave-  
rus l. 3. Histor. Polonicæ. Accessit eodem anno  
*Masovia ad societatem ceteræ Polonia, Ziemo-  
vico Duce iis pactis in Regni Regisq; pote-  
statem se submitte, ut totius quidem Maso-  
vie dominatum ipse obtineret, verum non here-  
ditario jure sed regia munificentia, & in feu-  
dum se eam habere, Regisque majestatem se  
cum posteris suis comiter conservaturum,  
& contra quosvis hostes, barbaros juxta  
ac Christianos, auxilio Polonis semper affu-  
turum, nec cum ullo fædus ullum in-  
consulto Rege sanciturum, solenni ritu ac  
jurejurando profiteretur. Acta sunt hæc  
Calissii ad sextum Calendas Januarii, anno  
Christi millesimo trecentesimo quinquagesimo  
quinto, Et ex eo tempore fuerunt Masoviz  
Duces*

Duces in clientela Polonica, donec anno MDXXVI repente non sine suspitione veneni è medio sublatis duobus fratribus, omnis illa familia expiravit, & ditio isthæc integra Polonia addita est. Nec vero fortassis pro juribus Imperii in provinciam illam quidquam auctoritate est publica actum: nisi quod in Tabulis illis Carolinis, quas paulo ante recitavimus, Bohemiæ Regno Masoviæ etiam Duces adscripti sint, & in matriculam Imperii Ordinum seculo superiore relati certo iis censu indicto. Hi enim sunt illi *Herzogen von der Mas* dicti: quo nomine alii alios intelligunt. Ne verbulo autem occupanti terram illam Sigismundo Regi Polono ab Imperio forte est contradictum: imo ne quidem jam ante, cum pene omnem sibi subjiceret Joannes Albertus Rex, Imperii in gratiam quisquam est reluctatus: tametsi cum Sigismundus Rex illam dotalem esse jussisset Bonæ uxori suæ, noluerint Ordines Regni in id contentire, quod *vererentur ne quo casu Masovia à Polonia separaretur*, quod discimus ex l. i. Annalium Orichovii nondum scilicet firmatis tum in eam

Nnnnn pro-

provinciam Poloniae viribus. Multo minus ex eo Masovia à nostris repetita est. Ac proinde & illa sic satis lata Sarmatica ditio Imperii finibus excessit.

Vtinam haud pari successu PRUSSIAM quoque & LIVONIAM amissemus: cum utraq; sine exemplo à seculo decimotertio demum in Imperii jura transierit, & quidem à Germanis occupata Germanos incolas acceperit, inque mores nostros transmutata, plenius quam unquam Polonia, Imperii dignitatem coluerit defenderitque!

Vistula amne ad Balthicum mare à Caroli Magni ævo usque terminabatur Imperium Germanicum: Vltiora proxime P R V ZII dicti populi aut Sembi tenebant. Horum simplices & probos mores, quales erant ætate Henrici IV Cæsaris, miris laudibus profequitur Adamus Bremensis; sed cum tractu temporis mutavissent, nec exemplo vicinarum gentium sacra Christianorum observaret populus, sed odio potius religionis ductus vicinis gravis esset, cum prius vero Masovios infestaret, horum Dux Conradus hostibus impar-



impar, Culmensem terram ereptam sibi dolens, in auxilium Ordinem sacrum militum Germanicorum, qui & Mariani, & Crucigeri, & Milites domus hospitalis in Hierusalem appellantur, præcipua tum virtute & gestarum rerum fama, advocavit. Cœperat ille Ordo in castris ad Ptolemaida non adeo pridem, circa annum seculi duodecimi nonagesimum: cumque isthac tempestate crederetur, Christianis in omnes à sacris illis alienos justum & æterna mercede dignum bellum esse, vocati mox Culmensi provincia Prussos eiecerunt. Num dono Conradi plene cesserit ipsis illa terra, an vero conventum sit, quod Poloni tradunt, ut debellatis Prussis Culmavia Masovio Polonisque redderetur, nihil attinet nunc disputare. At vero Friderici II Cæsaris beneficio, non solum tertæ Culmensis, sed totius Borussia, omniumque terrarum, in quas eiectis barbaris religionem Christianam propagaturi essent Crucigeri, possessio ac dominium ipsis ac eorum successoribus decretum & confirmatum est: ceu tabulæ Cæsaris superstites loquuntur. Sic brevi ab anno

circiter MCCXX, rara armorum felicitate, Borussia universa usq; ad mare Balthicum & Lithuaniae fines, priscis incolis, non laudando instituto tamen, extinctis partim, partim in miseram servitutem pariter & Christiana sacra vi adactis, Imperii provinciis accessit: & quidem saltem haecenus non immerito, quod & auctoritate Imperii & bonis Germaniae publicis Ordo universus niteretur. Haud multo post pari successu Gedanum cum vicina Pomerellia trans Vistulam occasum versus Poloniae regibus, versus orientem Samogitia Lithuanis crepta est. Quo & Polonorum & Lithuanorum perpetua fere odia in Ordinem sunt concitata. Post varias tamen contentiones, cum Casimiro quidem secundo Polonorum Rege transactum est æquissimis conditionibus. Eam rem hisce verbis enarrat post Cromerum Neugebauerus *l. 3 histor. Pol. pag. 201.* *Lite cum Cruciferis ad extremum perducta, cum ii diris devoti, nil tamen auctoritate Pontificia moverentur, ut iudicata facerent, facile Casimirus concessit, petentibus, ut, jure omni, quodcumq; ipsi à majoribus suis haberent in Pomerania*

merania, Culmensi, & Mechatoviensi ditione,  
 sese posterosq; suos, jurejurando interposito, & li-  
 terarum monumentis consignatis abdicaret, ac  
 de sigillo etiam, quo diplomata regia signantur,  
 5 Pomerania nomen eraderet, Cuiaviam ac Do-  
 brinensem ditionem ab eis reciperet. Itaq; consti-  
 tuto cum Magistro Cruciferorum congressu  
 Inouladislavia, ad vigesimum secundum diem  
 mensis Julii comitia quoq; suis indixit. Vbi abdi-  
 10 catio illa promulgata, Calissia vero non modo Re-  
 gis, sed etiam Ziemoviti Visnensium, Ziemoviti  
 Cirnensium, ac Boleslai Plocensium, Masovio-  
 rum, & primariarum civitatum, nempe Cra-  
 coviensis, Posnaniensis, Sendomiriensis, Sande-  
 15 censis, Calissiensis, Vladulaviensis, ac Brestensis  
 diplomatis consignata est. Episcopi neq; ut si-  
 gnarent, neq; ut approbarent, adduci ulla rati-  
 one potuerunt. Annus, quo haec acta sunt, fuit mil-  
 lesimus trecentessimus quadragesimus tertius.  
 20 Haec tenus Neugebauerus. Floruerunt porro  
 res Ordinis Tentonici usque ad annum circiter  
 quadringentesimum post millesimum. Inde cum  
 non necessariis, imo iniquis, bellis Lithaua-  
 niam

niam & Poloniam infestantes, Vladislaum Jagellonem Regem, Polonicis Lithuanicis & Tataricis copiis solito potentio-rem hostem irritassent, ab illo anno MCCCCX ingente praelio ad Drevanciam fluvium in Masoviae finibus caesi bonam Borussiae partem amiserunt. Fide subditorum pene in integrum restituti, impotente mox dominatu horum quoque animos usque adeo à sese abalienaverunt, ut omnis nobilitas urbesque Borussiae, foedere<sup>10</sup> mutuo, anno ejusdem seculi quadragesimo, adversus Ordinis vim sese munierint. Cumque ne sic quidem laniora illi consilia sequerentur, imo effecissent apud Caesarem Fredericum III, ut atroce lata sententia anno<sup>15</sup> MCCCCLIII, foedus illud ceu vitio factum irritum pronunciaretur, addita multa gravissima, & amissae libertatis privilegiorumque poena: nobiles plerique oppidaque sequenti anno, renunciato Ordinis Magistro fidelitatis<sup>20</sup> sacramento, Regi Poloniae (erat is tum Casimirus tertius) sese suaque in fidem obtulerunt, & à Rege ac Proceribus Polonicis in societatem regni recepti sunt. Per tredecim annos

annos cum aduersa fortuna fortiter luctati quidem sunt Cruciferi, sed & ipsi tandem certis conditionibus in sacramentum & fidem Poloniae Regum & Regni sese dediderunt, anno seculi illius sexto post sexagesimum. Ita tota Prussia in Polonicae reipublicae corpus tunc concessit. Detrectavit quidem illud sacramentum Fridericus Saxonicus Magister Ordinis, sed nihil praeterea movit. Fecit idem Albertus Brandenburgicus correptis insuper armis, sed cum imparem sese sentiret & nulla ab Imperio auxilia liceret sperare, tandem & ipse pro se & haeredibus suis anno MDXXV cum Polono pactus est; & ceu ante, Prussia universa in ditione Reipublicae Polonicae ex eo jam permansit.

In hunc modum & acquisita intra hos quadringentos annos fuit Prussia & vicissim amissa. Jure an injuria Imperio subducta sit nobilis adeo provincia, difficilius nonnihil est expeditu. *Primum* tamen id videtur patere ex iis quae attulimus: quo tempore Ordines Prussiae in fidem Polonicam concesserunt, nihil in terram illam universam juris fuisse Polonis.

lonis. Nec enim unquam tota illa fuerat Polonia, & quæ portio illis paruerat, illa saltem ex pacto cum Casimiro secundo, non dubio amplius jure facta fuerat jam anno MCCCXLIII Cruciferorum. Tamen etiam, Vladislaus Jagello omnem pene Prussiam subegisset, eandem tamen vicissim amiserat, per nova pacta salvis iterum Ordinis rebus. *Secundo* si usque adeo impotens & sæva fuit Cruciferorum in provinciam dominatio, qualem vulgo ferunt, nec oppressis subditis à Cæsare & Imperii Ordinibus, postquam illis desiderium suum detulissent, quidquam licuit sperare mollius, nemo eos temere damnaverit, quod tandem jugum intolerabile & tyrannicum excussent. Nec enim mancipiorum ritu obstricti erant Cruciferis, sed plarisque vel ipsi vel eorum majores, proposita conditione magnæ libertatis & multarum immunitatum, in vacuas terras ex Germania acciti à Cruciferis: quos proinde hi ex pacto quasi, saltem provincialibus illis Germanicis coloniis, præstare tenebantur, nisi irritum vel-  
lent fidelitatis sacramentum. *Tertio* si potue-  
runt

sint Prussi fidelitatis sacramentum jure Magi-  
 gistri Imperio renunciare, licuit illis etiam al-  
 teri sese subjecere. Et vero is qui sui est juris  
 potest utique in fidem alterius jure concede-  
 re. Quidni itaque & illis licuerit idem, si  
 sane fas ipsis fuit in plenam libertatem rejectis  
 antiquis dominis se vindicare? *Quarto*: Non  
 videtur, vel Cæsarem vel Imperij Ordines, Im-  
 perii quidem causa, ullo aliquo auxilio juvissse  
 10 causam Cruciferorum quintodecimo seculo:  
 nec quando primum illi in fidem Polonicam  
 concesserunt, Imperij ergo defectioni isti sive in-  
 recessisse sive contradixisse. Non sane in  
 monumentis historicis fide dignis tale quid-  
 15 quam memoratur. Est autem talis negli-  
 gentia, & tale silentium indicio haud obscu-  
 ro factæ derelictionis: ceu jam supra dispu-  
 tavimus. *Quinto*: nec Albertus Brandeburgius  
 seculo decimosexto quidquam opis ab Im-  
 20 perio potuit sperare. Itaque aut plane per-  
 eundum Ordini tum fuit per Prussiam: quo-  
 usque tamen ille Imperio non fuit unquam  
 obligatus: aut vero conditiones à Polono  
 propositæ fuerunt Ordini illi necessariò in-  
 cundæ.

undæ. Nec vero tam hoc vitio datum fuit Alberto & reliquis Cruciferis, quod ille in fidem terrarum Poloni rediisset more multorum decessorum; quam quod passus esset bona Ordinis in hereditariam possessionem sibi tradi: & hoc maxime nomine Camerae Spirensis iudicio Albertus anno MCXXI proscribitur. At vero hoc quidem controvertere non est hujus instituti; ut pote quum nihil aliud agendum mihi veniat, quam ut despiciam, num jure an injuria<sup>10</sup> Prussi & Cruciferi ab Imperio secesserint. Id quod eos fecisse jam ante Albertum seculo quarto decimo, palam est ex iis quæ jam narravimus.

Supere est ut LIVONIAM perlustremus. Illam terram ab antiquissima usque memoria Æsthyorum gentes incolere: quas a Germanis fuisse diversas ipsa lingua satis prodidit; ut quæ ætate Taciti Britannicæ propior fuerit, etsi ritus habitusque Suevicum quid præ se ferret; quod ille libro de Moribus Germanorum memoravit. Ex Plinio aliisque discimus alios Æsthyorum Hirros alios Scyros tum appellatos. Quorum vocabulorum vestigia nec dum desierunt: Æsthyorum



communi appellatione in Æsthonia, Hironum in Harria & VViria, Scyrorum in Curis superstitite. Priscam terræ fortunam cum desint monumenta, ignoramus. Seculo nono autem Curos à Sueonum classe subactos, legere est in historia vitæ S. Ansgarij. Danorum quoque in provinciam illam expeditiones aliquot felices, loquuntur illorum annales. Sed & Russos & Lithuanos haud parum ibi potuisse constat, Germani nostri serius quidem ibi vim suam exercuerunt, at dominatu certo & constante constituto tarditatem illam compensavere. Primam huic occasionem negociatores Bremenses dederunt, qui circa annum MCLX tempestate in Dunæ fluvij ostium rejecti, cum vicinis Livis & commerciis & in futurum pro mercandi libertate pacta quædam inierunt, eorundem consensu sacello in Dunæ insula exstructo, quæ à re Kirchholm deinceps nuncupata est. Paulo post Menardus monachus à Bremensibus adductus, spatio rite divini verbi semine, cum feliciter sacra Christiana propagasset, meruit ab Alexandro III Papa anno MCLXX Episcopus

gentis constitui, sede ad Dunæ ripam Vxkillæ ipsi attributa. Qui successit defuncto Bartholdus cum vim & arma intentaret, à barbaris trucidatus, locum fecit Alberto ex Canonico-  
 rum Bremensium collegio evocato: qui tri-  
 ginta trium annorum spatio, majore armo-  
 rum felicitate, miseræ & pene excisæ genti, &  
 sacra imperavit quæ docere debuisset, & per-  
 petuam servitutem imposuit, Riga urbe circa  
 annum MCC condita in firmum Sedis suæ  
 domicilium. Eam in rem usus est cum primis  
 ope sacræ istius militiæ Germanicæ, quæ Ordinis Fratrum militiæ Christi & Ensisero-  
 rum titulo inclaruit, non multò post in cor-  
 pus Mariani Cruciferorum Ordinis cooptata,  
 Teutonico Magistro alteri illi Prussico certis le-  
 gibus subiecto. Quæ omnia cum à Cæsari-  
 bus publica essent auctoritate confirmata, à  
 seculo usque decimotertio, ingens terrarum  
 tractus ad orientale maris Balthici litus, cen-  
 tum & viginti octo miliaribus Germanicis in  
 orientem, à Croni fluvii quem Memelam ho-  
 die vocant ostio ad Narvam Ruslorum em-  
 porium, in meridiem ad Lithuanos & Russos  
 expor-

exportectus, sensim in provinciam Imperij Germanici receptus est: Archiepiscopo Rigenfi & Episcopis in numerum Pontificum Germaniæ, & Magistro Ordinis deniq; cum libertatem à Prussico sibi ære redemisset, anno seculi superioris tertio decimo in classem Imperii Principum, relatis.

Hic status rerum duravit, donec anno MDLIIIX Joannes Basilides Moschorum tyrannus, devictis duobus Tatarorum regnis Casane & Astracane terox, immanem in modum in Livoniam omnem cæpit sævire. Incolæ tantæ moli tantisque malis impares, cum ab Imperio auxilia frustra flagitassent, nec spes ulla melior sese ostenderet, aliena auxilia circumspicientes, alij ad alios sese inclinaverunt. Primi Revalienses cum nobilibus ejus dioceseos, quibus paulo ante superbissimis literis Moschus bellum denunciaverat, urbem & agrum vicinum omnem Daniæ Regis dominio & tutelæ obtulerunt, sed repulsam passi sunt. Biennio post cum Moschi iterum supraquam dici potest immaniter sævirent, &

O o o o o 3

tandem

tandem Vellino munitissimo oppido capto ad  
 ipsas Revaliæ portas excurreret, nec in tantis  
 angustiis ulla ab Imperio vel propria virtute &  
 viribus spes defensionis appareret, Revalienses  
 necessitate adacti extrema (verba recito Davi-  
 dis Chytræi locupletissimi scriptoris ex libro xx  
 Chronici Saxonix) Russis assidue ad eorum por-  
 tas excurrentibus, & non solum pecora, sed ci-  
 ves & incolas ab Urbe egressos abducentibus,  
 ab ERICO Sueciae rege vicino, pecuniam mu-  
 tuam, & si à Moscho urbs obsideretur, auxi-  
 lium & defensionem petiverunt, Cum autem  
 Ericus, non esse pecuniam regno Suecia aliis mu-  
 tuo dandam responderet: verum si imperio &  
 tutelæ ipsius se Civitas Revaliensis subjiceret, se<sup>15</sup>  
 non cupiditate proferendi fines sui regni, quod a-  
 lioquin satis amplum haberet, sed Christiana cha-  
 ritate, ac ut Moschum vicinum, si ea urbe poti-  
 setur, regno suo intolerabilem futurum, arceret;  
 se patrocinium ad defensionem illius urbis susce-<sup>20</sup>  
 pturum, omniaque privilegia & immunitates an-  
 tiquas urbi relicturum esse polliceretur: Reva-  
 lienses, recum nobilitate vicina & civibus com-  
 municata, Magistro Livoniae juramentum fi-  
 delitatis

*delitatis superiori anno praestitum renunciant, ac  
Erico Suecia regi, qui paulo ante patri Gustavo  
successerat, se subjecerunt.*

Præcedente anno, post millesimum quin-  
5 gentesimum quinquagesimo nono, aliter non-  
nihil Archiepiscopus Rigensis & Magister Ordini-  
nis cum Polono pepigerant: at vero  
coacti & illi fuere tandem Polono sese totos  
dedere anno sexagesimo primo illius seculi. Re-  
10 citabimus utrumque ex eodem Chytræo: qui  
hæc omnia diligentissime & summa fide poste-  
ritati tradidit. De priorè pactione ita scribit.  
*In Livonia grassante ingentibus copiis Mo-  
scho, & loca munita passim occupante, cetera  
15 impune pervagante, & infinitam ho-  
minum multitudinem captivam hoc biennio  
abducente: Archiepiscopus Rigensis &  
Ordinis Coadiutor, cum se ab Impe-  
rio Romano non juvari, & solos ad resi-  
20 stendum hosti tam potenti impares esse cerne-  
rent; Sigismundum Polonia Regem vicinum,  
& Archidieceps Rigensis protectorem rogarunt,  
ut defensionem Livonia, salvo tamen Imperii  
Romani jure, susciperet, & pro sumptibus belli  
novem*

novem arces ac praefecturas pignoris loco acci-  
 peret. Quas Livonia magistratibus postea re-  
 dimere sexcentis millibus aureorum liceret.  
 Hac defensionis pacta, solennibus literis & jura-  
 mentis utrinque confirmata sunt. Quae anno  
 sexagesimo primo contigerunt hisce verbis  
 narrat idem Chytræus. **POLONIÆ** Rex,  
 ad cuius patrociniū & tutelam, Magistrum  
 Ordinis Livonia, & Archiepiscopum Rigensem,  
 ac Nobilitatem illis subjectam confugisse dixi-  
 mus, cum distractione Livoniæ intestinas, va-  
 rias & multiplices, & urbem Revaliam cum  
 tota vicinia **SVECO** se subiecisse, aliquot etiam  
 provincias à Magno Holsatia duce teneri cer-  
 neret; non amplius teneri prioribus pactis de de-  
 fensione, cum Magistro Ordinis & Archiepisco-  
 po initis, multo magis conatum defensionis aliquem  
 adversus Moschos suscipere voluit, nisi Archie-  
 piscopus & Magister Ordinis, cum omnibus  
 subditis suis, se Regno Polonia & Lithuania peni-  
 tus subderent, & solenni subjectionis juramento  
 devincirent. Cum igitur Archiepiscopus &  
 Magister Ordinis, ab Imperio Romano, cuius  
 auxilium & opem assiduis legationibus supplices  
 imple-

imploraverant, se plane desertos judicarent; & ingentia Livonia, jam magna ex parte à Moscho & aliis occupata, vulnera remedium præsens flagitarent: extrema coacti necessitate, ut reliquas adhuc Livonia provincias, ne in Moschi potestatem pervenirent, nomini & Religioni Christiana conservarent; conditionem subjectionis à Rege Polonia flagit atam subire coacti sunt. Quare post multorum mensium tractationes, tandem Rex Nicolaum Radzevilum, Principem Lithuanum in Olica & Nischevitz, Palatinum Vilmensem, cum plenis mandatis in Livoniam misit, ut executioni transacta daret, & permissas sibi ab Ordinis Magistro arces, provincias, documenta & literas acciperet, & à Rigensi civitate, juramentum fidelitatis, nomine Regis Polonia exigeret. Hæc Chytræus, qui mox subjungit & Tabulas Regias quibus deditiis Livonibus cautum est & alia multa ad negotium illud pertinentia. Jam tum ante vero Daniæ Rex Fridericus fratri suo Magno ab Oeseliensi & Curoniensi Episcopo resignari curaverat Episcopatum illorum ditiones. Et hoc illud erat quod cau-

fabatur Polonus, quo minus pacto priori staret.

Neutri deditio, ut nec Danicæ illi, lego à Cæsare aut Imperii Ordinibus intercessum. Attamen cum anno septuagesimo pax inter Daniæ & Sueciæ Reges, post octo annorum bellum, Stetini conficeretur, & Magnus Holsatus à Moscho Livoniæ Rex esset renunciatus, qui transactioni pacis aderant *Cæsareani legati, Livoniam ab Imperio avelli, & à Magno Holsatiæ Duce Regis Dania fratre, titulum Regis Livonia, in præiudicium & contumeliam Romani Imperii à Moscho acceptum usurpari, ægerrime ferebant.* Inter capita pacis hoc ante omnia tum constitutum fuit: *Cæsarea Majestati & Imperio, Suecus, que in Livonia possedit, velut supremo Magistratui & Domino cedit. De quibus diœcesin Revaliensem & Osiliensem, Padis, Sonneburgam & Habsel, Dania Regis tutela Imperator statim subiiciet. Vrbs vero Revalia & Wittensteinum tantisper in Sueci potestate manebunt, donec Cæsarea Majestas cum eo Imperii nomine, de belli sumptibus in defensionem Revalia impensis, transegerit.* Qua



Qua de causa, Rex Dania, Moschum & fra-  
 trem suum, se ab obsidione Urbis Revalia tam  
 diu advocaturum sperat, dum Imperii totius no-  
 mine, Casarea Majestas & Principes Electores  
 5 deputato die, consilio & ope Regia Majestatis  
 Dania Polonia & Suecia, de splendida legati-  
 one ad Moschum inter se conveniant, ut vel pa-  
 cem cum Moschis constituent, vel acri bello con-  
 junctis viribus eum reprimant. Ita quidem  
 transactum fuit initio anni. Sequentis verò  
 10 anni Junio mense, Caput illud primum pacis  
 de Vrbe Revalia & diocesi vicina Casari &  
 Imperio à Suecia Rege concessa, Maximilianus  
 Imperator per Jonam Offenburgerum Revaliam  
 15 missum Senatui Revaliensi exposuit. Qui ni-  
 hil adhuc sibi de cessione illa Regis sui nomine  
 significatum esse, indicavit. Velle autem se  
 mandata ipsius Regia Majestati Suecica prima  
 occasione nunciare, & paulo post Casarea Maie-  
 20 stati reverenter respondere. Quæ omnia is quem  
 ante laudavimus Chytræus libro xxii his ipsis  
 quæ adduximus verbis memoravit.

Ex eo tempore motam aliquam ex pacto  
 Suecis controversiam Imperii nomine, haud

invenio. Duravit vero in Livonia omni Moschorum sævitia adhuc deinceps annos complures: Revalia ipsa anno septuagesimo septimo denuo tota sex hebdomadas obsidione cincta, & assiduis ac horribilibus tormentorum fulminibus & globis ignitis in tecta vibratis irritato tamen conatu oppugnata est. Nec acieverunt Moschi, donec multis præliis feliciter à Joanne Sueciæ Rege devicti Esthonia omni, quam pene suam fecerant, cedere, & pacem tandem duris conditionibus petere coacti sunt: quæ demum anni nonagesimi quarti initio fuit constituta. Cum Polonis quoque haud lego Imperii nomine occupatæ Livoniæ ergo disputatum vel actum esse. Gesserunt vero & ipsi acerrimum cum Moschis bellum usque in annum octagesimum primum: quo exeunte demum pax composita, & Livonia cedere Moschi compulsi sunt. Haud invenio etiam cum Dano exoptulatum, occupatæ Oesiliæ causa, à Cæsare & Imperii Ordinibus, etsi ille post obitum Magni Ducis sui illam juris fecisset. Ex adverso Esthoniæ sibi dedi postulantibus Polonis, electus tum Polonorum

norum

5 norum Rex Sigismundus III qui & Sueciæ simul imperabat, anno octogesimo septimo respondit teste Chytræo lib. 28 : *Suecos, Caroli V Ferdinandi & Maximiliani II Imperatorum literis ad Gustavum Ericum & Joannem Reges diversis temporibus scriptis, tutelam ejus provincie ab Imperio ipsis commendatam, demonstraturos esse.*

10 ATQUE ita quidem & Livonia nobis periit post Prussiam. Quicumque vero omnia isthæc cum cura expenderit, nisi vehementer fallor, culpa aliqua Imperii hæc ita contigisse non diffitebitur. *Primum* enim in officio utique fuit Imperii, Moscho non verba  
15 sed arma opponere, iisque salutem civium enixe opem implorantium saltim pro virili defendere : & tamen omne hoc fuit surdis auribus exceptum. Imo ne quidem aliqua missa legatione Moschum mitigate tentatum  
20 est. Quod ipsum apud omnes prudentes & probos solet haberi indicium certum derelictionis, prout capite nonodecimo multis disputavimus. *Secundo* facta jam illa Livonum ab Imperio defectione, nec à Polono

nec à Dano quidquam Imperii nomine fuit  
repetitum, pene jam integros centum annos.  
Quæ cum Sueco erant pacta itidem nulla fa-  
cta vindicatione aut etiam repetitione, spacio  
nonaginta pene annorum irrita itidem sunt  
facta: omni republica celerem, certe præ-  
sentem magis, curam exigente. Ut proinde et-  
jam hoc alterum signum fuerit factæ derelicti-  
onis. *Tertio*: quo tempore facta est illa ab Im-  
perio secessio, ne verbulo quidem fuit contra-  
dictum, tamen si minime omnium lateret quid  
fieret: adeoque non obscure fuit indicatum,  
illam secessionem nihil iniqui habere, ab Im-  
perio nullis auxiliis suppetentibus. *Postremo*:  
ita comparatum est, ut absque summo Livo-  
num incommodo recuperari pristina Imperii  
auctoritas nequeat, & tamen Imperio non fu-  
ere illi subditi quondam ad utilitatem domi-  
nantium sed suam. Fuerit igitur & recuperan-  
di conatus cum aliqua injuria conjunctus. Quæ  
cum ita sese habeant, jam & Livonia jure Im-  
perii finibus excidit.

## CAPVT XXX.

*De finibus Imperii Marinis, & totius  
operis peroratio.*

5 **P**eragravimus jam omnia Imperii regna, co-  
rumque jura ab exteris vindicavimus. Post-  
quam igitur satis est factum instituto no-  
stro, licet fortassis, bona cum venia lectorum,  
argumentum hoc deserere. Et vero quod su-  
10 per sit dicendum, pro modulo quidem nostri  
instituti, nihil superest; nisi forte de Maris,  
quod & Germaniam & Italiam & Arelatense  
regnum alluit, dominio nonnihil sit adjici-  
endum. Sane hunc locum haecenus non  
15 attigimus, & tamen ad disputationem de Fi-  
nibus videtur pertinere, quo constet, num ex-  
trema ora continentis aut insularum sit pro-  
termino, an vero ultra exporrecta sit Imperii  
vis, & in ipso mari fines ejus sint quaerendi. Ne  
20 quid ergo in nobis desideretur, breviter & de illa  
re differemus.

Ac principio quidem, quin possit mare &  
ipse immensus Oceanus, saltem magna sui par-  
te, privata possessione teneri, ceu certum &  
dubio

dubio carens, nunc quidem constituimus. Nec enim hujus est temporis cum iis contendere, qui existimant, omnimodo mare domini aut propriæ possessionis esse incapax : & jam tum cum olim tum non adeo pridem viri doctissimi, Joannes Seldenus præcipue & Jacobus Gothofredus, rem istam omnem hætenus quidem liquidam reddidere. Id hujus est officii, ut inquiretur, num quod maris dominium reapse Imperio competat, & si quod competat, quemadmodum illud sese habeat, quove usque extendatur.

Ab ipsis igitur Cæsaribus nostris vim aliquam Imperii in omnia illa maria unquam esse exercitam, haud liquet. Scio quidem titulum Caroli V Cæsaris nostrate lingua ita perscribi solere, quasi ille dominus fuerit Oceani. At vero non Imperii sed Hispaniæ causâ quondam verba id quæ præ sese ferunt titulo addita sunt; perinde ut omnia quæ proximè adjacent, de Insulis Canariis, Indiis, & Terra firma: eoque nemo secutorum Cæsarum Oceani ullam in titulo suo fecit mentionem. Sed & error quidam videtur in

in interpretatione Hispanici tituli commissus ab hominibus nostris, quod etiam Joannes Seldenus annotavit *l. i. Maris clausi cap. 17.* Nam nostri quidem ita pene loquentem Carolum introducunt: *Insularum Canaria, nec non Indiarum & Terra firme, maris Oceani &c. Rex, Archidux Austria:* quasi & Maris Oceani Regem sese Carolus dixerit. Sed hallucinatio est (ut recte scribit Seldenus.) Hispanica enim sunt: *Rey de las Islas, y terra del mar Oceano &c. id est Rex Insularum, & Terra firma Maris Oceani, Scilicet sive Insulas sive Continentes Oceani, seu in Oceano positas spectes* (quas Ferdinando V Hispaniarum Regi concessit Alexander VI Pontifex Romanus, universas à primo longitudinis circulo in Occidente positas) earum se Regem nuncupat, non ipsius Oceani.

Porro etsi Principibus marium accolis regalia quæ appellantur Cæsares concesserint, haud tamen fortassis eorum cuiquam Maris aliquod dōminium conceptis quidem verbis sunt largiti. Mihi sane in omnibus quas vidi Tabulis feudalibus Cæsarum

Qqqqq

(vidi

844 DE FINIBUS IMP. GERMANICI  
(vidi autem complures,) nihil tale est obser-  
vatum. Insulae tamen Maris continenti vi-  
cinores passim solitae in beneficium dari: ut  
& fluvij insignes in mare rerento suo nomine  
late excurrentes. Mutant scil. identidem lit-  
tora vices suas; & quem locum aliquando flu-  
vius tantum aliquis alluit, illum Mare tan-  
dem occupat, superstite tamen nomine prisco  
fluvij in loco isto. Id quod in Ostfrisia pa-  
triam mea circa Amasum observare est: cuius<sup>10</sup>  
nomine etiam pars illa Oceani venit hodie  
quae continentem inter & insulas quasdam  
proximas diffunditur: adeoque cum alia tum  
& Amasi appellatione Principibus meis à Cæ-  
saribus solet disertis verbis in fidem concedi.<sup>15</sup>  
Sic in Tabulis Pacis cum Regno Sueonum  
nuper initae art. x. conceditur in feudum Sue-  
onum Regno: è *Pomerania ulteriore Steti-  
num, Gartz, Dam, Colnou, & Insula Wollin,*  
*una cum interlabente Odera & MARI, vulgo: 20*  
*das frische Haff vocato, suisq; tribus ostiis Prene*  
*Echwinne & Drevanow / atq; adiacente utrinq;*  
*terra ab initio territorii regii USQVE IN*  
*MARE BALTHICUM.* In Tabulis  
quibus



quibus Otto Magnus Cæsar olim Papæ Romano multa donavit Adriatico pariter & Tyreno mari vicina, fit mentio *maritimorum* & quæ *terra marique ad civitates* nonnullas *pertinent*: cenliquet ex illis quæ cap. x in medium adduximus: satis tamen apparet, per ea quæ *mari* dicuntur pertinere ad civitates, insulas vicinas intelligi, ut per *maritima*, partem continentis mari proximam, eoque hanc  
 10 opponi *montanis* sive montis Appennini partibus.

Non desunt, scio, ex Jurisconsultis, qui vicini maris dominium omnibus littorum dominis competere existiment, eamque sententiam sic satis pervulgatam esse: & inter eos à  
 15 nonnullis usque illuc ubi vox ex litore clamantis potest exaudiri, ab aliis sagittæ jactu, ab aliis centum milliaribus, ab aliis sexaginta Viciniam istam definiri. Verum enimvero  
 20 cum omnis privata possessio unice ab hominum sit instituto, & gentium mores hac in re plurimum varient, neq; naturali neq; omnium gentium legibus de dominio hujus marinis finibus certi aliquid est constitutum, atque

ideo ex illis quidem fontibus peti nihil certi potest, quod huc pertineat. Romanorum legibus nihil itidem hujus est definitum: & quamvis esset, non tamen illæ Imperii Germanici dominia maritima ostendere idonea forent. Ergo omne hoc definiendum unice est ex moribus & institutis receptis singulorum populorum. At vero Germanici quidam populi olim maris dominium plane videntur contempsisse. De Autharito Langobardorum<sup>10</sup> Rege scribit Paulus Warnefredus l. i. de gestis Langobardor. cap. 33, illum Regium usque, extremam ad fretum Siculum Italiæ urbem, vim regiam exercuisse. *Et quia, inquit, ibidem in-  
era maris undas columna quadam esse posita di-  
citur, usque ad eam equo sedens accessisse, eamq;  
de hasta sua cuspidet tetigisse dicens; Usq; huc erunt  
Langobardorum fines.* Ferunt alii, similem in  
modum Magistrum Ordinis Germanici, limi-  
tes domini sui in mare Balthicum Prussiam al-<sup>20</sup>  
luens, equo candido in litore extremo in-  
sidentem exserto gladio definiisse. Alii lan-  
ceæ in extremum mare Cimbricum jactu Ot-  
tonem Magnum terminos Imperii constituisse  
narrant

narrant: sed qui referunt lanceæ illum jactum Saxo Sialandicus l. x & alii, istum in finem id factum haud affirmant. Saxo diserte *monu-  
menti gratia* id actum memorat. Cæterum  
ne hoc quidem perpetuum fuit omnibus Ger-  
manicis gentibus; nam Norvvegicæ ac Danicæ,  
quæ itidem Germanicæ quodammodo sunt, ipsi-  
usmet vasti Oceani bonâ partem suæ ditionis jam  
olim crediderunt, qua de re præclare differit  
Isacius Pontanus l. 2. Discussion. Historiar.  
cap. xi & xxi. Fecerunt idem & Angli Saxo-  
nesque Britannici, Germanicæ & illi originis.  
Quod pulchre ostendit Seldenus: at hujus loci  
non est enarrare.

Præterea vero Imperii quidem Germanici;  
soltim post Carolum Magnum, auspiciis nun-  
quam forte classis aliqua in maris dominium  
instructa est. Ne alteri quidem maris alicujus  
cura publica est Imperii nomine tradita; si  
excipias id quod semel forte atque iterum est fa-  
ctum. Certe non in Regno vel Arelatensi  
quod à mari Tyrrheno; vel in Lotharingico  
quod ab Oceano alluitur; tale quid unquam  
legas factum. In Regno Germanico, de Oceani

Ammiratio, ut loquuntur, constituendo, actum quidem est Rudolpho II Cæsare sub initia hujus sæculi, sed successu consolium caruit. Ferdinandus II Cæsar V Vallesteinium & Oceani & Balthici maris Ammiralium creavit: at res, novi exempli statim magnis motibus occasionem præbuit, & mox irrita evanuit. In Italico Regno similem magistratum mari Tyrreno præfecit primus quod sciam Fridericus II Cæsar. In cujus epitaphio proinde hunc versiculum etiamnum legit Sicilia: *Qui MARE, qui terras, populos & Regna SUBEGIT.* Ad illud exemplum præfecturam ejusdem maris Henricus VII Lucelburgius Friderico Siciliae Regi, Carolus quintus Andreae Austriae commiserunt.

Classe tamen nonnullæ Imperii civitates maritimæ plurimum valuerunt jam ab aliquot centum annis; & quidem usque adeo, ut quædam haud dubitaverint omne vicinum mare suam in potestatem redigere, & tanquam rem privatæ possessionis sibi vindicare. Ita sane Pisani vicinum omne Tyrrenum mare, Genuenses Ligusticum sui juris fecerunt. in Balthicum

thicum etiam mare urbes vicinæ, cum primis Lybeca, late satis jamdudum imperium exercuerunt. Aliæ etsi non plenum dominium sibi asseruerint, tamen piscandi jus solis sibi per ingentem maris tractum occupavere: de reliquo maris illius, qua littoribus nostris vicinius est, usum liberum & communem omnibus, privata omni dominatione exclusa, permittentes. Et vero florentibus adhuc Slavorum rebus, in ipso Balthico isto mari valida fuerunt potentia Venedi, Danis ipsis sæpe superiores; quod passim fatetur Saxo. In eandem potentiam mox Saxonicae coloniae, oppida maritima occupantes, successerunt. Imo aliquamdiu universi illius maris imperium potissima ex parte penes Hansici foederis urbes tenuit.

In Oceano multum quoque semper potuerunt urbes proximæ, in Saxonia cum primis Brema & Hamburgum, in Frisia & Hollandia complures. Etsi vero dominium aliquod Oceani proximi sibi nunquam arrogaverint, tamen piscandi jus sibi proprium effecere, & ab aliis dominium aliquod ibi arripere nunquam

quam passæ sunt, libertati suæ Oceano relicto. Et vero nullus populus, nullus Princeps in omnem Oceanum illum Germanicum vel allecavit unquam antehac dominandi aliquod jus. Primus sane Albericus Gentilis homo Italus sed in Anglia degens, universum Oceanum Anglicano sceptro obnoxium pronuntiavit, *l. 1. Advoc. Hispanicæ cap. 8.* cujus insanum illud dogma deinceps defendendum suscepit, magna quidem & ingeniosa opera invalida tamen, integro libro secundo Maris clausi, lectionis fere infinitæ scriptor Joannes Seldenus. cum ipsamet sapientissima Elizabetha longe aliter & rectius judicaverit, quod discimus ex Cambdeno ad annum 1580: & Jacobus Rex limites Regni sui marinos publico edicto exacte distinxerit ut ab aliis ita & à Germaniæ vicinia: quod ipsemet Albericus non potuit diffiteri. Eadem olim conditio fuit Maris Adriatici, donec illius dominium usu suum effecerunt Veneti: quod tamen demum exercere cœpisse videntur Theupolo Duce circa annum MCCLXIII, quantum ex *l. 8. Decad. 2. Blondi* colligere est, etsi alii ad seculum duodecesimum ejus initia referant. Quamvis vero non Imperii uni-

rii universi mandato Vibes & populi dominium illud maris exercuerunt: reapse tamen omnia Imperii tacita auctoritate sunt gesta, utpote quum subditi lucrari soleant suæ reipublicæ.

5 In universum igitur omnia æstimantibus haud difficulter apparet: *Primum*, ultra littora extensos ubivis Imperii limites, atque adeo non sola continente Imperii vim & jura circumscribi. *Deinde*: non ubivis æqualiter tamen ex-  
 10 porrigi maris illud dominium, sed alibi illud latius patere, alibi arctioribus finibus includi, idque non nisi exploratis cujusvis loci priscis moribus juribusque exacte posse definiri. Quod ipsum demonstrasse, nunc quidem satis est pro institu-  
 15 to. Ut proinde Finibus Imperii, quod nos quidem hoc loco disseramus, nihil sit reliquum.

20 **I**MPERII FINES, per longi temporis actus,  
 Inque vicem bona esse malis; immensa que  
 quondam

Angusto contracta loco, sed jure perenni

Ampla tamen satis, Et reliquo sat robore tuta,

Per scripsi: qua rara pedum vestigia signant,

Rrrrr

Avia

*Avia jam dudum, peragrans dumisq; referta.  
 Interea misere lapsas res erigit omnis  
 Teutonia, magniq; agitans Comitibus Regni  
 Magnus, & Augusto subolem diademate cingens,  
 Vocibus innumeris applaudente aethere, Caesar, &  
 Fortunate nimis triplici jam murice splendens,  
 O IVVENIS, jam tum Hesperii spes ultima  
 mundi,*

*Et vos Semidei Proceres, generosa propago  
 Heroum: Vobis heic sanctus panditur ordo <sup>10</sup>  
 Imperii, quondam seu duro Marte regendum  
 Mollibus aut fuerit ducendum pacis habenis.  
 Fas mihi sit dare thura sacris ubi maxima Roma  
 Ausoniiq; omnes adolent; ubi victima multa  
 Burgundo mactante cadit; Lotharingius ingens  
 Ipseq; cum Venedo supplex Theotiscus adorat;  
 Mille alii festosq; dies ritusque celebrant,  
 Danubio multum letante, faventibus & Diis.  
 Salve magne Ister. liceat mihi dicere verum,  
 Et casus memorare graves, durosque labores <sup>20</sup>  
 Imperii. Meministi autem & felicia secla,  
 Germanam quando trepidabant undique gentes  
 Ferri aciem; rursusque eadem presage futuri  
 Fata secuturis Ponto minitaris ab annis.*

O uti-



*O utinam sua prisca animis Concordia nostris,  
Cana Fides, pridemq; Themis proscripta redi-  
rent!*

*Sat felix Germane fores in Finibus arctis.  
5 Fallor, an & priscam longe trans culmina celsa  
Pyrenes, transq; aërias vim dideret Alpes  
Teutonia, ac nostrum, victo licet orbe superbus,  
Pronus adoraret vestigia Turcus equorum?  
Tunc ego, jam multo fortassis tempore fractus  
10 Jam tremulusq; licet, frontem redimitus oliva;  
Et niveam indutus vittam, Finesque reversos  
Dicerem & eternis celebrarem laudibus ævum.*

15

**F I N I S**

20

Rrrrr 2

HER-


HERMANNI CONRINGII  
PRÆFATIO IN POLITICA  
ARISTOTELIS

Ad

*Illustrissimum Principem*

D. G V I L I E L M V M

Ducem Brunsvicensium & Ly-  
neburgensium.



Uicunque Germaniam nostram spe-  
ctare hodie sine gemitu imo lacrumis  
potest, ILLUSTRISSE PRINCEPS, nã  
ille aut stupidus est, aut vero tam ma-  
lus ut præ animi perversitate non tan-  
gatur publica calamitate. Ac stupido  
quidem atque inepto homini nemo facile succensabit:  
qui vero eo usque processerit malitiæ ut tantis malis  
delectetur potius quam ingemiscat, illum sane ex Ger-  
manorum numero ejiciendum, imo ex humanæ na-  
turæ finibus exterminandum, nescio an non quili-  
bet mecum bonus cordatusque judicaverit. Eo nimi-  
rum devenimus miseriam, ut vix illi quidquam possit ad-  
di præter longam moram; sacris profanisque omnibus  
pollutis jam imo conculcatis. Neque vero unquam<sup>20</sup>  
æque infelice fuimus loco, ex quo in unam civitatem  
Germanici populi coiere. Toti autem octingenti sunt  
anni, quum Caroli Francorum regis rara felicitate,  
omnis Germania unum sceptrum caput colere. Et si  
enim

enim tam immenso temporis tractu numquam feresua  
 Germaniæ mala defuerint; numquam tamen illa aut  
 tanto cum damno aut tanto cum periculo fuere con-  
 juncta. Neque enim à vicinis quidem habuit olim  
 quod metueret Germania: quoniam in parva atque in-  
 5 valida magnam partem regna tum illi dividerentur,  
 ipsa contra viribus ac magnitudine omnibus longo  
 præstaret. Nam Galliæ quidem regnum quod trans  
 Mosam & Scaldim nobis est, suos limites ab Henrico  
 quem Aucupem nuncupant, & post ejus filio Othone I  
 accepit: quo Sequani, Sclabi, Leuci, Mediomatrices,  
 inque his Lotharingia, Lucemburgensis, Namurcen-  
 sis, aliæque ditiones complures, Germanici juris sunt  
 facti, & uno ut verbo dicam omne illud regnum Lotha-  
 rii quod dicebatur æternis legibus Germaniæ nostræ  
 Cisirhenanæ conunctum est. Accessit post Conrado  
 Imperatore Burgundiæ sive Arelatense regnum: quo  
 simul Sebutiani, Viberi, Veragri, magna Helvetiorum  
 pars, Allobroges item, & Galli Provinciales, atque a-  
 deo quicquid à Jura monte inter Rhenum & Rhoda-  
 num ad mare usque decurrit, intra limites Germanici  
 Imperii sunt recepti. Illa ergo tempestate profecto non  
 multum valuit Gallia, nec potuisset illa transgredi hos  
 limites, si, ut primum, ita post Cæsarum Regumque  
 nostrorum dignitas mansisset salva. Eodem tempore  
 nec Polonia late patebat: à septentrione sc. Æ-  
 styorum gentibus Prussis, Livonibus, à meridie Bohe-  
 mia, Moravia, atque Ungaricis montibus, ab ortu Rus-  
 sis ac Lithuanis, ab occidente denique Marchia Bran-  
 denburgensi inclusa; à Conrado in super Saliquo Cæsa-

re & fidem jurare & annum tributum iussa pendere  
 quingentarum marcarum auri. Ungaria etiam num-  
 quam sese movere est ausa, ex quo intra fines suos, a Ca-  
 rolo Magno olim Hunnis positos, ab Henrico Aucu-  
 pe & Magno Othone est compulsa: quin haud semel  
 deliberatum in Ordinum conventu, de illa in provin-  
 ciam redigenda, annitente potissimum fortissimo Cæ-  
 sarum Frederico Ahenobarbo. Eadem ferme conditio  
 Daniæ fuit & Sueciæ. De Italia vero dicere ineptum fu-  
 erit, ut quam paruisse Germanis ea ætate certum sit;  
 nunc vero etiã Imperii Germanici leges audiat. In uni-  
 versum ergo æstimanti, unam Germaniam ad Henri-  
 cum IVtum usque, non singulis tantum vicinis regnis  
 ac populis, sed & universis potuisse opponi, non est  
 quæ debeat videri dubium aut vero absimile. Postilla  
 (fateor) magis magisque & lapsa Imperii dignitas pa-  
 riter, & crevit in vicinis nonnullis haud parum poten-  
 tia. *Æternum sc. est illud Livii: Nulla magna civitas  
 diu quiescere potest: si foris hostem non habeat, domi invenit.*  
 Erant Germaniæ populi animo feroces, manu prom-  
 pti, bello læti, assueti latrociniis: neque nova tentatu-  
 ris hæcenus quidquam fere præter occasionem aut vi-  
 res defuerant: Henrico scd IV Cæsare neque illa neque  
 hæc amplius desiderabantur. Nam qui antecesserant Re-  
 ges publicorum regni bonorum imprudente profusio-  
 ne, cum rerum gerendarum nervo vim sibi auctori-  
 tatemque multum jam præsciderant. Eo quippe vitio  
 ab antiquissimis usque temporibus Germanicæ semper  
 laboravere res publ. ut nulla fisci atque ærarii facta di-  
 stinctione, omnium æque prodigendi potestas Regibus  
 per-

5

10

15

20

5 permitteretur, hi vero nullum ejus modum ponerent: quo regna interire necessum est. Accesserat jam tum aliud regnis æque exitiosum vitium, nimia quorundam procerum, sacrorum præcipue, potentia, eaque novo vitio pene hereditaria facta. Namque initio qui-

10 dem innumeros in Comitatus quos vocant divisa Germania fuerat: jam tunc temporis vero, multis Comitibus minus circumspecta Cæsarū liberalitate in unum corpus concrenentibus, quidam Procerū formidabiles suis opibus erant. Et sane tales cum alii tum imprimis quidā erant Episcoporum; quod majus erat vitiū: quippe cum hi præter opes religioni e etiam armarentur. Au-

15 reum sc. est illud Aristotelis scitum: κοινή δὲ φυλακὴ πάσης μοναρχίας, τὸ μὴ τένα ποιῆν ἓνα μέγαν ἀλλ' εἰπερ, πλείους. τηρήσονται γὰρ ἀλλήλους. εἰ δὲ ἀρετὰ διὰ δὲ ποιήσονται μέγαν, μὴ τὸν τό γένηται ἡγεμονία. Ἐπιτηκώτατοι γὰρ τὸ τοῦτον ἢ ἡγεμονία πάσας τὰς περὶ αὐτοῦ μοναρχίας custodias

20 est, neminem unum magnum facere, sed plures si ita videantur, mutuo enim sese observabunt. Quod si aliquis magnus faciendus fuerit, non is tamen qui est ingenio audaci, talis enim ingenium omnibus in rebus est turbulentissimū. Tantis vero vitiis laborante regno, quis miretur, Rege ob ætatem adhuc despecto, immutatam tunc reipubl. pristinam faciem, ac soluta Regiæ auctoritatis vincula esse? Certe occasionem motibus ejus temporis ab immaturis Regis annis datam, jam tum Adamo est Bre-

25 mensi observatum. Gubernaculo, inquit ille, regni mulier cum puero magno Imperii præfuit detrimento. Indignant enim Principes aut muliebri potestate constringi, aut infantuli ditione regi, primo quidem conjuncti vindicantur se

in pristinam libertatem, ut non servirent: deinde contentio-  
 nem moverunt inter se quis eorum videretur esse major: po-  
 stremo armis audacter sumptis Regem & dominum suum depo-  
 nere moliti sunt. Atque Rex quidem factus adultior, qua  
 erat animi magnitudine, recuperare pereuntem digni-  
 tatem haud segniter profecto laboravit; sed neque sa-  
 tis omnia prudenter fortassis egit, & intervenire non-  
 nulla fatali quadam adversitate, quæ penitus ipsum  
 tandem regno atque omni plane auctoritate exuerunt,  
 Nec vero prudens quis forte laudaverit, quod ab E-  
 piscopis in ordinem redigendis reparandæ dignitatis i-  
 nitia voluerit facere. Quin nec id forte satis caute in-  
 ceptum, quod quum Saxonorum Principum poten-  
 tiam præcipue suspectaret; eamque vellet imminutam;  
 militari licentia irritari ante eos passus, mox uno illos  
 impetu ad obsequium cogere conatus sit; quum tamen  
 nec rebus sat firmis esset, & præterea jam tum cum  
 alios Principes tum in primis Episcopos multis injuriis  
 offendisset, adeoque in impietatis ac injusti iæ opinionem  
 se conjecisset: queis regiam vim affectanti nihil est per-  
 niciosius. Neque vero ita tractandi sunt si qui sint fe-  
 roces, altiusque excreverint quam regni fortassis inter-  
 sit dignitatis. Sapientissime sc. Aristoteles jubet; καὶ τῆς  
 δυνάμεως πᾶσα δοκίμωτος, ἐκ προσαγωγῆς τῶν πραγμάτων, ἢ μὴ  
 πᾶσαν ἀφαιρῆσθαι τῆς ἐξουσίας ἐπι καὶ πάντως ὡς ἔστι  
 ὡς ἔργασθαι: Atque si alicujus potentia videatur dissolvenda,  
 erit hoc sensim ac paulatim faciendum, nec universa simul au-  
 ferenda. Præterea abstinendum omni contumelia. Idem non  
 minus prudenter suadet, debere regem, τὰ ἑαυτοῦ  
 θεῶν φαίνας αὐτὸν σπουδαίοντα ἄλλοις φερόντως: videri semper ea  
 maxime

*maximè curare qua ad Deos pertinent.* His itaque rebus  
 quum tandem nunquam auditum hæcenus fulmen  
 Pontificium ex Italia apud animos novarum rerum co-  
 pidos & pariter perquam superstitiosos accederet, fie-  
 ri aliter non potuit, quam ut regiae majestatis quod su-  
 5 pererat magna prorsus parte interiret. Et interiit cer-  
 te, quando Principatibus aliis jam ante fere factis here-  
 ditariis, Episcopatum etiam atque Abbatiarum colla-  
 tiones quas appellant regio arbitrati sunt ereptæ. Bene  
 enim Onuphrius Panvinius in vita Gregorii VII scribit,  
 eo ipso *majestatem & dignitatem Imperii Romani everfam;*  
*dimidium Imperii ab Imperatore sublaturam; imo ea fundamen-*  
 10 *ta jacta, quibus illius potestas omnino labefactaretur.* Ita sc.  
 sese res habet: tantum quis valet quantum aut poenis  
 aut largitionibus valet: metu autē sublato & si nec, quod  
 à te sperent, supersit, simul & auctoritas omnis conci-  
 dat necessum est. Neque vero post multum est Impe-  
 ratoribus relictū quo animos male subditos sibi conci-  
 15 liarent: itaque & paulatim magis magisque dignitas eo-  
 rum imminuta, & Regnum varias in partes vix leviter  
 mutuò connexas discerptum est. Non enim eo ex-  
 tempore tam serio de reipubl. magno illo & integro  
 corpore conservando fuit actum, quam quo unus quis-  
 que communi corpori sese subduceret, privatimque  
 20 potentia aliqua parta regiam vim inter suos exerceret.  
 Eo sane factum, ut procedente tempore nonnullæ  
 Imperii veteres portiones in libertatē (quod quidē ipsis  
 visum; cum tamen in majorē plæriq; servitute sint re-  
 ductæ) se vindicaverint: nonnullæ opibus in aliorum  
 formidinem creverint, coalitis jam illis olim infinitis

Comitatibus ad paucos: quod ipsum quidnam minite-  
 tur haud latet peritos rerum. Certe eum in locum de-  
 Iniq; respublica venit, ut vix quidquam superfuere am-  
 pius quo unitissima ante Regni membra ad communia  
 consilia continerentur, præter Turcicæ potentia &  
 proscriptionis metum: donec Friderico III & Maxi- 5  
 miliano Cæsaribus de arctius conjungendis Germaniæ  
 Ordinibus magis sedulo cœpit acitari. Et vero eo con-  
 filio in Circulos, quos vocant; Germania divisa est.  
 Nec illud non merito laudaveris: si non & illa divisio  
 unitati reipublicæ nonnihil fortassis impedimento sit.  
 Adeo sane noxia civitati omnis distinctio est, ut vel  
 locorum aliqua varietas atque intercapedo seditionibus 10  
 sufficiat alendis: quod prudentibus notatum. Faten-  
 dum tamen omnino est, post deminutam regiam au-  
 ctoritatem, huc illuc dilabentibus Imperii membris, non  
 melius remedium aliquot fuisse seculis adhibitum. Cer-  
 tē abs illo si fuisset, jam dudum Germania in partes dis-  
 soluta inque se mutuo ruens interiisset. Taceo & pa 15  
 ci publicæ eo consultum esse, & legum auctoritati; quæ  
 sine cogendi facultate ludibriū justitiæ sunt. Nonnullis  
 sanè leviter mutatis & paucis additis, si non ad profe-  
 rendos limites aut recuperanda amissa, ad defendenda  
 tamen quæ supererant, imprimis ad libertatem Ordi-  
 num conservandam, illis institutis sufficere sibi Germa- 20  
 nia potuit. Sed vix cœperat illa constitutio, quum  
 exorto religionis dissidio, ita statim Principum populo-  
 rumque animi sunt distracti quam antehac nunquam  
 enatisque religionis aut causa aut prætextu variis facti-  
 onibus effectum est, ut optimo instituto, quoque uno  
 pene



pene Germania stabat, suus fructus idem talem hactenus defuerit, donec hoc civile bellum, omnium queis Germania unquam laboravit funestissimum & mole maximum, illam pariter & bonas leges cæteras sustulit ac conculcavit. In cas sc. angustias coniecta est hodie discordiis nostris, Illustrissime Princeps, Germania, ut antegressa mala ludum jocumque præ hisce merito dixeris. Nocuerunt enim plurimum quidem istæ post Henricum IV Cæsarem innumeræ pene factiones, effeceruntque ut, sublato metu, vicini populi primo Imperium detrectari, mox & partem Germaniæ decerpi, impune posse didicerint: illi tamen & damni minus poterant dare utpote initio ipsi quoque non multum validi, & minus etiam sunt ausi memoria antiqui roboris Germanici adhuc durante, neq; ita ut nunc singulorum attritis viribus, animisque omnium distractis in diversa. Neque vero aliam ob rem quam propter intestinos majorum motus & Polonia & Italia paulatim imperium exiit Germanorum: neque alia fere de causa Transalpinas regni partes invadere Galli, Poloni, aliique sunt ausi: certe non alia occasione multi Imperio subditi Ordines propria sibi domi regna cœperunt condere. Hæc quippe omnia Optimatum nostrorum cum Cæsare Henrico IV bella statim exceperunt. Quod quoniam de Polonia quidem, scriptor ejus ætatis accuratissimus, Lambertus Aschafnaburgensis, sapienter memoriæ tradidit, forte haud abs re fuerit illum heic audiri. *Dux Polonorum*, inquit ille ad annum MLXXVII, qui per multos jam annos Regibus Teutonicis tributarius fuerat, cuiusque regnum jam olim Teutonicorum virtute sub-

etum atque in provinciam redactum fuerat, repente in super-  
 biam elatus, propterea quod Principes Teutonicos cerperet  
 domesticis seditionibus occupatos, nequaquam ad inferenda ex-  
 teris gentibus arma vacare, regiam dignitatem, regiumque  
 nomen sibi usurpavit, diadema imposuit, atque ipso die Nata-  
 lis domini à XV Episcopis in Regem est consecratus. Quae brevis  
 post comperta, Principes Teutonicos, quibus reipubl. dignitas  
 cura fuit, graviter affecere: sibi que invicem succensebant,  
 quod dum intestinis in se atque in sua viscera odiis savirent  
 & digladiarentur, potentiam opesque barbarorum intantum  
 aluissent, ut jam tertio Dux Boëmicus regnum Teutonicum ser-  
 ro & igne populabundus peragrasset, & nunc Dux Polonorum  
 in ignominiam regni Teutonici, contra leges ac jura majorum,<sup>10</sup>  
 regium nomen regiumque diadema impudens affectasset. Hæc  
 ille; prolixius forte quam ut omnia ejus verba recitari  
 à me debuissent: vere tamen. Quibus profecto manife-  
 stum fit, tunc etiam temporis, omnibus in partes  
 scissis, damnum civilis discordiæ serio nonnullos Pro-  
 cerum deplorasse. Et vero, redacta quidem post<sup>15</sup>  
 non nihil in ordinem vicissim est Polonia, sopitis facti-  
 onibus; iisdem tamen recrudescuntibus in immensum,  
 Frideri II Cæsare potissimum, cumque illo conci-  
 dentibus majori ex parte regiae dignitatis reliquiis, illa  
 ad ingenium reversa non tantum penitus Imperii sese  
 legibus subduxit, sed & Jagellone rege in eandem rem-  
 publicam concedentibus Lithuanis, ita crevit, ut nec<sup>20</sup>  
 dubitaverit, præter Masoviam, Æsthyorum gentes,  
 Prussos inquam & Livonos, nobiles profecto Impe-  
 rii Germanici portiones, sui juris efficere. Minor fuit  
 Italiae fortuna, & ipsa quippe factionibus laborante;  
 quantum

quantum tamen contra Germanos post funesta illa Henrici cum Principibus certamina fuerit ausa, quantumque extulerint nonnullæ Langobardici regni urbes caput suum, in quam potentiam Curia Romana Germanicis illis motibus surrexerit, quomodo denique novum ibi regnum conditum erepta Apuliæ provincia; nemo ignorat nisi rerum ejus temporis imperitus. Is vero ibi fuit exitus: ut qui Fridericum II sequuti sunt Cæsares, contenti fere jura sua antiqua per factiones Gibellinicas conservare, præter Augustum Imperatorium nomen, umbram potius prætinæ auctoritatis retinuerint in Italis quam vim certam imperii. Non alia autem occasione & Arelatense Regnum in Galliæ potestatem pervenit. Interceptum enim initio illud esse Rudolpho Rege, summe debilitata post interregnum publica Cæsarium auctoritate, & componendis turbis occupato Rudolpho, memorant annales. Obtemperabant quidem etiam ante minus quam par erat regiones illæ; sed & illud reipublicæ vitio fiebat, quum summi ante imperii jure Cæsares nostri post Conradum illis præfuisent. Quicquid sit; certe quod illius regni pleraque hodie Gallici juris habeantur, sive fideciarium illud jus sit sive pleni dominii, (neque enim id disputare nunc meum est) intestinis profecto dissidiis debet Germania; coactis tandem Cæsaribus quacumque beneficii specie donare quæ ipsis nolentibus tamen possiderentur. Jam Mediomatricum urbem, Tullum item ac Virodunum, qua Galli ratione suæ ditionis fecerint, quum patrum memoria sit gestum, neminem potest latere: sicuti neque id temere quem-

piam fugit, quantum in Italiam aut Carolus VIII sit au-  
 sus aut post illum successores tentaverint, Interim vi-  
 delicet dum decrevit regia dignitas apud nos & respu-  
 blica in partes minuta est, alibi contra crevere in im-  
 mensum civitates, aut productis limitibus, ut apud  
 Polonos, aut vi regnantium aucta, ut in Gallis. Nam 5  
 Poloniæ quidem regnum vastissimo hodie spacio à no-  
 bis in Pontum usque Euxinum, ab Vngaria item ad  
 Suevicum seu Balthicum mare extenditur; quum olim  
 istos quos ante significavi terminis coarctaretur. Non  
 multa etiam secula effluxere, quum Regum auctoritas  
 in Gallis pene precaria magis esset quam suæ spontis: 10  
 at postquam Ducatus Comitatusque, quorum & apud  
 illos magnus olim numerus atque regibus æmula po-  
 tentia erat, non ad optimates ut in Germania sed in  
 regum devenere potestatem, simulque pulsis Anglis &  
 emortuà Burgundicâ domo, cesserunt formidabiles  
 factiones; auctis opibus additum Regibus robur maxi-  
 mum est; adeo ut jam seculo integro amplius, qui sua 15  
 antehac agrè tuebantur, Europæ universæ fortunam  
 non levi nunc ex parte moderentur. Eadem vero con-  
 ditio est & reliquorum ferè regnorum omnium. Vn-  
 garorum enim etsi multum sit labefactatum, tantum-  
 que non penitus excisum, in illum tamen locum ac-  
 cepimus longe potentissimam Othomannicam tyran- 20  
 nidem; adeoq; nullo hodie latere magis metuere habe-  
 sibi Germania quam illo ipso, cervicibus nostris immi-  
 nente hoste non minus crudeli ac inhumano quam va-  
 lido & feroci Quæ item memoria ( ut in Septemtionem  
 me convertam ) aut ipsa meminit aut audivit ex majo-  
 ribus,

ribus, Suecorum auspiciis in media Germaniâ gestum  
 bellum, quale nostra ætas videt maximum? Quæ se-  
 cula tam compositam Danorum rempubl. memorant,  
 quàm illa est hodie? Quâdo omnis Britannia uni paruit?  
 ne dicam de Rufforum imperio, quàm illud vastum  
 5 Tatarorum plurimis subactis cæperit esse nuper pri-  
 mum. Jam Hispania quis ignorat aut quo terrore to-  
 tum terrarum orbem compleverit, vel quam recenter  
 demum formidabilis illa esse ceperit? Tangere enim  
 isthæc nunc fatis est; memorare fuerit inane ac super-  
 fluum. Sed quum tanta sit omnium circumcirca  
 10 regnorum potentia hodie; quumque discordiæ nostræ  
 civiles jam dudum damni tantum potuerint dare, va-  
 lidioribus adhuc rebus Imperii, adversariorum autem  
 minus valentibus; quum denique jam olim istæ despe-  
 tabiles nos reddere potuerint, quæ tamen numquam  
 in hunc modum exarserant: quid sperare hodie habe-  
 mus, Sapientissime Princeps, quid habemus nobis pol-  
 liceri? Neque vero inter potentes tuto quiescas. Vbi  
 15 dominatus quæritur pax aut tranquillitas tua irrita-  
 mentum est servitutis. At vero bellis intestinis impli-  
 cita gens non nisi civilia cogitat, nil metuens nisi civile,  
 de reliquo secura, quasi aut à nemine videretur aut me-  
 dios inter amicos ageret. Idem tamen etiam id solet fie-  
 20 ri, quod alibi ait Titus Livius, ut *pars quæ domestico cer-  
 tamine inferior est externo potius se applicet, quam civi cedat.*  
 Sic odio præsentium videlicet agitantur sæpe partes, ut  
 sperent salutem ab iis etiam quos suæ salutis insidiari,  
 aut remota paululum affectus nebula ignorare non  
 possent. Utinam vero non etiam nobis contingat  
 quod

quod verè olim de Romanis divinavit Crispus! Ego sic existimo dicebat ille ad Cæsarem, quoniam orta omnia intereant, quâ tempestate urbis Romana fatum excidii adveniarit, cives cum civibus manus conferturos. Ita defessos & exsanguis regi aut nationi praeda futuros. Aliter, non orbis terrarum, nec cuncta gentes conglobata, movere aut consundere queant hoc imperium. Ac certè non etiam Germanorū Imperiū vel uniti vicini populi omnes, vel remotiores quique lacefferent impune, si concordēs ageremus, & idem volentes idem nolentes consulere-mus in commune: contra quam plane quum passim fiat, prohibeat saltim Deus id omen transferatque in hostes malum illud, quod prudentia nobis metuen-<sup>10</sup> dum judicat. Neque tamen externis tantum patet ad ictum civitas suis diffidiis, sed & ipsis civibus, ipsis amicis ejusdemque sacramenti hominibus; maxime ubi veram atque sine exceptione victoriam qui expresse- rint. Habent quippe illi tunc in manu rempubl. inque arbitrio suo, quam ut velint in pristinum reducere ita-<sup>15</sup> tum, vix possint tamen præ acceptæ injuriæ memoria & metu vindictæ. *Omnia sc.* (ut sapienter loquitur M. Tullius) *sunt in bellis civilibus misera; sed nihil miserius quam ipsa victoria. Quæ etiamsi ad meliores venit, tamen eos ipsos ferociores impotentioresque reddit: ut etsi naturaliter non sunt, necessitate esse cogantur. Multa enim victori-<sup>20</sup> eorum arbitrio per quot vicis, faciendâ sunt. Quotus vero quisque est, qui quum possit non etiam velit dominari hostibus devictis, aut rempubl. illo rursus loco cupiat esse, quo cum esset, ipse non poterat esse loco suo? Nihil dulce est regnare; nihil dulcius certe vulgo æstimatur,*

tur, quam hostibus imperare. Sic sc. fere res est : ut tyrannis ex victoria civilis belli nata non tam vitio vertenda sit tyranno vi&ori, quam illi qui belli auctor temere fuit : quum movere istiusmodi bellum malitiæ plerumque sit extremæ, tyrannidem armis partam  
 5 nolle dimittere, communis hominum impotentia. Taceo nunc, quanto sit cum reipubl. periculo conjunctum, non tantum alterutra pars si plene vicerit, sed si vel leviter vicerit. Statim utiq; illa præponderat, trahitque reipubl. secum aliquam partem, quod profecto communi libertati per est inimicum. Ne illud qui-  
 10 dem dicam : quod etsi æquis partibus finiatur contentio, maneat tamen *repositum ala mente* inflicium utrinque vulnus : haud rursus coëunte facile vera amicitia ac firmâ societate, quâ sine tamen nulla civitas est salva.

Cœterum, quamobrem isthæc reipubl. nostræ mala nunc tango ; aut quare pericula in quæ bello civili hoc  
 15 conjecti sumus, nunc clara quasi in luce propono, quum tamen reipubl. maxime inter sit isthæc ignorari. Equidem fateor, *Illustrissime Princeps*, nihil magis in rem nostram posse fieri, quam si mala nostra omnis vicinia nesciat : utpote cui per istorum conscientiam maximè vilescamus, adeoque dominatui externo (uti  
 20 ita loquar) moveamus salivam. Sed quei ignorent, qui ungues in nostris ulceribus habent ? aut verò quomodo tegamus quæ in orbis universi oculis ita hactenus sunt gesta, ut & ipse in partes sit raptus, idque vel quo suffunderet pro frigida oleum, vel ne damni alieni communionem ipse afficeretur. Nec tamen ego sine  
 T t t t t causa

causa isthæc sum apud Te conquestus sed, cum ne ni-  
 hil agerem in patriæ incendio, tum ut de optima no-  
 tâ commendarem istam sapientiam cujus ego aucto-  
 rem maximum nunc offero. Etsi enim nemo pru-  
 dens aliis satagentibus cum Diogene dolium voverit,  
 neque rempublicam attingam ego, illorum verò po- 5  
 tissimum, quibus ejus curam aut nascendi lex aut sa-  
 cramentum injunxit, in officio sit consulere in com-  
 mune: silere tamen & quiescere in utramque aurem si  
 nihil aliud, saltim privata quæ ex publico proveniunt  
 mala cotidiana, etiam me & mei ordinis homines, non  
 permittunt. Etenim nos quidem prædâ tantum vi-  
 ctori sumus, utq; pilas nos agetant excelsi illi terrarum 10  
 loves: conqueri tamen, nisi fallor, licet & nobis, quod  
 in prædæ veniamus partem, aut durius allidamur so-  
 lo; fortè autem & acclamare in periculum ruentibus illis  
 magnis Diis, obligamur. Maxime tamen isthæc me  
 loqui fecit eruditionis negotium, & cum primis civilis  
 sapientiæ: utpote quam ex merito commendare philo-  
 sophiam professi sit, commendare autem non liceat, ni- 15  
 si in scenam adductis reipubl. nostræ ingentibus malis,  
 quæ ex ejus cum primis neglectu (nisi valde decipior)  
 magnam partem hæctenus profluxere, nunc verò e-  
 mendari nequeant nisi ex illa ipsa remediis comparatis.  
 Nimirum (ut bene Tullius loquitur) *ars vivendi est*  
*Prudentia, ut medicina valetudinis.* Quemadmodum 20  
 igitur artem suam laudaturi medici interest, haud ne-  
 sciri vim morborum: ita profecto, quo pateat tandem  
 aliquando hominibus nostris Civilis prudentiæ non uti-  
 litas dico sed planè necessitas, in rem est non tacere quæ  
 rem.



rempubl. maneat mala nisi providatur. Satis enim,  
 imo plus satis, luit haecenus Germania negligentius  
 habitæ Prudentiæ illius culpam; utinã solùm rot moni-  
 tidamnīs rectius sapiamus in futurum! Inītio enim Re-  
 5 gia quæ erat maxima auctoritas, & illã certè tempe-  
 state longè felicissimè evenit Germaniæ haud aliã  
 æquè re quàm non observatis regnandi legibus quas  
 Civilis hæc doctrina sciscit, concussa est: certè obser-  
 vatis illis staret & ista hodie inviolata, adorarentque eti-  
 10 annum Germaniæ vestigia qui nunc illius insultant  
 cervicibus. Quæ deinde causa alia armavit in Prin-  
 cipes nonnullos populū subditum, quàm eadem re-  
 gnandi sive imperitia sive incuria? Imo verò quã alia  
 re factum; ut post collapsã regiã auctoritatẽ, quum re-  
 spubl. quasi suaapte sponte in *ære suo regni* irer, facile cer-  
 15 tẽ fuisset firmam aliquam ac solidam condere non mi-  
 nus quam Veneta est, in varias potius illa partes abie-  
 rit & pro uno reipubl. corpore natæ sint tantum non  
 (si fas est dicere) scopæ dissolutæ? Enimuero si suus fu-  
 isset Prudentiæ apud nos Civili locus non arma ista in-  
 duisset Germania, quibus *nobilitas cum plebe perit* hodie,  
 & omnis patria in cineres ac favillas dispergitur, triste  
 servitium nescio cui tandem præbitura. Ut vero  
 20 Prudentia isthac neglecta in has præcipue arumnas  
 incidimus, ita profecto, si quæ adhuc spes fuerit salu-  
 ris, ab eadem diligentius cultã unice illa expectanda  
 est. Et vero undenam colabascens aliqua reipubl.  
 præsentius capiat auxilium ac ruinæ suæ fulcimentum,  
 quàm ex illa doctrina, quæ sola novit quid fugiendum  
 publicè quid appetendum sit, quæ sola pericula dam-  
 Tttt 2 naque

naque expendit, quæ denique spe metuque utrinque  
 libratis sola non ignorat medicinam malorum? Hac  
 est enim, *quæ* (quod ille ait) *præsentia ordinat, futura*  
*providet, præterita recordatur.* Neque enim est quæ  
 in his negotiis, aut Ammonem consulamus, aut pete-  
 mus Delphos, aut inspiciamus exta, aut aves observe-  
 mus, aut postremo Chaldæos nostros interrogemus;  
 quod nunc etiam tot post interdicta divina humana-  
 que multis cernimus esse familiare.

*Non enim sunt ij aut arte divini aut scientia,*

*sed supersticiosi vates, impudentesque harioli,*

*qui sibi semitam non sapiunt alteri monstrant viam.* 10

Solus in hisce Politicus sapit. Soli illi datum imminen-  
 tia non nescire. In quantum sane futurorum capax  
 est humanum genus. Etenim

*multa regit sacro involucre natura, nec ullis*

*fas est scire quidem mortalibus omnia.*

Et verò habet quoque heic locum illud ex arte medica: 15

Τῶν ὀξέων ἰοσημάτων ἔ πανταν ἀσφαλές αἰ προσελθούσες  
 ἔτι ἔ θανάτου ἔτι τῆς ὑγείας ἰν morbis acutis non in totum  
*certa sunt prænunciationes neque salutis neque mortis: quip-*

pe quum in illis reipubl. conversionibus non tantum  
 acutum aliquid sit verum etiam fatale; quod ut à solo  
 Deo est ita solius Dei est scire. Quæ-

cunque tamen humano in his sunt ingenio pervia, illa 20  
 profecto non astra, non aves docebunt, sed Prudentiæ  
 Civilis oracula.

*Corniger hac nobis non altius inprimet Ammon.*

Ab illis etiam promptius remedia malis nostris impe-  
 trabimus, quam Græci olim Delphis. Hæc incorru-  
 pti

pti consiliarii, absque gratia absque odio, absque timore & spe, ut quorum & causas sola habeant procul. Et vero in ea incidimus tempora, quando non amplius licet hæc negligere inconsulta. Ut enim impetrent veniam suæ negligentiae tempora antecessa, hæc certè nescio quomodo inveniant. Scilicet ut secundo vento aut tranquillo cælo, inque alto, longè à rupibus, sine periculo clavus navigij cuivis etiam committitur; inter Syrtes vero aut deprelantibus Aquilonibus ad solum tuto nauclerum recurrimus: sic quieta adhuc republ. for: assis licuerit non advocare semper Prudentiam Civilem in consilium, & potuerint illam non male moderari vel de trivio homunciones: at nunc quando summa imis vertuntur, quumque error quilibet habeat quid lethale, profecto moribus illis ( nisi totus fallor ) vivere & nefas magnum & summa dementia fuerit. ὡς περ γὰρ, ( ut sapientissimè loquitur Aristoteles postea ) τὰ μὲρ σώματα ἐν ἀλαχείμῳα πρὸς ὑγίαια, καὶ πλοῖα τὰ πρὸς ναυτηλίαν καλῶς ἔχοντα τοῖς πλωτήρῳι, ὅτι δέχεται πλείους ἀμαρτίας, ἢ πρὸς ἄλλοις. καὶ δι' αὐτῶν τὰ δὲ ἰσορροῖς ἔχοντα τῶν σωμάτων, καὶ τὰ τῶν πλοίων ἐκλειυμένα, καὶ πλωτήρῳι πτυχιότα φαύλων, ἡδὲ τοῖς μικροῖς δύναται φέρειν ἀμαρτίας οὕτω ἔ τῶν πολιτείων αἰ χύεται πλείους δίο τῶν φυλακῆς. ut corpora bene constituta, & naves ad navigandum navis bene instructa

20 plura peccata citra interitum recipiunt, morbosa vero corpora & naves fatiscenses malisque instructa navis, ne parva quidem incommoda queunt ferre: ita & pessima quaque respublica plurimam desiderat & accuratam custodiam.

Quod si vero Prudentiae illius consilia audire vel noli-

mus vel non queamus, quid superest (absit vero æter-  
 num illud omen) quàm ut ferale illud clametur: *exequi-  
 as reipubl. ac libertati Germanica quibus commodum ire, hem  
 tempus est.* Neque enim cum vulgo speremus (quod  
 ille ait) *nihil agentibus in sinum de cælo devolaturam vi-  
 & oriam* aut prosperam fortunam. Nolle sapere, hoc  
 ipsum est Deum offendere: ut velle, ejus est legibus  
 obsequi: certumque est divinæ indicium iræ caligo  
 menti offusa. Quod non sacris tantum est literis tra-  
 ditum sed & notum gentilismo fuit, dicente Ammiano  
 Marcellino, *manum injicientibus fatu haberi sensu ho-  
 minum & obtundi.* Quam in sententiam & de fatolo-  
 quitur Vellejus Paterculus: *cujuscunque fortunam muta-  
 re constituit, consilia corrumpit.* Versus similis argumen-  
 ti quos recitat Lycurgus sua contra Leocratem oratio-  
 ne, ut ut perelegantes, referre hîc non attinet Nec verò,  
 etsi stulta etiam interdum emendet Deus, est qui per-  
 petuum stultitiæ præsidium quis sibi polliceatur: rara  
 quippe isthæc sunt nec trahenda in exemplum, certè  
 non in spem secundorum eventuum. Orandum ita-  
 que est ut in sano corpore mens sana sit. Quin imò, haud  
 multum absurde ille apud Crispum: *non voris neque sup-  
 plicis muliebribus auxilia deorum parantur; vigilando, agen-  
 do prospere omnia cedunt.* Et certe p acata Numinis in-  
 dignatione, quam innumeris hæctenus peccatis irrita-  
 vimus, restituetur providendo ac laborando postlimi-  
 nio in integrum etiam res, ( quantum spero )  
 Germanorum, redibitque pristinum gentis  
 decus, ita libertate Ordinum temperato Prin-  
 cipatu, ut neque in hoc libidinem neque in  
 illis

illis licentiam habeamus metuere, sed sacra legum auctoritate cuncta in officio contineantur. Absit enim ut vel in tenui hac Germaniæ fortuna desperemus omnia meliora, aut majorum gloriam extra oculos collocent Optimates. Etenim regnet modò  
 5 in singulorum animis cura integri reipublicæ corporis, penitusque omnibus sit persuasum: Ducatus, Comitatus, Episcopatus, Abbatias, Vrbes, populosque omnes Germanicæ Imperii id quod sunt vere esse, hoc est partes non nisi uno vinculo unoque spiritu salvas; & singulis licet invalidis, certe contra potentes undique vicinos minus firmis, universos tamen atq; idem vo-  
 10 lentes idem nolentes, & suis defendendis & terrendis omnium hostium conatibus sufficere. Enimvero hoc animo atq; hac sententia obtinente, brevi efflorescent ipsi etiam cineres patriæ, stabitque æternum Germania, firmitus longè quam Palladio suo Troja. Certe contraria opinio, quasi nimirum totius Corporis non sit habendo ratio, sed singulis suam rem a-  
 15 gere satis sit. Germaniæ evertendæ est nata, etsi olim damnosa minus fuerit quam sit nunc, præ vicinorum tunc impotentia. Hæc vero sententia si omnium animis insideret, omnes etiam ad concordiam sese componerent mutuamque amicitiam: qua res quantumvis parvæ in  
 20 sui formidinem solent crescere.

Onus autem detumescentibus, remotaque affectuum nebula, forte & religionis negotium sese mitius haberet; quo tamen cujus certe obtentu, potissimum nunc respublica in partes scinditur, aliturque dissidium nostrum internecinum Non enim est fortassis, quæ vel  
 in

In tantis animorum fluctibus tranquillitatem omnem desperemus; si procul gratia proculq; odio partium iudicia collocentur, nec superstitio fascinet oculos intellectus. Nam quur superstitio non adscribamus Vatinianum illum inter nonnullos ob religionem animum, vincentem prope furores Iudaicorum zelotarum? Quemadmodum nempe his religio fuit.

*vel monstrare vias eadem nisi sacra colenti,*

vel beneficium accipere nisi à suis; ita videas & hodie in parte pietatis à nonnullis poni odium hostile in dissentientes, errorum verò nullam gratiam nec veniam ullā. Atq; Judæos quidē non rationali pietate, aut iusta Mosai-  
cæ legis observantia istam inhumanitatem induisse, par-  
tim exemplo proprio nos docuit Salvator à Samaritide  
fæmina non recusans & petere aquam & accipere, par-  
tim insigni parabola de Samaritani nonneminis benefi-  
centia erga via torē à Iudæā latronibus prope enecatū.  
Sed & nostram inclementiam quis aufit amplius in offi-  
cio Christiani cultus numerare, posteaquam & in ini-  
micos extendendam benignitatem, & fide infirmum as-  
sumendum non ad altercationes disputationum, ex le-  
ge Evangelica intellexerit? *Servum Domini non oportet  
pugnare, ait Paulus, sed placidum esse erga omnes, aptum ad  
docendum, tolerantem malos, cum lenitate erudientem eos qui  
contrario animo sunt affecti, si quando det eū Deus forte resti-  
piscientiam ad agnitionem veritatis.* At si tam mitem sese  
gerere pastorem decet, quei gregis fuerit latrare ac  
mordere? quei pietas fuerit quod in episcopo est impiū?  
Idem tamen Apostolus hæreticum post unam alteram-  
que admonitionem jubet vitandum, Ira est, sed qualem?  
sane

sane non alium quam eum quem quis noverit de-  
 ploratae salutis esse; inquit enim *εὐδοκίας ὅτι ἐξέστραπται ὁ πῖστις  
 καὶ ἀμαρτάνει ἐν αὐτοκατακείτω*. Nec tamen, velejus  
 hominis omne fortassis vitandum consortium fuerit,  
 saltem non illud quod occasionem queat obijcere cor-  
 rigendi. Longe sane aliter & ipse tractavit & tractare  
 nos iussit eos, qui ab hæreticis decepti spem adhuc re-  
 linquunt emendationis. Corinthii futuram corporum  
 reviviscentiam negabant: Galatæ Mosis legem fidei im-  
 pio vinculo annectebant ut necessariam, in aliud plane  
*εὐαγγέλιον* traducti. Sed cum his agens Apostolus ipsa  
 mansuetudo est. Monet, increpat, docet, ut fratres,  
 ut sanctos Dei; nihil certe hîc videas durum aut inhu-  
 manum. Imo maximus magister ipse, eum qui Eccle-  
 siam recusat audire non alio quam publicani aut eth-  
 nici loco nobis vult esse; munera humanitatis non tol-  
 lit, vel caritatis quem limitibus excludit; ut qui ipse  
 met cum publicanis & peccatoribus ederet biberitque,  
 infirmorum sanitati consulens. Quin desinamus ergo  
 tandē atrocium contentionum. Ne utique odia nostra  
 plusquam Cadmea sancto in iunctæ pietatis titulo ven-  
 ditemus. Zelus iste zelus amarus est, & carens scienti-  
 â, illâ saltem, *qua primum quidem casta est, deinde pa-  
 cifica, aqua, obsequens, plena misericordia & fructuum bo-  
 norum, absque disceptatione & minime simulata. Veritatem  
 sectemur, sed adulescamus prorsus cum charitate. Illa vero  
 iram cobibet, benigna est, non agit perperam, non inflatur,  
 non agit indecore, non quarit qua sua sunt, non exacerbat,  
 non cogitat malum, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.*  
 Hac charitate dulcorandus sane est zelus noster, ne menda-

*ees sumus contra veritatem. Moderatio vestra innorescat omnibus.* Non equidem disputabo hic, si ne partium aliqua hæreseos nomine infamanda, vel in quam namearum meritò hoc congruat probrum: id certum arbitror, verum hæreticum non tam errore quam errandi pertinaciâ censendum esse, & posse interdum lethales sententias non pessimis ingeniis innasce, adeoque cum hæretica opinione nonnunquam catholicum animum consistere, planè ut agere iniquum quid etiam minimè iniquus potest. Quid nos movet vero, quur pejus de nobis invicem suspicemur, quàm de Arianis sanctissimus Massiliensium olim presbyter Salvianus? *Hæretici sunt, dicebat ille, sed non scientes: denique apud nos sunt hæretici, apud se non sunt: nam insansum se catholicos esse iudicant, ut nos ipsos titulo hæretica pravitate infament. Quod ergo illi nobis sunt & hoc nos illis.* Paulo post subjungēs: *Errant ergo, sed bono animo errant, non odio sed affectu Dei honorare se dominum atque amare credentes: quamvis non habeant rectam fidem, illi tamen hoc perfectam Dei estimant caritatem; & qualiter pro hoc ipso falsa opinionis errore in die iudicii puniendi sunt nemo potest scire nisi iudex. Interim ideo eis, ut reor, patientiam Deus commodat, quia videt eos esse non recte credere affectu tamen pia opinionis errare.* Quid est, dico, quur alteri alteris pejus audiamus? quur errorum detestatio duriolem de moribus nostris sententiam statuit? Sit tamen ita. Sit alterutra pars Arianis longe deterior, neutra tamen, quantum spero, superat Manichæorum blasphemam impietatem. Manichæi vero erant, quos vir sanctitate atque doctrina ad miraculum maximus Augustinus, in hæc est verba alloquutus: *illi*

*Salvianus*



sciant in vos qui nesciunt quo cum labore verum inveniantur  
 & quam difficile caveantur errores. Illi in vos sciant, qui  
 nesciunt, quam raram & arduum sit carnalia phantasmata  
 pia mentis serenitate superare. Illi in vos sciant, qui nesci-  
 unt, quanta difficultate sanetur oculus interioris hominis, ut  
 possint intueri solem suum. Illi in vos sciant, qui nesciunt  
 5 quibus gemitibus & suspiriis fiat, ut ex quantumlacunque par-  
 te possit intelligi Deus. Postremo illi in vos sciant, qui nullo  
 tali errore decepti sunt, quali vos deceptos vident. Ego autem  
 scire in vos omnino non possum, quos, sicut me ipsum illo  
 tempore, ita nunc debeo sustinere, & tanta patientia vobis-  
 cum agere, quanta mecum egerunt proximi mei cum in vestro  
 dogmate rabiosus & cæcus errarem. Magna scilicet vis est  
 10 in utramque partem opinionis inolitæ, quæque ceu  
 cum materno lacte immulsa est, si accedat cum primis  
 sectæ studium, morbus, Galeno etiam meo iudice,  
 quavis scabie insanabilior: quo qui tenentur, si eidem  
 credimus, cæci atque surdi reddi consuevere. Orige-  
 nis dictum est: εὐχρίπερόν γε αἰσθροπῶς τὰς θεῖα ἄλλα σπου-  
 15 θύειν, καὶ δυσσυνεπῶς αὐτῶν ἔχει, κατὰλείψαι αὐτῶν, ἢ τὰς  
 θεῖα ἰδύματα. Facilius quis alia sibi consueta exuat, quan-  
 tumvis illis affixus sit, quam ea quæ dogmata sunt. Quæ su-  
 perbia itaque fuerit, & fragilis nostræ mortalitatis de-  
 dignatio, atrociter animadvertere in ingenii cul-  
 pam, & humanitatis oblivisci in peccato humanæ im-  
 becillitatis? Non ego pravæ pervicaciæ sum patronus,  
 20 nec veniam peto vere hæretico homini, h. e. quem ar-  
 rogantia aut nominis amor sectam facit condere aut  
 fovere, quique factionibus turbat publicam tranquilli-  
 tatem. Nihil enim tam asperum excogitari posse existi-  
 mo quo non ille asperius mereatur. Ne sceleris quidem

purum omnino dixerim, qui illi aures præbens in festa communionem prolabitur. Tantum ita animadverti in deceptos optaverim, ne non tam interitum illorum curare quam salutem videamur quæsisisse. Et in hos ergo animadvertatur, sed sine sævitia: & hi increpentur sed cum lenitate: moneantur sed fraterne; denique ita tractentur ut & ipsi intelligant nihil in sese nos habere odio præter hæreticam sententiam, quâ nihilominus de causa maxime nos doleamus illorum vicem.

Sed quo prolabor? Ego vero nihil aliud volo, Illustrissime Princeps, quam periculis in quibus patria versatur præsentissimis, omnes omnino quotquot sumus serio admoneri, ut animi divulsi & factionibus distracti omnibus modis reducantur ad concordiam & commune reipubl. studium: nihil vero esse, ne religionis quidem queis laboramus controversias, quæ saltim à curis concordia & pacis civilis cogitationes nostras segregemus: quod enim hinc hostilia inter cives odia exercentur, non tam pietatis lege fieri quam inani quadam superstitione. Atque me quidem haud latet, quantum ab hac mansuetudine absint multorum mores; scio etiam id esse partium ingenium, ut altera indigne ferat aut metuat alterius quoque benignitatem; cū tamē & inimicis benefaciendum sit, nihil dubito, nolentibus etiam & invidis & repugnantibus modestiam, lenitatem, caritatemque tam severe nobis mandatam quasi obtrudendam esse. Certe hanc viam primæ & incorruptæ Ecclesiæ prudentiores ac meliores quiq; Patres contra segreges & errantes insistendam sibi censuerunt. Quale enim hominum genus erant Donatistæ? Arrogans, impium, hæreticum, in circumcellionibus suis etiam sævum ac crudele.

crudele. Hi verò ipsi erant, quos cum *fratrum* titulo  
 fuisset dignatus, in hac nectare quovis dulciora verba  
 prorupit vir sanctitate eximius Optatus Milevitanus. Ne  
 quis dicat me inconsiderate eos fratres appellare, qui sales sunt,  
 quamvis & illi negent, & omnibus notum sit quod nos odio ha-  
 5 beant, & nolint se dici fratres nostros: tamen nos recedere à  
 timore Dei non possumus, quos hortatur Spiritus S. per Esaiam  
 prophetam dicens: vos qui timetis nomen domini auerte no-  
 men domini: si qui nos odio habent & execrantur, & nolunt  
 se dici fratres nostros, vos tamen dicite eis, fratres nostri estis.  
 Ætate huic suppar Gregor. Nazianzi antistes longe pi-  
 issimus dicebat: ἐπιώμιον ἀδελφοὶ καὶ τοῖς μισοῦσι ἡμᾶς ἀνὰ  
 10 ἑα δὲ χόρται. Ante utrumque scripserat B. Cyprianus: o-  
 piare se & consulere pariter ac suadere, ut, si fieri potest, ne-  
 mo de fratribus pereat, & consentientis populi corpus unū gre-  
 mitio suo mater gaudens includat: à fraternitatis vinculo ne  
 erroribus infectos quidem excludens. Isthoc autem si  
 fuerimus animo (possumus autem & debemus esse,) non  
 concutietur respubl. enatis de religione disputationibus  
 15 nostris, certè non ita ut nunc dissipabitur: imo fiet, ut  
 affectuum purus mentis oculus clare perspiciat caligan-  
 tem nunc vitio nostro veritatis solem, utque omnes id  
 amplectentes quod vere καθολικόν est, hoc est quod ubi-  
 que quod semper quod ab omnibus est creditum, so-  
 pitis diffidiis impactissimus eadem mente, & eadem sensentia.  
 20 Nimirum veritatem cernere non potest oculus odii  
 spisso glaucomate suffusus, utut illa clara sit & solem  
 ipsum gestes manibus. Optimus demum magister le-  
 nis oratio est, irrepit quippe in animum latenter sua dul-  
 cedine, intimas mox ejus fibras expurgatura. Hiero-  
 nymi aurea sententia est: *Qui modeste alloquitur proxi-*

*mum, gratum accipit responsum, & quasi de uberibus in quibus  
 lac quarebat butyrum exprimit: sed qui inepto verbo rixam  
 & discordiam ex fraterno corde provocat, quasi necessaria ul-  
 sramodum emulgens, sanguinem elicit. Et vero, ne desit  
 exemplum, tali plane orationis genere, Arianos, A-  
 pollinaristas, Macedonianos, Sabellianos atque id ge-  
 nus alia hæreticorum portenta, vicisse & rursus Ecclesiæ  
 Catholicæ corpori felicissime sese sociasse, ipsemet  
 testis est ille quem à sanctitate paulo ante commendaba-  
 mus, commendari autem numquam satis poterit, Na-  
 zianzenus Gregorius. Quidni vero audiamus ipsum lo-  
 quentem, seu canentem potius lenis sermonis ingen-  
 tem istam victoriam? Igitur quum varia secularum no-  
 mina enumerasset, addidissetque, neminem adeo fuisse  
 immobilem quin à sese flexus sit; subjungit statim au-  
 rea illa à doctissimo Abbate Iacobo Billio non minus ele-  
 ganter de Græco versa:*

*Hos pertraherat dogmatum ingens firmitas;*

*Flectebat illos ratio docendi mea.*

*Nec enim per odium, perq; contumeliam,  
 Studio ac iuvandi, verba promebam, dolens,*

*Non vulnus infligens: nec, ut quidam solent,*

*Animos in altum, prosperum ob tempus, ferens,*

*(Commune sceptrum nam quid est, Verbo & Dei?)  
 Audaciaque inscitiam velans meam.*

*Hoc quippe scitum est, sepius ac proprium,*

*Nigranssem ab imo vomere succum pectore,*

*Ve tela fugias hostis in tenebris tui.*

*Sed voce blandâ commodâque utens, decet*

*Christi ut patronum, mente qui placidissimus*

*Miseratur agros, neminem & durus ferit.*

*Ex quo fit illud, cedere us laudem ferat,  
Rursumque multo pulchrius sis vincere,  
SVASV Tonanti quispiam dum acquiritur.*

Quid vero, si & nostro tempore isthuc succederet? Quid, si & in nobis dulcis sermo istum fructum pariat? ne videlicet amplius & in nobis sit Roboam ac Ierobeam, Iuda atq; Israel, Hierosolyma ac Samaria; sed intergerino pariete confraeto, qui unius sanguinis uniusque sumus reipubl. etiam unius simus Christi, coalescentibus vulneribus quæ ejus corpori dissidia nostra inflixerunt, & reparata ejus tunica quam militaris furor olim scindere erubuit quidem, nos autem innumeras in partes divisimus. Faxit hoc sane ille qui & ipsemet caritas ac pax nuncupari voluit, caritatem item ac pacem symbolum suorum jussit esse

Sed non est hujus loci de remediis dissidentis Ecclesiæ ejusque pace differere; etsi illa nihil publicè privatimque possit esse conducibilius atq; ad rempubl. erigendam magis necessarium, quippe quum anima quasi reipublicæ sit Ecclesia, adeoque non minus vere dici possit, rempubl. in ecclesia esse, quam vere id olim alio sensu negavit Optatus Milevitanus. Quod si autem tam felix fortuna hoc infesto virtuti & paci seculo non sit speranda terrarum orbi; aut nostræ Germaniæ peccata non ferant statum adeo beatum, utinam saltem fiat prius: ut si non amemus nos prout par erat, saltem minus nos invicem habeamus odio! Certe & sic erimus felices satis, atque etsi non optimè atq; ex voto, tamen sic satis benè componi iterum tot modis nunc divulsa respublica poterit; nemo profecto non deinceps execrabitur civilium bellorum faces etiam antequam ardeant.

VERUM

VERUM frustra etiam de ordinanda republica quidquam salutare speres, quamdiu bello ad hunc modum ardet Germania, simulq; domi ac foris hostis ex hoste nascitur. Quid enim inter meram vim & scelera, quæ dudum leges omnes suam in potestatem traduxerunt, & jam radices reipubl. subruunt, cogitemus legum robur atque auctoritatem? Scilicet inter arma etiam aliàs justitia prolabitur, neq; nuper primum militia nostra cœpit corrumpi; inter civilia autem arma, qualia hæctenus magnam partem fuere nostra, etiam moritur jus; militarem item *disciplinam* (ut ille ait) *in pace inexorabilem discordia civium resolvunt, parati utrinque corruptoribus & perfidia impunita*. Eo autem usque illa redacta est, ut quæ flagrante ulterius bello superstit spes emendandi vix appareat, in omne fas ac nefas venalibus urbium nostrarum purgamentis. Igitur nihil etiam est quod vel dicamus de illo meliore statu quidquam, nisi pace ante facta caveatur ne ille nullus sit; penitusque sit persuasum animis illud Homeri.

Ἀφρήτωρ, ἀγέμιστος, ἀνέστος ἐστὶν ἐκεῖ,

Ὃς πόλεμος ἔραται ὀπιδημίῃσιν ὀκρούοντος.

*Absq; cognatu, injustus, & sine domo vagus ille est,  
Qui delectatur bello civili difficili.*

Tunc vero demum suus cum fructu legibus & optimis consiliis erit locus: tunc ordinari rectius respublica poterit: denique tunc & vulnera quibus hæctenus laboravimus poterunt sanari, & ferale illud Ecclesiæ bellum, quo imprimis Dei indigna,

indignationem provocamus sopiri forte poterit fraterna caritate. Cæterum isthæc quomodo effici aut possint aut debeant, & arrogans sim si me scire profitear, & si dicerem non sim ferendus. Neque vero opus etiam est, ut præter ea quæ priscis seculis in hujuscemodi malis sunt adhibita, novum aliquod nunc excogitemus. Eadem quippe semper fabula agitur humanarum rerum, tantum mutantur personæ: quæq; nunc nos, civitates semper multas afflixerunt, quarum aliæ ad optima consilia, alia ad interitum iis sunt redactæ. Spero autem nobis usu eventurum, id quod arboribus qui cuneis divelluntur: scilicet ut illæ excussis cuneis magno impetu unoq; momento quasi ad sese redeunt, ita ad concordiam atq; unitatem redituros nos omnes, ubi rejecti fuerint qui nos ad libidinem suam distrahant.

In quibus omnibus satis fortassis à consiliis nobis esse poterunt antiqua prudentiæ civilis monumenta; ne denuo Bodinum aliquem censeat quis desiderandum. Namq; ille ad scribendos suos de republ. libros compulsus se affirmat Galliæ calamitatibus, quas a civilis artis ignoratione velut ab errorum omnium fonte derivatas animadverterit. Sed etsi nos eadem imo majora turgent mala quam tunc Galliam affecerunt, non tamen vel Bodinum ipsum consulere est necessum, imo nisi valde fallor habet vetustas consiliarios Bodino ipso non paulo prudentiores, certe, accuratiores uberioresque. Ne enim quid de Platone dicam, cujus de Republ. & Legibus libri nescias in invidiam priorum temporum existant an vero potius in opprobrium tempestatis presentis: Aristoteles profecto in nobilitate etiam illo opere quod habemus, non

tantum nihil eorum omisit quæ ad integrum corpus Imperii faciunt, sed & illa docuit quæ ad singulas Imperii partes requiruntur, quorum pleraque frustra quæsieris in Bodino. Neq; vero difficile fuerit fortassis pronunciare, quæ reipubl. forma quam optime conveniat ingeniis Germanicis, si sequare illa quæ ab hoc viro longe præclarissime tertio libro differuntur. Quem vero lateat quibus erroribus Respubl. Imperii in hunc locum pervenerit, aut quæ remedia sint adhibenda, quocunq; tandem illa flectenda sit, in Regiam sc. aut Optimatum, aut Mixtam ex utraque gubernationem, cui animo penitus infixæ hærent quæ ab ipso de rerumpubl. conversionibus conservationibusque disputata sunt? Tantum sane abest plura de hisce Bodinum habere, ut nec diligentissimus ille tyrannorum ex Hetruria doctor in suo quid argumento post Aristotelem contulerit. Quid, quod tamen in tam varias *simplicias, æmixtas, Principatus, Mixtosq; status* divisa sint Germaniæ membra, peræq; tamen omnia rationem conservandæ reipubl. ex Aristotele possint capere, ex Bodino non item? In proclivi est sane hujus periculum facere. Tacebo nunc, quam confuse docuerit Bodinus, quamq; minus commode historias rerumpubl. ipsi Philosophiæ civili miscuerit, quæ ab Aristotele prudentissime sunt sejunctæ & suo loco traditæ. Neq; enim nunc contendere inter sese viros hocce animus est, quum & Oratione illa qua Aristotelem laudavimus jam tum ex parte id factum sit, & aliàs forte diligentius simus præstituri. Tantum nihil causæ credimus esse, quæ in hisce nostris ætumnis alium magnopere consiliarium desideremus quam Aristotelem. Quamquam haud parum in rem fuerit aliorum quoq; con-



sensum vidisse, & historiarum testimoniis penitus confir-  
 mari. Nam historia altera magistra civilis est vitæ, estq; in  
 illa hoc præcipue salubre ac frugiferum, omnium te exempli docu-  
 menta in illustri posita intueri, ut inde sibi unaq; reipublica quod  
 imitere capias, inde factum incaptu factum exitu quod vitas.  
 Minus tamen apta est magistra, minusq; fida ipsâmet Ci-  
 5 yili Philosophia, ex historiis usuq; rerum magno iudicio  
 iam exædificata: quod historici affectibus obnoxium plæ-  
 rumq; iudicium gerant seruiantq; tempori, nec cujuslibet  
 sit certam regulam ex singularibus eventis struere.

Hæ sane me causæ impulerunt, *Princeps Illustrissime* ut quū  
 ante biennium lectissimos aliquot Academiæ nostræ juve-  
 nes Civilem prudentiam docere instituerem, non meopte  
 10 Marte novum aliquid conscribendum, nec aliquem tem-  
 pestatis nostræ auctorem ex thymelico recoctum sumen-  
 dum in manus, duxerim; sed solius Aristotelis vestigia  
 sumpserim mihi calcanda. At eo necessitas statim im-  
 posita mihi simul fuit; novam operis Aristotelici editi-  
 onem procurandi, quod exempla deessent auditoribus,  
 15 jacente passim hac prudentia, certe jacente in hoc argu-  
 mento Aristotele, regnantibusq; ejus loco, ut fieri solet,  
 aliis de trivio & umbra hominibus. Atq; illa quidem o-  
 pera tunc ad metam est perducta: mansit tamen interea  
 temporis liber ἀξιφαλλος, quod typographus expectaret  
 promissum abs me de Civili Prudentia tractatum operis  
 20 fronti præfigendum, me vero tot inter rerum omnium di-  
 scrimina & perpetuas de fortunæ summa ancipites curas,  
 tædium caperet studiorum à vitæ genere tam longe dissi-  
 dentium. Nunc tamen, nescio quū, ad telam istam per-  
 rexendam importunis flagitationibus iterum adigi me-  
 sum passus, quanquam argumento alio assumpto. Nam-  
 que illud quidem de Vniuersa Civili Prudentia in tempora

meliora malui rejicere: in ejus tamen vicem fortassis haud male nunc succedit nova in Aristotelis politica Introductio.

